EX
LIB
RIS

PAUL R. MAGOCSI



J 1773/73.

Munkácsi m. kir. áll.-gimnázium tanári könyvtára.
Szakcsoport: 11 a Szám: 484
Beszereztetett: 1938 e Ára: 6 P
Ajándékozta:

WERBŐCZII DECRETUM TRIPARTITUM.

MUNKÁCSI ÁLLAMI KIRÁLYI GIMNÁZIUM
J
Könyv
260

WERBÖCZIUS ILLUSTRATUS:

SIVE

DECRETUM TRIPARTITUM JURIS CONSUETUDINARII INCLYTI REGNI HUNGARIÆ,

A MAGISTRO

STEPHANO DE WERBŐCZ

Jussu Regio olim compilatum, duorum, & quo excurrit, Seculorum usu roboratum: Nunc primum in Paragraphos distinctum, & Notis, ac Observationibus Juridicis, in usum præsertim Tyronum, illustratum.

Cum speciali Priv. Suæ Sacrat. Cæsareo-Regiæ Majestatis.

2137.

TYPIS TYRNAVIENSIBUS

ANNO M. DCC. LXXV.

Bibliotheca Regia Monacensis

SERENISSIMO PRINCIPI
ET
DOMINO, DOMINO
WLADISLAO,
DEI GRATIA
REGI HUNGARIÆ,
ET BOHEMIÆ, &c. &c.
DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,

MAG. STEPHANUS DE WERBŐCZ Judicis Curiæ Serenitatis Vestræ Protonotarius, servitiorum suorum humillimam commendationem:



Quamquam domestica, ac gentilitia Regni hujus Inclyti Hungariæ jura certam in seriem, formulamque, & ordinem redigere, ac literarum monumentis illustrare arduum, & perdifficile, ac humano propemodum ingenio majus

esse videatur: Quippe cum apud nostrates eo in genere nihil hactenus extiterit aut origine diuturnum, aut sanctione stabile, aut perenni usu, ac observantia roboratum; sed ex cujusque fere Principis, ac Regis nutu, & arbitrio novæ constitutiones, novaque edicta per singulas nedum ætates, sed pauciſſimorum quoque annorum spatia emanaverint: Quæ cum inter sese plerumque dissideant, & adversis quasi frontibus obluctentur, in unum velut corpus convenire, & coalescere haud facile possunt. Ad hoc accedit, quod ea omnia, quæ vel forensibus in causis emergunt, vel ad judiciorum rationem accommodantur, memoria tenere supra hominis captum, facultatemque videatur existere.

Quæ cum ita se habeant, tamen Majestatis Vestræ jussionibus, quibus non usquequaque parere piaculum semper duxi, morem gerere cupiens, sarcinam meis humeris longe imparem subire non formidavi: Qui propriæ licet imbecillitatis conscius (tantum enim abest, ut mihi quidpiam majoris industriæ, aut eruditionis attribuam; ut meos etiam inter æquales, ac ejusdem professionis studiosos,

sos, me in postremis hærere non inficier) Vestræ tamen Majestatis secundissimo ductu, Vestrisque felicibus auspiciis rem his Regionibus ad hunc usque diem inauditam, & per tot seculorum apsus magno dedecore, sed majori jactura neglectam aggrediar, statuta scilicet, & decreta, ac leges, & consuetudines Regni hactenus divulsa, mutila, confusa, & male cohærentia in unum connectere, ac conglutinare, in scriptisque redacta, Vestræ Majestati ad communem usum promulganda, summa cum obsequendi propensitate offerre.

Nec ulla est res, quam Vestra Majestas mihi majori cum sua laude demandare, vel ego alacriori animo suscipere quiviſſem. Quid enim Regio splendore dignius, suorum subditorum quieti, ac tranquillitati accommodatius præstare potuisset, quam post bella, & armorum strepitus, quibus hostilis metus procul depellitur, pacis curam gerere? Quæ nisi Juris moderatione contineatur, stabilis, firmaque esse non valet. Perspicuum est autem, plus multo obesse intestinas discordias, quam externa bella, ac plures, potentioresque Respublicas esse ve-

neno domeſtico, quam hoſtilibus armis ſubverſas.

Operæ pretium autem duxi, pro Majeſtatis Veſtræ voto univerſas Regni conſuetudines, ac leges, & decreta dilucido, aperto, ac unicuique facile expoſito ſtylo perſcribere, & in capita, titulos, ac articulos redigere, ut deinceps prima Legum noſtri Regni rudimenta non ab antiquis illis fabulis, quibus hactenus omne fere tempus aliis, atque aliis edendis juribus inaniter trivimus, ſed ab ipſo literarum aditu, ac sacrario, ab ipſoque civilis diſciplinæ fonte depromantur, in animisque cujusque altius inſideant, tenaciusque radicentur.

Quæ quidem res (mea saltem ſententia) eo gratior toti eſt futura poſteritati, quo atavi, progenitoresque noſtri ab ejuscemodi inſtitutionibus videntur alieniores fuiſſe. Gens enim noſtra a prima ipſa naſcentis imperii origine, rebus duntaxat bellicis intenta, cæteris diſciplinis minus videtur incubuiſſe.

Hungari namque a Scythicis populis progreſſi, vel propagati, relicto patrio Regno, in Superiori (quæ citra, ultraque Danubium diffunditur) Pannonia conſe-

ſederunt, ac Duce Attila, fines imperii longe, lateque propagantes, Germaniæ, Italiæ, ac Hiſpaniarum limites victricibus armis penetrarunt.

Divo tandem Rege STEPHANO authore, velut jubare quodam cœlitus demiſſo, ſuperſtitione, ac gentilitate penitus eliminata, fidei Catholicæ dogma ſuſcepere.

Nec gens aliqua poſtmodum, aut natio (abſit invidia verbo) pro Reipublicæ Chriſtianæ tutela, & propagatione acrius, aut conſtantius ipſis Hungaris excubuit. Qui cum omni Mahometicæ fœditatis barbarie in variis, ancipitibusque prœliis diu, ac multum cum ingenti ſua laude verſati, &(ut vetuſtiora præteream) annos circiter centum ſuper quadraginta, nunc oppugnantes, nunc repugnantes, cum immanibus Turcis cruentiſſima bella geſſere: Et per eorum ſanguinem, cædes, ac vulnera, reliquam Chriſtianitatem (ne hoſtilis rabies, velut fractis obicibus, remotius ſeſe effunderet) tutam, incolumemque reddiderunt, ea fortitudine, roboreque naturæ, ut plerumque in armis vitam degerent.

Nullis quæſtuariis, aut vulgaribus artibus dediti, ſola militia nobilitatem

definierunt. Quo factum eſt, ut ad leges ipſas vel exactiori cura ſanciendas, vel maturiori examine promulgandas nec otium, nec tempus ſatis idoneum ſuperfuerit.

Sed jam Majeſtatis Veſtræ ſingulari cura, ac providentia propediem fore video, ut ne in hac quoque laude cæteris nationibus inferiores eſſe videamur.

Tu inquam Optime, ac Chriſtianiſſime Rex, ut Solii ſublimitate cæteris omnibus præſtas, ita incredibili, ac prope cœleſti virtute abundas: quæ Religionis obſervantia, ac DEI veri cultu maxime illuſtratur. Ideo nullæ, non modo actiones, ſed ne cogitatus quidem tui, cœleſti Numine vacant. Et id ratione quidem optima. Juſti enim ſumus, ſi pietatem, qua religioſe Deum colimus, præſentem ſemper, coramque habuerimus; Humana enim juſtitia, niſi a divina manet (quæ pietas eſt) eam eſſe injuſtitiam ſummam reor.

Me etiam *Cypriani*, Glorioſiſſimi Martyris ſententia delectat. *Juſtitia Regis* (inquit) *pax eſt populorum: tu tamen patriæ: munimentum plebis: protectio gentis: cura languorum: gaudium hominum:*

tem-

temperies aeris: ſerenitas maris: terræ fœcunditas: ſolatium pauperum: hæreditas filiorum: & ſibimet ipſis ſpes futuræ beatitudinis.

Ipſa autem juſtitia non tam natura, quam diſciplina acquiritur, & ea quidem diſciplina, quam nobis Legum, ac Juris ſcientia ſubminiſtrat. Quam ait *Euripides;* Heſpero, ac Lucifero magis eſſe mirabilem. Hæc, inquam, una virtus, ſola eſt domina omnium, & regina virtutum, fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ.

Ideo *Ageſilaus*, cum de fortitudine, juſtitiaque rogaretur, utra eſſet melior? *Nihil* (ait) *fortitudine indigeremus, ſi juſti omnes eſſemus.* Rerum enim humanarum omnium ea natura eſt, ut conſtantiam nullæ diutius ſervent, ſed fluctuent ſemper, ac nutent. Fortuna quippe ipſa quam levis, quam inconſtans, quam fallax ſit, *Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Macedonum, Romanorumque* docent imperia. Sola ipſa juſtitia eſt, quæ ſibi ipſi conſtat, quæ nulli mutationi ſubjicitur, ſed eadem eſt ſemper, & incredibilem ſecum affert firmitatem.

Quam

Quam ob rem Majeſtati Veſtræ, communi omnium Veſtrorum ſubditorum nomine, ingentes, atque immortales gratias & ago, & habeo, quod eo Legum, ac Conſtitutionum robore hujus Inclyti Veſtri Regni munimenta ſtabilire volueritis; Quæ nulla unquam ſit, neque fortunæ malignitas, nec hominum injuria, concuſſura.

Quis enim ignorat ad ſalutem, vitamque hominum & quietam, & beatam inventas eſſe Leges? ſine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſorum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.

Quarum quidem quisnam primus fuerit inventor, non ſatis conſtat. Hebræi ſane hunc *Moyſen* fuiſſe volent. Athenienſes *Cecropem*, ac *Solonem*. Argivi *Phoroneum*. Cretenſes *Minoa* ac *Rhadamanthum*. Lacedæmonii *Lycurgum*. Ægyptii *Triſmegiſtum*. Perſæ vero *Zoroaſtrem*. Sed quisquis tandem ille fuerit, tale humano generi attulit munus, quo majus, ac ſalubrius vix a cœleſti Numine optare fas eſt. Sunt enim Leges, totius humanæ vitæ duces, ac mo-

de-

deratores: Totæ ſunt in æquitate, in prudentia; in profundiſſima denique ſapientia conſtitutæ: totæ ad vitam, bene, beateque peragendam adinventæ.

Idcirco nullum Imperium, nulla Respublica ſine Legibus poteſt eſſe diuturna. Arma enim imperia parant, Leges parta conſervant. Sunt enim Leges muri, ac fundamenta civitatis: In his ſalus bonorum, in his pacis conſilia continentur. Quod ſtamus, quod incedimus, quod dormimus, quod denique ſecure, vitam agimus, id totum eſt Juris, ac Legum defenſioni tribuendum.

Quibus ſublatis, bonis viris nullus eſſet locus in civitate, aut turpiſſimis ſemper afficerentur injuriis. *Remota* namque *Juſtitia*, teſte beato Auguſtino: *Quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Leges ſunt, quæ nos a periculis, ignominiaque tuentur, quæ ſicarios arcent, & graſſatores, ac inſidiarum pericula longe, lateque repellunt. Quæ denique in ſummo nos otio, atque in ſumma tranquillitate cuſtodiunt.*

Idcirco nihil hac quidem tempeſtate fieri potuit ineffabili præconio dignius, aut ad perennem gloriam conſequendam efficacius; ſed nec Veſtris florentiſ-

ſimus

simis Regnis indissolubili concordiæ nexu stabiliendis aptius: quam quod Vestræ Majestatis ductu, & authoritate Leges, ac hujus Regni sanctiones densissimis tenebris, & caligine prius obrutæ, scriptionis nitore illustratæ, tanta cum Vestra Dignitate promulgentur.

Quam quidem provinciam ubi primum mihi demandare Vestra Majestas dignata est, licet, ut ingenue fatear, omne studium, omnem industriam, ac solertiam eo contulerim, ut pro virili Vestræ Majestati quam plenissime obtemperarem; scio tamen non defuturos, qui invidiæ facibus excitati, huic tanto, tamque omnibus profuturo labori detrahere non desistant. Hæc est enim furentis invidiæ consuetudo, ut in ea semper, quæ præstantiora, ac cumulatiori laude sunt digna, liventes, ac rabidissimos morsus exacuat.

Sed plane confido Majestatem Vestram, me facile ab teterrimis illius monstri faucibus erepturam, & ipse quoque Vestro velut clypeo munitus, quæcunque calumniatores vibraturi sunt, jacula intrepide vel retundam, vel sustinebo.

Sa-

Satis autem, ſuperque præmii prohac navata opera me arbitrabor conſecutum, ſi & patriæ, cujus inſita optimi cujusque animo ingens eſt charitas, hac in parte videbor conſuluiſſe; & Majeſtati Veſtræ, cui me perpetuo dedidi, ac devovi, pro viribus obtemperaſſe: Quam etiam, atque etiam oro, & obſecro, ut has meas viligias Veſtro Sacratiſſimo Numini dedicatas, iterum, atque iterum perlegere, diſcutere, ac recenſere non gravetur.

Et cum ea ſit operum humanorum conditio, ut nihil fiat adeo politum, adeove abſolutum, ut non melius reformari poſſit; pro exactiſſimo Veſtri judicii acumine, quæ vel reſecanda, vel immutanda, vel addenda duxeritis, ea ita caſtigatiſſima Veſtræ cenſuræ lima corrigatis, & emendetis, ut æmulis, ac malevolis nullus detrahendi locus relinquatur.

Nemo autem id ſibi perſuadeat, me tantum mihi authoritatis vindicaſſe, ut novas aliquas Leges afferre, ac ſuperaddere fuerim auſus: Sed ea duntaxat, quæ a Majoribus meis accepi, quæque obſervari in pertractandis judiciis, cauſisque di-

discutiendis vidi, didici; in unum quasi volumen contuli, digessi: Consilio tamen cum cæteris meis Collegis, & patrii Juris, ac consuetudinum non ignaris, prius communicato. Quod opus nunc Majestati Vestræ offero, & dedico, eamque supplex deprecor, dignetur has meas lucubrationes hilari fronte excipere, & eis, si dignæ videbuntur, suam Sacrosanctam authoritatem impertiri, omnibusque suæ ditioni parentibus observandas proponere.

Mentis autem potius affectum, quam rei, quæ offertur, exiguitatem Majestas Vestra metiatur. Hæc enim quantulacunque oblatio ex obedientiæ, sinceritatisque officina emanavit. Imposterum vero, quantum viribus consequi potero, omni studio, cura, industria conabor, ut mea obsequia Majestati Vestræ usui esse, re ipsa comprobentur. Voluntas certe, fidesque nunquam aberit. Valeat Vestra Majestas, Rex Excellentissime, diu multumque felix.

AP-

APPROBATIO
TRIPARTITI OPERIS
JURIS CONSUETUDINARII
INCLYTI
REGNI HUNGARIÆ,

WLADISLAUS DEI gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex: Ac Sileſiæ, & Lucemburgenſis Dux: Nec non Moraviæ, Luſatiæ Marchio, ad perpetuam rei memoriam.

Cum ſupremus omnium rerum Opifex ab ipſo primordio rationalis creaturæ conditæ, ac procreatæ, eam in genere humano varietatem, atque id diſcrimen eſſe voluerit; ut pars hominum ſubeſſe, pars præeſſe: alii imperare, alii parere deberent alios quidem Reges, & Principes, qui cæteris æquo jure imperarent; alios ſubditos, qui illorum juſſa, & imperia capeſſerent, eſſe ſtatuit: atque in hunc duplicem ordinem totum genus humanum ſapientiſſime eſt partitus.

Reges porro ipsos duabus potissimum artibus instructos, atque ornatos esse voluit, Legibus, & armis, ut armis quidem hostes propulsati, procul a finibus arcerentur: Leges autem, regnicolas, civesque, domi in officio continerent, & summos cum infimis, ac mediocribus: opulentos, ac potentiores cum egentioribus, infirmioribus que æquo jure vivere cogerent. Hæ etenim duæ res tantopere sunt unicuique Principi necessariæ, ut his sublatis, nihil firmum, nihil stabile, nihil inter homines concors, & pacatum esse queat. Adeo vero sibi invicem cohærentes, simulque firmissimis vinculis, & indissolubilibus catenis connexæ, ut separari, ac disjungi nequaquam possint.

Quis enim ignorat, neque arma tunc foris quidquam prodesse, cum domi plus improbi, atque injusti, quam boni cives valeant: & frustra judicia, ac Leges implorari, cum aures regnicolarum, civiumque, terror hostilis circumsonat?

Nos itaque, qui nutu, ac providentia Divina ad hoc sublime solium evecti, & tot terris, tot populis, tot denique potentissimis, ac ferocissimis nationibus, atque imprimis sumus præpositi, semper ab initio Prin-

Principatus noſtri omnes noſtras curas, cogitationes, labores, conatus, omnia ſtudia, & conſilia noſtra eo direximus, & contulimus, ut bis duabus artibus, ſubditos noſtros in pace, & tranquillitate contineremus. Nam & armis (quoad per Nos fieri potuit) tutos eos ab hoſte præſtitimus, & in juſtitia adminiſtranda nihil a nobis prætermiſſum eſt, quod a juſto, & diligentiſſimo Principe præſtari debuerit.

Et poſtquam hujus Inclyti Regni Hungariæ ſceptrum, atque imperium benignitate DEI adepti ſumus, & ſacro ejus diademate redimiti, poſt belli ſtudia poſt Regnum ipſum tam metu hoſtili, quam ſeditionibus domeſticis liberatum, prima Nobis, ac præcipua cura fuit; Regnum ipſum, & ſubditos noſtros, pace etiam domeſtica, & Legibus, firmius, & ſtabilius reddendum.

Itaque & eo ipſo tempore, & poſtea non ſemel varias conſtitutiones, ſtatuta, partim ſponte noſtra propria, partim precibus, & ſupplicatione fidelium noſtrorum, Dominorum Prælatorum, & Baronum, cæterorumque Procerum, & Nobilium edidimus, ſaluti ac quieti, libertatique ipſius

Regni noſtri, hoc pacto accurtiaſſime conſulentes: *Licet & antea non defuerint quædam jura Regni, quæ quia nulla ſcriptura continebantur;* Conſuetudines *potius appellari poterant.*

Verum quia & ex hujusmodi Conſtitutionum a Nobis editarum, & illorum Regni Jurium diverſa interpretatione, magna plerumque oriebantur incommoda, aliis alio, prout cuique libitum erat, ſenſum, & interpretationem earum trahentibus. Et quibusdam in judicando, vel judicio poſtulando, Regni Conſuetudinem, aliis Conſtitutionum formulam ſequentibus, atque allegantibus, ita ut non inter eos ſolum, quorum cauſa ageretur, ſed inter ipſos etiam Judices, ac Jurium Regni conſultiſſimos, & peritiſſimos magna interdum ſuper hujusmodi Legum, Conſuetudinum, & Conſtitutionum interpretatione contentio oriretur: Ut quandoque hi, qui plus viribus, potentia, quam Legibus, & Juſtitiæ ſiderent, tribunal Judicum magna aſſeclarum agmine aggreſſi, quod ratione, & Legibus nequirent, clamore, & multitudine obtinere contenderent: Et qui jure inferiores eſſent, vincere tamen,

non

non jure, sed tumultu, ac multitudine niterentur.

Neque vero Judicum, & Magistrorum Protonotariorum, Jura Regni allegantium authoritas apud illos valebat. Cum enim Jura ipsa nulla scripturæ firmitate fulcirentur, quidquid Legum, vel Consuetudinum in medium proferebatur, id illi vel in contrariam sententiam trahentes, vel aliter ab aliis Judicibus, & aliis judiciis tractum, atque intellectum afferentes, omnes judicandi rationes turpissime confundebant: Ita frequenter contingebat, ut in qua causa quispiam antea victoria potitus esset, in eadem, vel simili alter succumberet, & superaretur.

Cum autem his, & ejus generis erroribus plena, ac referta essent omnia, & ex hujusmodi Constitutionum, & Regni Consuetudinum tam varia, ac multiplici interpretatione, tam lata calumniatoribus via pateret, animique tam judicantium: quam eorum, de quorum causis agerent, in tantis tenebris versarentur: Nos, quibus nihil prius, antiquiusque, quam subditos nostros in omni pace, & tranquillitate conservare, excitati etiam precibus, &

continuis querelis prædictorum fidelium nostrorum; fideli nostro Egregio Magistro STEPHANO *de* WERBŐCZ, *Judicis Curiæ nostræ Protonotario curam omnium ipsius Regni nostri Jurium, Legum, & Consuetudinum, Constitutionumque receptarum, atque approbatarum, earum videlicet, quæ in ipso Regno nostro, & præsertim in Aula nostra Regia judicandis, & decidendis causis ac sententiis ferendis, sequi, ac observari consuevissent, in unum colligendi, atque in titulos (ut fit) & capita distinguendi: ut ea postea Nobis oblata, ac per cæteros Magistros Protonotarios & Sedis nostræ Judiciariæ Juratos Consessores revisa, discussa, ac diligenter trutinata, in unum volumen redigerentur.*

Ut jam Gens etiam nostra Hungarica (sicut aliæ omnes fere nationes, & provinciæ, bene, & sapienter institutæ) in judiciis decernendis, & Justitiæ administratione, non sola Consuetudine, *quæ plerumque mutari & labilis esse solet;* sed Jure Scripto, *& fidelissimis literarum monumentis illustrato niteretur.*

Demum nobis in præsenti Conventu, & Congregatione Generali eorundem

uni-

universorum Prælatorum, Baronum, & Regni hujus Nobilium, quam eisdem certis, & arduis de causis ad festum Beati Lucæ Evangelistæ proxime præteritum indixeramus, constitutis; iidem Prælati, & Barones, ac Nobiles universi nostrum accedentes in conspectum, quendam libellum gentilitia, municipaliaque Jura, ac Leges, & Consuetudines eorum vetustas, & receptas continentem, nostro jussu a præfato Magistro Stephano collectum, & conscriptum Nobis obtulerunt, supplicantes; ut quia ipsi eum libellum in cunctis suis clausulis, articulis, & capitulis, per Venerabilem Paulum de Wárda, *Præpositum Sancti Sigismundi, Proventuum nostrorum Regalium administratorem, ac Magnificum* Benedictum de Batthyán, *hujus Castri nostri Budensis Castellanum, nec non Egregios Magistros,* Joannem de Ellywelgh *Palatinalem, ac* Albertum de Bellyén, & Paulum Bolyár, *Personalis Præsentiæ nostræ Protonotarios: Item* Stephanum Kesserű de Gybarth, *Regni hujus nostri Hungariæ Vice-palatinum,* Georgium de Mekche *Secretarium nostrum,* Michaelem de Zob, *ac* Paulum de Dombo *Juratos*

Assessores dictæ Sedis nostræ Judiciariæ, & Stephanum Henzelffy de Petrovcz, *Directorem causarum nostrarum Regalium, perlegi, revideri, discuti*, & *examinari faciendo, super eorum Legibus & approbatis Consuetudinibus, recto ordine*, & *debito modo conscriptum esse agnovissent: Propterea ipsum libellum*, & *omnia in eo contenta quoad omnes clausulas, sensus, capita*, & *articulos, in formam nostri Privilegii redigi faciendo, admittere*, & *approbare, eisdemque*, & *eorum hæredibus ac posteritatibus, pro perpetuis Legibus*, & *Consuetudinibus valiturum authoritate nostra Regia*, & *de Regiæ nostræ potestatis plenitudine roborare*, & *confirmare dignaremur. Cujus quidem libelli tenor sequitur in hæc verba:*

IN

IN TRIPARTITUM OPUS

JURIS CONSUETUDINARII,

REGNI HUNGARIÆ,

PROLOGUS



Leges itaque, & Consuetudines approbatas Inclyti Regni Hungariæ describpturus, quædam notabilia præsentem materiam concernentia, conpendiose præmittere instituí. *Primo* quidem de Justitia. *Secundo* vero de Jure, & divisione Juris. *Tertio* autem de Lege, & speciebus Legis. *Quarto* quidem de Consuetudine, & conditionibus ejus. *Quinto* nempe, & ultimo, de conditionibus boni Judicis, & aliis rebus ad Judicium Justum spectantibus; apposita quæstione: Utrum Judex secun-

dum allegata, & probata, vel ſecundum conſcientiam, ut ipſe novit, judicare teneatur? Quibus breviter præhabitis, DEI glorioſi adjutorio propoſitum aggrediar, atque municipales Leges, & approbatas Conſuetudines ipſius Regni Hungariæ, quibus communiter in Judiciis utimur (prout memoria, & ingenioli capacitate comprehendere potero) ſeriatim abſolvam.

De Juſtitia, quid ſit definitive? & de ejus Diviſione.

TITULUS I.

JUſtitia igitur; eſt conſtans, & perpetua voluntas, jus ſuum unicuique tribuens. Et hoc non quantum ad actum ſemper, ſed quantum ad affectum. Juſtitia enim eſt animi diſpoſitio, & mentis affectus, quo quis dicitur juſtus; dum videlicet quis ſine perſonarum acceptione, & diſtinctione velit cuilibet, quantum in ſe eſt, jus ſuum tribuere.

§. 1. Item Juſtitia; eſt habitus bonus, tribuens cuique ſuam dignitatem, DEO religionem, parentibus obedientiam, majoribus reverentiam, paribus concordiam, minoribus diſciplinam, ſibiipſi caſtimoniam, & pauperibus, ac miſeris compaſſionem operoſam.

§. 2.

§. 2. Item aliter; Justitia est habitus animi (communi utilitate servata) suam cuique tribuens dignitatem. Et sic est congrua dispositio animi, singulis in rebus recte dijudicans causas. Beato enim Gregorio teste, in rebus humanis summum bonum est, Justitiam colere, & uni cuique jura sua servare. Nam ubi est Justitia ibi est omnium reliquarum virtutum concordia. Omnes enim virtutum species (, ut inquit Hieronymus) uno Justitiæ nomine continentur. Cui adstipulatur versiculus ille Hesiodi: *Justitia in sese virtutes continet omnes*. Quæ præclarissima virtutum eo splendore mortalium oculos perstringit, ut affirmet Aristoteles, neque hesperum, neque luciferum tantopere rutilare.

§. 3. DUPLEX est autem Justitia, scilicet Naturalis, & Legalis. Naturalis, est constans, & perpetua voluntas, jus suum (ut prænotatum est) unicuique tribuens: Et sine illa nullus potest regnum DEI possidere, Legalis vero dicitur; Lex quæ sæpe mutatur, sine qua nec Gentes, nec Regna diu potuerunt permanere. Unde & justum aliquid dupliciter intelligitur fieri; uno modo, ex ipsa natura rei, quod dicitur Jus naturale; alio modo, ex quodam statuto inter homines, quod dicitur Jus positivum.

De Jure, & Divisione Juris.

TITULUS 2.

JUs autem, quantum ad nostrum propositum spectat, tantum valet; sicut rectum, vel in-

juſtum: Quod a Juſtitia derivatur. Et in propoſito, accipitur pro noſtris Conſuetudinibus, ſive ſcriptis, ſive non ſcriptis.

§. 1. Unde Jus, nomen generale eſt: & Lex, ſpecies Juris eſt. Omne enim Jus Legibus, & moribus, hoc eſt, Jure ſcripto, & non ſcripto conſtat. Quod per Tullium ſic definitur: Eſt ars, ſive ſcientia boni, & æqui, ſecundum quam Nos, Sacerdotes, id eſt Sacras Leges, & cuilibet jura ſua miniſtrantes, appellamur.

§. 2. Aliter autem; Jus dicitur Collectio legitimorum præceptorum, quæ nos arctant ad obſervandum bonum, & æquum, hoc eſt, utilitatem, & æquitatem, ſive veritatem juſtitiam deſignantem.

§. 3. Jus itaque duplex eſt. Quoddam enim eſt Jus publicum - quoddam vero privatum. *Publicum* eſt; quod principaliter ad Imperium, & regimen Regnorum, publicamque utilitatem ſpectat: & in ſacris, ac Sacerdotibus, & in Magiſtratibus conſiſtit. Unde qui lædit Sacerdotes, vel res ſacras, vel Magiſtratus, a) hoc eſt, Rectores populi; ab omnibus tanquam pro crimine publico accuſari poterit. *Privatum* vero, eſt Jus ſpeciale, quod ad ſingulorum hominum utilitatem pertinet: & illud triplex eſt, ſcilicet Jus naturale, Jus gentium, & Jus civile.

§. 4.

a) Hinc orta eſt Violatio ſedis Judiciariæ, Vid. art. 57. Anno 1723.

§. 4. Jus igitur naturale, est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, & non constitutione aliqua habetur: sive, quod natura omnia animalia docet, & docuit. Et hoc non solum est humani generis proprium, sed etiam omnium animalium. Inde descendit maris, & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & educatio, omnium una libertas, ac acquisitio eorum, quæ cœlo, terra, marique capiuntur. Item depositæ rei, vel commodatæ pecuniæ restitutio: violentiæ proximi per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale, æquumque habetur.

§. 5. Item alio modo Jus naturale intelligitur, quod in Lege Mosaica, & Evangelio continetur: Quo quis jubetur alteri facere, quod sibi vult fieri: & prohibetur alteri inferre, quod sibi fieri nolit. Unde versus: *Quod tibi vis fieri, mihi fac; quod non tibi, noli. Sic potes in terris vivere jure poli.*

§. 6. Jus itaque *naturale* dupliciter potest considerari, uno modo, in quantum consideratur homo, prout habet in se naturam rationalem, in qua participat cum Divinis: Et sic Jus naturale, quod cadit in hominem, dicitur Jus Divinum. Alio modo, Jus naturale consideratur in homine, quantum ad naturam sensualitatis, in qua participat cum cæteris animalibus, ut sensu, motu, & instinctu. Et hoc modo jus cadens in hominem, dicitur esse Jus naturale.

§. 7.

§. 7. Jus gentium duplex est; scilicet *primævum*, & *secundarium*. Jus gentium *primævum* est; quo omnes gentes ab initio usæ sunt, naturali ratione inductum absque aliqua Constitutione gentium, ut neminem lædere &c. Et hoc a Jure naturali nihil discrepat, nisi ratione diversorum respectuum. Nam Jus naturale, & gentium pariter dicitur, sed diverso respectu: Naturale scilicet, in quantum ratione naturali est inductum: Gentium vero; in quantum gentes a principio orbis, sine ulla Constitutione alia eo usæ sunt. Et hoc jure status servi est integer: Quia naturali ratione omnes liberi nascebantur.

§. 8. Jus gentium *secundarium*; est jus, a gentibus non ratione naturali, sed ratione publici boni, & ad communem usum introductum. Et hoc sæpenumero discrepat a jure naturali: Quia Jure naturali omnia erant communia, omnes erant liberi; de Jure vero gentium, facta est divisio dominiorum, & rerum inventa separatio: Introducta sunt bella, captivitates, servitutes, & alia hujusmodi, quæ Juri naturali sunt contraria. Ex hoc etiam gentium Jure omnes pene contractus inducti sunt, ut emptio, venditio, conductio, & his similia.

§. 9. Jus autem *civile* est; quod quisque populus, vel quæque civitas, sibi propter Divinam, humanamque causam constituit: Et vocatur Jus civile, quasi proprium Jus civitatis. Quod triplíciter potest accipi. *Primo* generaliter; & est, quod in unaquaque civitate generaliter ob-

ser-

servatur. *Secundo* specialiter; & est, quod quisque populus, vel quæque civitas sibi proprium, Divina, humanaque causa constituit. *Tertio* excenllenter; ad excelletiam videlicet Juris Romanorum, quod etiam Jus Imperiale nominatur. Dum enim non exprimitur nomen, hujus, vel illius civitatis, tunc per excellentiam tantum Jus Romanorum significatur: sicut per Poetam apud Græcos *Homerus*, apud Latinos *Virgilius* tubauditur. Et per Apostolum in sacro Eloquio, alterius nomine non expresso; *Sanctus Paulus* intelligitur.

Quomodo differant Jus Naturale, Jus Gentium. & Jus Civile,

TITULUS 3.

SCiendum itaque, quod Jus naturale differt ab aliis juribus, tribus modis. *Primo* origine: nam incepit ab exordio naturalis creaturæ. *Secundo* dignitate: quia Jus naturale apud omnes gentes æqualiter servatur, a solo DEO institutum, firmum, & immutabile manens: alia vero jura, quæ populus, vel civitas sibi constituit, sæpe mutantur; vel contraria consuetudine, vel alia minori lege, in contrarium postea lata, & introducta. *Tertio* amplitudine: quia Jure naturali omnia communia sunt, sed Jure gentium, vel civili; hoc meum, illud tuum est.

§. 1. Cæterum omnes populi, qui Legibus, aut moribus utuntur, & reguntur, partim

tim suo proprio, partim vero communi omnium hominum jure utuntur. Hi enim, qui suo tantummodo jure, & non communi gaudent, & aliquod jus sibi proprium instituunt; illud Jus civile nominatur. Quod vero apud omnes gentes communiter observatur, Jus gentium appellatur.

De Jure Militari & Juris Prudentia.

TITULUS 4.

JUs militare, est belli inferendi solennitas, fœderis faciendi nexus, signo dato congressio in hostem. Item flagitii militaris disciplina, hoc est, castigatio, si locus deferatur. Item stipendiorum modus; dignitatum gradus, præmiorum honor: veluti dum corona, vel torques donatur. Item prædæ decisio, & pro personarum qualitatibus, & laboribus justa divisio, ac Principis portio.

§. 1. Juris prudentia vero, est Divinarum, humanarumque rerum a) notitia, justi, atque injusti scientia. Justi scilicet, ad faciendum, injusti autem, ad evitandum.

§. 2. Quia non sufficit scire, quid sit justum, vel injustum, nisi & ipsarum rerum contrariarum, vel corporalium habeat quis notitiam, secundum quam juxta varias conditiones rerum emergentium, varia etiam jura sunt statuenda.

Dif-

a) Maxime J. U. Canonici videlicet, & Civilis.

Differentia est inter Justitiam, Jus, & Juris Prudentiam.

TITULUS 5.

DIfferunt autem inter se Justitia, Jus, & Juris prudentia.

§. 1. Nam Justitia est virtus, scilicet moralis. Jus est ejus virtutis executivum. Juris prudentia est scientia illius Juris.

§. 2. Item Justitia est inter virtutes summum bonum: Jus medium: Juris prudentia infimum.

§. 3. Item Justitia tribuit unicuique, quod suum est: Jus vero coadjuvat: Juris prudentia autem docet, qualiter illud fiat.

De Diffinitionibus Legis, & ejus Conditionibus.

TITULUS 6.

QUia dictum est superius, A) quod omne Jus aut Legibus, aut moribus, hoc est, Jure scripto, vel non scripto constat: De Jure igitur scripto, id est, humana Lege, breviter sciendum, quod Lex diversimode describatur.

§. 1. *Primo* namque, est constitutio populi, qua majores natu cum plebibus aliquid sanxerunt. B) Sed hæc definitio proposito nostro non quadrat, cum omnis potestas Constitutionis, & condendæ Legis, quæ olim apud popu-

A) Tit. 2. §. 1.

B) Ut fit in Democratia.

lum fuerat, in præsentiarum ad Principem nostrum spectet, A) ut infra clarius dicetur. B)

§. 2. *Alio modo*, Lex est, sanctio facta jubens honesta, & prohibens inhonesta, atque contraria.

§. 3. Vel *aliter*: est recta ratio ab æquitate tracta, jubens honesta, & vetans inhonesta.

§. 4. Item secundum *Papinianum*, & *Demosthenem*, Lex est inventio hominis, donum DEI, dogma sapientum, correctio violentorum excessuum, civitatis compositio, & criminis fuga. Ex qua quidem definitione colligitur, quod Lex *inventio humana est*.

§. 5. Postquam enim multiplicato genere humano, & irrepentibus vitiis, in tyrannidem regna conversa sunt, necessario opus fuit Leges condere. Quarum primi inventores, qui fuerint, in præfatione superius declaratum habes.

§. 6. Dicitur deinde in Definitione, Legem *Donum DEI* esse; secundum enim *Chrysostomum*, Lex DEI est una legalis via, quæ nec ad dexteram, nec ad sinistram declinat. Populus ergo sine Lege, qui DEI dicta, & Legum documenta contemnit, per diversas errorum vias laqueum perditionis incurrit. Omniumque legum inanis est censura, nisi Divinæ Legis imaginem gerat: Quia humanæ Leges eatenus valent solum, quatenus non discrepant a Divinis, prout & sapiens testatur, inquiens: *Per me Re-*

A) Ut fit in Monarchia: sed apud nos temperata.
B) Part. 2. tit. 3.

Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.

§. 7. Ideo Leges humanæ emanare debent e Lege Divina. Nam illa Respublica sola est ordinata, quæ Legibus regulatis Lege Divina gubernatur. Lex ergo contra Legem Divinam nec populi assensu, nec consuetudine diuturna, est valida.

§. 8. *Tertia* conditio Legis ex Definitione declarata est, quod sit *dogma sapientum.* Ubi sciendum, quod sicuti Principes non debent punire innocentem; ita non debent absolvere reum, & facinorosum a pœna, & disciplina, maxime quando quis peccat in Rempublicam: *Qui* enim *justificat impium, & condemnat justum, uterque abominabilis est apud DEUM.*

§. 9. *Quarta* Legis conditio, quod sit *violentorum excessuum correctio.* Nam ideo factæ sunt Leges, ut harum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia. Non enim inducerentur homines ad Legis observantiam, nisi esset timor pœnæ legalis, inferendæ per publicam personam.

§. 10. *Quinta* conditio Legis, quod Lex sit *Civitatis compositio:* Civitas enim ab unitate civium nominatur. Ergo omnes Leges, etiam in hoc Regno nostro, ad commodum Reipublicæ, Judices referre oportet. Nam ut ex medicina nihil debet sperari, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam ejus causa instituta est; sic a legibus nil oportet colligi, nisi

quod Reipublicæ totius communitatis conducat: quia ejus causa, & ad hoc sunt conceptæ.

§. 11. *Sexta* conditio, quod Lex debet esse *criminis fuga*. Secundum enim Beatum *Thomam Aquinatem*, Leges humanæ, ad retrahendum homines a vitiis, & inducendum ad virtutes, sunt factæ. Nam homini ineſt naturaliter quidam appetitus ad virtutem, sed ipsa virtutis perfectio necesse est, ut adveniat homini per aliquam disciplinam, quæ maxime per Legis observantiam advenire solet. Ideo subinfert idem *S. Thomas*, quod Lex *est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata*; Estque *regula, vel mensura actuum agendorum, vel omittendorum.*

§. 12. Unde Lex debet esse justa, honesta, possibilis secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, necessaria, & utilis: Manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem incautæ captionis contineat (id est: ne aliquis possit eam captiose interpretari. Si tamen quid ambiguum, vel obscurum fuerit, ejus est interpretari, qui condidit. A) Vel ne laqueus alicui paretur per eam) nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.

§. 13. Ideo autem ista considerandæ sunt, quia cum Leges institutæ fuerint, non erit postea judicandum de ipsis, sed oportebit judicare secundum ipsas.

Qua-

A) a. 16. 1715. V. Cui videlicet.

Quare factæ sint Leges? & de quadruplici officio Legis.

TITULUS 7.

QUoniam omnes Leges aut Divinæ sunt, aut humanæ: Divinæ namque natura, humanæ vero moribus, & Consuetudinibus constant; ideoque hæ discrepant: Quoniam aliæ aliis gentibus placent. A)

§. 1. Fas, Lex Divina est: Jus, Lex humana. Nam transire per agrum alienum fas est; quia *Domini est terra, & plenitudo ejus*: Jus vero non est; quia statuto, aut consuetudine prohibetur.

§. 2. Unde quæritur, quare factæ sint Leges humanæ? Et respondetur, quod ideo, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrœnetur audacia, & nocendi facultas. B)

§. 3. Quadruplex est autem officium Legis; quia omnis Lex aut permittit, aut vetat, aut punit, aut imperat. Permittit aliquid, ut; vir fortis, & virtuosus petat præmium. Vetat, ut; sacrarum virginum nulli petere liceat connubium. Punit, ut; qui cædem fecerit, capite plectatur. Quandoque autem imperat, ut; diliges Dominum DEUM tuum. Unde versus: *Quatuor ex verbis virtutes collige Legis: permittit, punit, imperat, atque vetat.*

A) Sup. t. 3. §. unic.
B) Sup. t. 6. §. 8.

De Statuto, & Municipali Jure.

TITULUS 8.

PRæhabita Legis quidditate, atque diversitate, jam de Statuto dicendum occurrit.

§. 1. Est autem Statutum, quod vulgo Decretum appellamus, Jus quoddam regni commune, vim Legis habens. Et dicitur Statutum, quasi stabiliter, & firmiter ordinatum; vel quasi statum publicum definiens. Sæpe vero appellatione quoque Juris civilis veniunt Statuta.

§. 2. Ubi advertendum, quod Jus civile duplex reperitur. Quoddam commune, & est illud, quod in libris Juris civilis habetur: & istud non potest condere, nisi Imperator, vel alius supremus Princeps. Quoddam vero privatum, quod etiam Jus Municipale, vel Statutarium dicitur. Et illud unaquæque regio, vel provincia, vel aliquando civitas sibi constituere potest.

§. 3. Jus autem Municipale, est Jus positivum alicujus loci. Ita dictum, quod in illo duntaxat municipio (id est, oppido) ac loco servetur. Idem & Jus Statutarium (ut prædictum est) appellatur.

Utrum

Utrum valeat Statutum contra Jus Canonicum, vel Naturale, vel Divinum?

TITULUS 9.

SEd quærendum videtur, an valeat Statutum contra Jus Canonicum, vel Naturale, vel Divinum? Dic (quoad Jus Canonicum) si Statutum sit contra libertatem Ecclesiarum diuturnam, vel privilegia eis concessa, non valet: Idem dicendum, si circa ea fiunt Statuta, quæ salutem animæ respiciunt. Circa causas vero profanas, Statuta civilia derogant Canonibus, & eos tollunt.

§. 1. Quantum autem ad Jus Naturale, vel Divinum; licet Statuta non possint ex toto illud tollere, possunt tamen distinguere, ut exempli gratia, Lex Divina dicit indistincte: *Non occides*, tamen Lex humana, & Statutum concedit homicidium in multis casibus. Idem dicendum de Decimis, quæ debentur de Jure Divino, & tamen Papa multos privilegiat super Decimis non solvendis.

§. 2. Concludamus ergo, quod per Statutum, ac Legem, vel Rescriptum, non potest Jus Naturale, vel Divinum in sui universo tolli: Nec enim Summus Pontifex, vel alius quispiam posset statuere, ut non observaretur vetus, vel novum Testamentum, vel quod liberi non educarentur a parentibus: Sed in aliquibus casibus particularibus potest fieri ex justa causa, contra

Jus Divinum, vel Naturale, v. g. ut prædo possit occidi, vel fur nocturnus.

Quid sit Consuetudo? & quæ sint necessaria ad Consuetudinem firmandam?

TITULUS 10.

JAm autem de Consuetudine differendum est. Ubi sciendum; quod Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege susscipitur, cum deficit Lex. Nec differt, scriptura, an ratione constat; quandoquidem & Legem ratio commendat. Porro si ratione Lex constat, Lex erit omne, jam quod ratione constiterit: duntaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat. Vocatur autem Consuetudo, quasi communis suetudo, & usus hominum, quia in communi est usu.

§. 1. Sed clarius; consuetudo (prout nostrum propositum tangit) sic definienda videtur: Est Jus quoddam, moribus illius introductum, qui authoritate publica Legem condere potest. Ideo appellatione Juris venit etiam Consuetudo: a) Et si Princeps committit, ut judicetur secundum Jura, tunc Judex poterit ferre sententiam secundum Consuetudinem, & Statuta loci: Sicut etiam a contrario, appellatione Consuetudinis, venit Jus commune. Ideo si quis in actione sua faciat mentionem de Consuetudine, etiam Jus commune videtur intentatum esse. §. 2.

a) Sup. t. 6. princ.

§. 2. Quilibet autem populus potest Consuetudinem inducere localem. Sed ut valeat consuetudo, ac roboretur, quædam sunt necessaria.

§. 3. *Primo*, ut sit *rationabilis*. Est autem rationabilis, cum tendit, & accedit ad finem Juris. Finis autem Juris Canonici, & Divini est felicitas animæ. Finis vero Juris civilis, est bonum publicum. Ideo si Consuetudo tendit ad felicitatem animæ, est rationabilis secundum Jus Canonicum, & Divinum: si autem repugnat fini æterno, est irrationabilis. De Jure vero civili Consuetudo est rationabilis, si tendit ad bonum publicum. Et quia in hoc non sunt speciales regulæ, dic: quod Consuetudo, quæ non est contra Jus naturale, gentium, positivum, præsumitur rationabilis.

§. 4. Sed, cum Jus sit fundatum super ratione, videtur, quod nulla Consuetudo contra Jus possit esse rationabilis? Dicendum, quod consideratis diversis rationibus, potest esse Consuetudo rationabilis contra Legem etiam rationabilem. Unde duo contraria possunt simul esse vera, consideratis diversis finibus, ut nubere, & non nubere.

§. 5. *Secundo* requiritur, ut sit *præscripta* id est, habeat tempus debitum, & per cursum illius temporis ad præscriptionem requisiti firmetur. Sed hoc est tantum de Jure Canonico: & neque de eo Jure id requiritur, nisi quando est contra Jus positivum. De Jure autem civili ad inducendam Consuetudinem suffi-

cit decennium, hoc est, lapsus temporis decennalis, etiam in casu, qui est contra Jus civile. Si autem esset Consuetudo contra Jus Canonicum, tunc requiritur spatium quadraginta annorum. Si tamen præter Jus induceretur Consuetudo; etiam de Jure Canonico decennium sufficere videtur. Hoc autem tempus decem annorum incipit currere a tempore primi actus celebrati a populo.

§. 6. Id vero, quod dixi de Jure civili, indistincte sufficere spatium decem annorum, hoc limita; nisi Consuetudo induceretur in his, quæ sunt reservata Principi in signum supremæ potestatis. Tunc enim non posset induci Consuetudo, nisi esset tantum tempus, cujus initii memoria in contrarium non existeret.

§. 7. *Tertio*, requiritur *frequentia actuum*, ut est communis Doctorum sententia. Dic tamen, quod actus frequens de se non est necessarius ad Consuetudinem inducendam, sed quia per usum colligitur consensus populi, qui plerumque non potest ex uno solo actu colligi; igitur frequentia actuum est ut causa, Consuetudo vero ut causatum. Requiruntur autem tot actus, & ita notorii, ut verisimiliter transiverit in notitiam populi: non tamen actus, sed tacitus consensus populi inducit consuetudinem Unde ubicunque ex conjecturis habetur tacitus consensus populi, tunc non curatur de magna frequentia actuum. Imo aliquando ex uno actu, si habuerit causam successivam, & continuationem

nem per tempus, infra quod Consuetudo inducitur, ut si quis supra viam publicam pontem habuerit, vel quid tale, potest induci Consuetudo.

Quomodo differat Lex a Consuetudine, & de triplici virtute Consuetudinis.

TITULUS II.

DIffert autem Lex a Consuetudine tripliciter. *Primo*, tanquam tacitum, & expressum.

§. 1. *Secundo*, tanquam scriptum, & non scriptum: Quamvis hæc non sit essentialis differentia. Nam licet Lex a Principe lata, non esset scripta, tamen non ideo desineret esse Lex. Et si Consuetudo redigeretur in scriptis, adhuc esset Consuetudo: ut Consuetudines Feudorum, quæ redactæ sunt scripta.

§. 2. *Tertio*, tanquam momentaneum, & successivum: Quia Consuetudo non inducitur in instanti: *Lentiori enim passu procedunt tacita, quam expressa.* Nec enim sunt adeo certa, quæ ex conjecturis proveniunt, sicut ea, quæ sunt expressa; ideo Consuetudo proprie non potest statim induci per populum, sed successive.

§. 3. Consuetudo autem triplicem habet virtutem. Scilicet *interpretativam*: est enim Legum interpres optima, ideo Lege existente dubia, debemus recurrere ad Consuetudinem loci:

loci: & si de ea constet, non est recedendum ab illo intellectu, quem consuetudo tribuit.

§. 4. *Secundo*, habet virtutem *derogatoriam*, quia derogat Legi, quando est contra Legem.

§. 5. *Tertio*, habet virtutem *imitativam*, quia imitatur Legem, ubi deficit Lex.

De Lege, & Statuto, ac Consuetudine contraria, quid sit sentiendum?

TITULUS 12.

SEd quærendum occurrit, ubi Lex, vel Constitutio, & Consuetudo invenitur contraria, utranam sit servanda? Dic, quod Lex præcedat, & postea sequatur Consuetudo contraria: Tunc, si Consuetudo est generalis, vincit Legem generaliter, & universaliter. Si autem Consuetudo est particularis, non vincit Legem universaliter, sed solum in loco, ubi Consuetudo viget. Si vero Consuetudo præcedat, Lex autem subsequatur contraria, tunc Consuetudo non vincet Legem, imo potius tolletur per Legem sequentem.

§. 1. Canonistæ tamen tenent oppositum, asserentes; quod Lex Papæ non tollat Consuetudinem certi loci contrariam, si de ea non fuerit facta mentio: Quia Papa non præsumitur scire contrarias Consuetudines. Ex quo infertur a contrario sensu, quod, si civitas, vel aliqua communitas facit Statutum contra suam Consue-

ſuetudinem, tunc tollatur conſuetudo, licet de ipſa non faciat mentionem, quia civitas, vel populus præſumitur ſcire ſuam Conſuetudinem.

§. 2. Pono igitur duas regulas *Prima* eſt: quando præcedit Conſuetudo, & ſequitur Lex generalis contraria, tollit Conſuetudinem præcedentem. *Secunda* regula: quando Lex præcedit, deinde ſequitur Conſuetudo contraria Legi, tollit Legem præcedentem. A) Quod intellige (ut ſupra B) dixi) quando eſt Conſuetudo generalis inducta a populo, qui poteſt Legem & Conſuetudinem generalem inducere. Nam ſi eſſet Conſuetudo ſpecialis loci, tunc in illo duntaxat loco vinceret Legem.

§. 3. Ubi vero emergit caſus, nec deciſus Lege ſcripta, nec Conſuetudine, & tamen eſt ſimilis Legi ſcriptæ pro una parte, & ſimilis Conſuetudini pro alia parte; quidnam ſit ſequendum, & quidnam ſimile præferendum, a plerisque dubitatur. Dic igitur, omnes caſus amplectendo; quando reperitur ſolum ſimile Conſuetudini, illud debet attendi: quando vero ſolum ſimile Legi, tunc illud erit attendendum. Si vero reperiatur ſimile Legi, & ſimile Conſuetudini, tunc primum debet inſpici, utri ſit magis ſimile? Secundo, utrum ſit magis rationabile, & æquum? Quod ſi in omnibus ſit paritas, tunc ſi ſumus in materia conſuetudinaria, debet attendi ſimile loco Conſuetudinis. Si vero ſumus

in

A) Kitt c. 1. q. 9: §. 3. V. Quamvis dictus Werbőczi.
B) Sup. t. 10. §. 1.

in materia Juris scripti, tunc attendamus simile Juri scripto.

Quid sit Judex, quid Judicium, quid causa, quid Actor, & Reus?

TITULUS 13.

SEd quoniam moderandis Legibus Judices præsunt, qui recto Judicii examine ex jurisdictione eis competente singula discutiunt; ideo non videtur absurdum de ipsis quoque aliquid explicare.

§. 1. Ubi sciendum, quod *Judex* dicitur, quasi *Judex dicens*, quia disceptat, id est, Justitiam ministrat populo.

§. 2. Jus autem est objectum Justitiæ, ideo *Judicium* ex vi nominis importat justi, vel Juris determinationem in causa, quæ coram Judice agitur.

§. 3. *Causa* autem dicitur a casu, quo venit. Est enim materia, & origo negotii necdum discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur, causa est; dum discutitur, Judicium; dum finitur, Justitia censetur. Et hoc loco Justitia appellatur, quæ dicta est Lex. Lex autem Juris status dicitur, quia per sententiam Jus de se non constituitur, sed status Juris declaratur.

§. 4. In omni vero negotio, quod ad Judicium venit discutiendum, hæ personæ requiruntur; Judex, Actor, & Reus. In negotio au-

autem non notorio, teſtes quoque neceſſario requiruntur.

§. 5. *Actor* itaque, quaſi accuſator, quia ad cauſam vocat; *Reus* vero are, quæ petitur, nuncupatur, etiamſi non ſit ſceleris conſcius.

§. 6. Teſtes antiquitus ſuperſtites dicebantur, eo quod ſuper ſtatu cauſæ proferebantur.

§. 7. Unde homines (ut inquit *Ariſtoteles*) ad Judicem confugiunt, ſicuti ad aliquam juſtitiam animatam.

Quot requirantur ad Judicium, ut ſit actus Juſtitiæ? & de Jurisdictione, officioque, & Conditionibus boni Judicis.

TITULUS 14.

UT autem Judicium ſit actus Juſtitiæ (auctore S. *Thoma*) tria requiruntur. *Primo*, ut procedat ex Juſtitiæ inclinatione. *Secundo*, ex Præſidentis authoritate, atque jurisdictione. *Tertio*, ut exeat, proferaturque ex prudentiæ recta ratione.

§. 1. Si enim Judicium, aut ſi contra rectitudinem Juſtitiæ, vel per eos, qui non habent ad judicandum authoritatem, vel ſine prudentiæ examine; tunc non rectum, ſed vitioſum, & illicitum Judicium cenſetur.

§. 2. Jurisdictio vero, eſt poteſtas ex Jure publico introducta; diciturque a *ditione*, id eſt, poteſtate, & *Juris*, quaſi Juris poteſtas.

§. 3.

§. 3. Officium autem Judicis est Jus competens ipsi Judici ad ea, quæ sibi ut Judici facienda incumbunt, peragenda præstitum. Differt autem officium Judicis a Jurisdictione, sicut actio ab obligatione. Nam ut per actionem quis consequitur, quod in obligationem venit; ita per officium Judicis ad effectum perducitur, quod in jurisdictionem venit, & eam deducit in actum.

§. 4. Ad Judicem autem præcipue spectat, mature singula discutere; nec debet in ferenda sententia præceps, aut subitus esse; alioquin voluntas ejus præcipitata, noverca Justitiæ diceretur. Nec plus uni, quam alteri parti debet favere: nec esse acceptor personarum: alienamque necessitatem suam debet æstimare. In primis autem passionibus animi carere, ut non moveatur prece, odio, vel amore. Nam Judex etiamsi tulerit sententiam justam, tamen tenetur in foro conscientiæ, si id fecerit potius odio, quam amore justitiæ.

§. 5. Nec debet esse Judex nimis crudelis, nec pius nimis, sed æquus in judicando. In omni enim Judicio conjuncta sunt misericordia, & virtus, id est, Justitia: & in harum conjunctione consistit æquitas. Unde S. Gregorius: *Omnis, qui juste judicat, stateram in manu sua gestat; & in utroque penso justitiam, & misericordiam portat; sed per justitiam reddit peccatis sententiam, per misericordiam peccati temperat pœnam; ut justo libramine quædam*

per

per æquitatem corrigat, quædam per misericordiam indulgeat, qui DEI judicium oculis suis semper intuens, & tremens, in omni negotio formidat: ne de justitiæ tramite devians cadat. Ubi namque Justitia suum modum excedit, crudelitatis vitium gignit; & nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit.

§. 6. Humanum autem Judicium quatuor modis solet perverti. *Timore*, dum metu potestatis alicujus, veritatem loqui pertimescimus. *Cupiditate*, dum præmio animum alicujus corrumpimus. *Odio*, dum contra quemlibet adversarium molimur. *Amore*, dum amico, vel propinquo aliquid præstare contendimus Quæ omnia in Judice summopere sunt cavenda, atque fugienda.

Utrum Judex secundum allegata, & probata vel secundum conscientiam judicare teneatur?

TITULUS 15.

NUnc quæstio subjungenda est; an Judex secundum allegata, & probata Partium; A) vel secundum quod novit, & ex conscientia debeat judicare? Verbi gratia, aliquis accusatur de capitali, vel alio crimine, & Judex scit illum esse innoxium; quia vidit id crimen ab alio fuisse patratum: tamen testes contra eum testificantur, an condemnabit scienter innocentem? Dic, quod judicare pertineat ad Judicem, secundum quod fungitur publica potestate, ideo instrui de-

A) Inf. p. 2. t. 75. V. Judex enim ex objectionibus.

bet in Judicio: non ſecundum quod ipſe Judex novit tanquam perſona privata, ſed ut ſibi innoteſcit, tanquam perſonæ publicæ.

§. 1. Id autem poteſt ſibi dupliciter innoteſcere; vel in communi, per Leges ſcilicet publicas, Divinas, aut humanas, contra quas probatio non admittitur: vel in particulari, per inſtrumenta, & teſtes, & alia legitima documenta, quæ magis ſequi debet judicando, quam illud, quod ipſe novit in perſona privata. Ideo inquit S. Auguſtinus: *Judex bonus nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum Leges, & Jura pronunciat.*

§. 2. In hoc tamen caſu, Judex debet eſſe valde ſolicitus, ut foveat partem illam, quam in conſcientia ſua ſcit eſſe veram, ne pereat propter defectum teſtium, & advocatorum.

§. 3. Si vero eo ventum ſit, ut adeo validæ probationes in Judicio proferantur, quæ nec repelli, nec collidi valeant; omni arte, & ſtudio eſt Judici enitendum, ut innocens convictus eripiatur.

§. 4. Si nulla ejuscemodi via reperiri poteſt; quærat rationem, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit, ut alteri cauſam committat; ſi id nequit: tunc proferat ſententiam ſecundum allegata, & probata. Eſt enim Judicis officium, magis laborare pro ſalute boni publici, quam ſingularis: cum & ipſe, in quantum Judex, ſit perſona publica: & bonum commune ſit nobilius particulari, ut habetur *primo Ethicorum.*

§. 5.

§. 5. Nam si Judex ferret sententiam pro innocente, in Judicio tamen convicto; redundaret in perniciem publicam : populus enim scandalizaretur, viaque aperiretur innocentes opprimendi, & noxios absolvendi. Si enim Judex vellet innocentem punire, diceret se conscientia sua scire eum esse reum. Pariter, & si vellet sceleratum absolvere. Et sic iniquis Judicibus male judicandi aditus pateret. Fateor esse, qui aliter sentiant; sed hæc videtur opinio communior, & æquior fore.

De duplici conscientia Judicis, videlicet Rei, & Dicti.

TITULUS 16.

SEd quia constans est Theologorum sententia quemlibet, qui contra conscientiam facit, peccare.

§. 1. Sciendum igitur, quod duplex est conscientia, videlicet *Rei*, & *Dicti*. Unde Judex licet faciat contra conscientiam Rei, id est, negotii, vel facti, non tamen facit contra conscientiam *Dicti*, hoc est, testimonii. Aliud est enim simpliciter scire, & aliud est, prout debet Judex, scire.

§. 2. Judex autem duplicem personam repræsentat, unam privatam, aliam publicam. Fieri autem potest, ut aliquid sciat tanquam persona privata, & id nesciat tanquam persona publica; sicut Christus dicitur, aliquid scire ut DEUS, & illud nescire ut homo, prout

est illud testimonium Evangelicum: *De die autem illa, & hora* (scilicet extremi judicii) *nemo scit, neque Angeli DEI, neque Filius, nisi Pater solus:* quod intelligitur; Filium nescire ut hominem, scire tamen ut DEUM. Idem est de Sacerdote confessionem audiente, qui etiam interrogatus per viam testimonii, posset dicere, se nescire audita in confessione; quia nescit ut testis. Sic etiam Judex debet informare conscientiam suam in his, quæ ad propriam personam attinent, secundum ea, quæ in publico Judicio sciri possunt.

§. 3. His duo adjungam: *Unum*, quod si sit supremus Judex, ut Papa, & Imperator, vel alius, qui non adstringitur Legibus; tunc debet sequi veritatem. Si vero est Judex inferior; tenetur secundum allegata, & probata, etiam contra conscientiam judicare; nec tunc peccat, quia obstringitur ad id faciendum Juris authoritate.

§. 4. *Secundum* est: quod si Judex sedeat pro tribunali, & contingat aliquem ibi coram eo aliquod delictum facere; tunc potest illum statim punire, ac si probaretur per testes. Melius est enim probare aliquid per ipsum factum, quam per testes. Si vero non sedeat pro tribunali: tunc secus. Nam si Judex ex fenestra prætorii, vel domus suæ intueatur unum, quempiam interficientem: & quoniam hoc homicidium vel non defertur in Judicium, vel delatum non probatur: & Judex voluerit homicidam de

se

se ipso subjicere torturæ, A) ut veritas per illius confessionem eliciatur; certe non poterit. Sola enim Judicis scientia ad hoc non sufficit, ut ad torturam reus deveniat, cum ipse illud nesciat ut Judex, sed ut privata persona: nec ipsius testimonium in hac parte valet; cum in una, & eadem causa nemo possit esse testis, & Judex. Igitur aliunde est edocendus: vel per testes, vel alia documenta, ut possit torquere criminosum.

§. 5. Dubium quoque est de ministris, & executoribus, qui sciunt testes falso juraſſe, vel Judicem judicasse; tamen coguntur a Judice, innocentem interimere, vel aliter punire. Unde communis est Theologorum sententia, eos non debere obtemperare, si pro certo id sciant: secus vero, si dubitent: Quia tunc excusantur propter obedientiæ bonum. Ideo secundum *Sanctum Thomam*, si sententia intolerabilem errorem, & injuriam contineat, non debent obedire: Alioquin excusarentur carnifices, qui Martyres occiderunt. Si vero non adeo manifestam contineat injustitiam; tunc non peccant exequendo, quia sententiam Superioris non habent discutere: Nec ipsi innocentem interimunt, sed Judex, cui ministerium præbent.

A) Confer. p. 3. tit. 20. & 32. Item Kitt. c. 6. q. 8. c. 9. q. 30. ac seqq.

DE TRIPARTITA JURIUM DIVISIONE ET CONSUETUDINUM. INCLYTI REGNI HUNGARIÆ, IN GENERALI.

TITULUS I.

EXpeditis, opitulante DEO, notabilibus, quæ ad introductionem hujus opuſculi præmittenda videbantur, jam ſpeciatim de Conſuetudinis hujus Inclyti Regni Hungariæ tractandum ſupereſt.

§. 1. Quia igitur omnis Conſuetudo Juris, qua utimur, vel ad *perſonas* pertinet, vel ad *res*, vel ad *actiones*: & quia certum eſt, quod omnia Jura reſpectu perſonarum prodierint; ideo dignum videtur, a perſonarum Jure exordium cœptæ materiæ ſumere, deindeque de duabus reliquis conſuetudinarii Juris partibus (non directe quidem ſemper, ſed præpoſtero interdum ordine, prout ſequitur rerum in Judiciis emergentium ſeries, & conditio requirere dignoſcitur) tractare, & ſecundum hoc, præſens opuſculum tripartiri, dignum duxi.

§. 2.

§. 2. In *prima* siquidem ejus parte de his, quæ ad personarum rationem spectant, Nobilitatis scilicet nostræ primordio, libertate: bonorum, Juriumque possessionariorum acquisitione, gubernatione, divisione, venditione, alienatione, concambiali permutatione, præscriptione, pignoratione, metali reambulatione, Jurium Quartalitiorum, ac Dotalitiorum solutione, bonorumque mobilium, & immobilium æstimatione.

§. 3. In *secunda* vero ipsius parte, de rerum, ac causarum, prætextu præmissorum bonorum, & Jurium possessionariorum, aliorumque negotiorum movendorum, & suscitandorum processibus, & executionibus, ac sententiarum exinde ferendarum seriebus.

§. 4. In *tertio* tandem, & ultimo opusculi membro, de causarum, & actionum judiciariarum, in curiam Regiam per viam appellationis ex omnibus Regni Comitatibus; atque de Croatia, Sclavonia, & Transylvania, Sedibusque spiritualibus, deducendarum, ac transmittendarum ordinibus, & modis. Item de liberarum civitatum Legibus, ac causis criminalibus, & earum decisionibus, cum correquisitis semper, & necessariis circa præmissa materiis, rebus, sua serie tractabitur.

DE PRIMA PARTE JURIUM, ET CONSUETUDINUM REGNI IN SPECIALI.

ET PRIMO:

Quod tam Personæ spirituales, quam seculares, una & eadem libertate utuntur.

TITULUS 2.

SCiendum in primis est, quod personarum, de quarum Juribus, & Consuetudinibus nunc agitur, aliæ sunt Spirituales, sive Ecclesiasticæ: aliæ vero Seculares.

§. 1. Et quamvis personæ Spirituales (quarum medio salutem humanam Dominus, & salvator noster administrari voluit) personis secularibus digniores habeantur; a) tamen omnes Domini Prælati, & Ecclesiarum Rectores, ac Barones, & cæteri Magnates, atque Nobiles & Proceres Regni hujus Hungariæ, & ratione Nobilitatis, & bonorum temporalium, una, eademque libertatis, exemptionis, & immunitatis prærogativa gaudent: nec habet Dominorum aliquis plus, nec Nobilis quispiam minus de libertate: Hinc etiam una, eademque Lege, & Consuetudine, ac uno, & eodem Juridico processu in Judiciis utuntur, homagiorum duntaxat quantitas variatur.

§. 2.

a) S. Steph. l. 1. c. 3, a. 10. 1687.

§. 2. Nam Domini Prælati, & Barones centum: Nobiles vero quinquaginta marcas pro homagii suis consequuntur, ut infra clarius dicetur. A) Et hoc quoque non ratione libertatis, sed prætextu dignitatis & officii; Prælati utpote occasione dignitatis Sacerdotii: Barones vero respectu officii, quo funguntur, B) & a Principe sublimantur.

§. 3 Unde & Regi propinquiores in standō, vel sedendo, & primi in consilio voces emittendo, atque priores Rempublicam augmentando, & defensionem Patriæ peragendo, cæteris Nobilibus existunt, virtuteque dignitatis, & officii merito præferuntur. C)

De exordio nostræ Nobilitatis. Et quomodo regimen in Principem nostrum translatum sit?

TITULUS 3.

QUanquam non historiam texere, sed Consuetudines, & peculiares, approbatasque hujus Regni Leges ipse describere constituerim; quia tamen universos Dominos Prælatos, & Barones, ac Nobiles una, & eadem exemptionis, & libertatis prærogativa gaudere dixi; & alioquin dubitari solet a plerisque, unde Nobilitas nostra (de qua Baronatus, & omnis tandem Principatus progredi solet) exordium sumat,

A) p. 2. t. 70. p. 2. t. 32. a. 57. 1723.
B) p. 1. t. 94. a. 10. 1687.
C) a. 7. 1655. a. 11. 1723. Kitt. Dub. 15.

quive sint, & intelligantur veri Nobiles Regni? Ideo paucis ejus Nobilitatis progressum, & initium declarare statui.

§. 1. Ubi sciendum, quod licet secundum communem peritorum sententiam: *Nobilis ille sit, sua quem virtus nobilitat*, in quantum tamen propositum nostrum tangit: *Nobilitas*, quæ etiam *Liberorum* nomine plerumque intelligitur; primum inter *Hunnos*, sive *Hungaros*, post ingressum eorum ex Scythia in Pannoniam, quæ nunc mutato nomine, ab Hungaris illam incolentibus, Hungaria vocitatur, orta fuisse perhibetur, hoc modo:

§. 2. Cum enim egressi ex Scythia Hunni una cum uxoribus, filiisque, & filiabus, ac cuncta eorum familia, plures peragrarent, pervagarenturque Regiones, Capitaneis ordinatis, & uno præterea Rectore ad lites dissidentium sopiendas, furesque, & latrones, ac alios malefactores castigandos unanimiter electo, atque constituto; communi omnium sententia, decretoque edictum fuit: ut dum aliquæ res communitatem æqua sorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio exercitus incumberet, tunc mucro, vel ensis sanguinis aspergine tinctus media Hunnorum per habitacula, castraque deferretur, & vox præconica subsequeretur dicens: *Vox DEI, & præceptum communitatis universæ est, ut unusquisque in tali loco* (eundem designando locum) *armatus, vel quali-*

liter poteſt, compareat, communitatis conſilium ſimul, & præceptum auditurus.

§. 3. Hæc Conſuetudo inter Hungaros uſque ad tempora Geyzæ Ducis, Patris ſcilicet glorioſi Principis, & Apoſtoli noſtri Beatiſſimi Stephani primi Regis Hungarorum, inviolabiliter extitit obſervata. Quæ multos Hunnorum perpetuam redegit in ruſticitatem.

§. 4. Nam ſtatutum, & ſancitum erat, ut transgreſſores ejuscemodi mandati, niſi rationabilem aſſignarent excuſationem, cultro media per viſcera ſcinderentur, aut communem, & perpetuam in ſervitutem redigerentur.

§. 5. Hæc Sanctio plurimos Hungarorum (ut præfertur) plebeæ perhibetur effeciſſe conditionis. Nam cum una, & eadem de generatione, a quodam ſcilicet *Hunnor*, & *Magor*, unanimiter proceſſerint, aliter fieri nequiviſſet, ut hic Dominus, ille ſervus, hic Nobilis, ille ignobilis, & ruſticus efficeretur.

§. 6. Poſtquam vero inſpirante Spiritus Sancti gratia ad agnitionem veritatis, Catholicæque Fidei profeſſionem, opera ipſius Sancti Regis noſtri Hungari venere, & eundem ſponte in Regem elegere, pariter & coronavere; omnis nobilitationis, & ex conſequenti poſſeſſionariæ collationis, qua Nobiles decorantur, & ab ignobilibus ſegregantur, facultas plenariaque poteſtas in jurisdictionem ſacræ Coronæ Regni hujus, & per conſequens in Principem, ac Regem noſtrum a communitate, & communitatis

au-

auctoritate simul cum imperio, & regimine translata est: A quo jam omnis Nobilitatis origo per quandam translationem reciprocam, reflexibilemque connexionem ita mutuo semper dependet, ut sejungi, segregarique nequeat, & alter sine altero fieri non possit.

§. 7. Neque enim Princeps, nisi per Nobiles eligitur, A) neque Nobilis, nisi per Principem creatur, B) atque dignitate nobilitari decoratur.

Quod vero Nobilitas per exercitia militaria, & cæteras virtutes acquiratur, ac possessionaria donatione roboretur.

TITULUS 4.

PRoinde vera Nobilitas usu, disciplinaque militari, ac cæteris animi, corporisque dotibus, & virtutibus acquiritur. Nam ubi Princeps noster quempiam hominum, cujuscunque conditionis existat, ob præclara facinora, ac servitia castro, vel oppido, sive villa, aut alio Jure possessionario condonaverit, mox ille per hujusmodi donationem Principis (statutione legitima subsequente) C) in verum Nobilem creatur, & ab omni rusticitatis jugo eripitur. D).

§. 1. Et ista tandem donativa libertas per nostrates Nobilitas appellatur. Unde talium Nobilium filii merito hæredes, & liberi nuncupan-

A) a. 5. 1547. a. 2. 1687. a. 1. 2. 3. 1715.
B) a. 14. 1606. C) p. I. t. 32. D) a. 30. 1630.

pantur. Et hujusmodi Nobiles per quandam participationem, & connexionem immediate prædeclaratam, membra sacræ Coronæ esse censentur: nulliusque, præter Principis legitime coronati, subsunt potestati.

Quod quilibet de bonis, per eam propriis servitiis conquisitis, libere disponere possit?

TITULUS 5.

TAle autem Jus possessionarium, per exercitia militaria conquisitum, apud Legistas peculium castrense; quod vero literali scientia, vel doctrina cujuspiam acquiritur, peculium quasi castrense nuncupatur. Et dicitur peculium, quasi proprium, vel privatum bonum, ita quod licet filio de eo facere, quidquid voluerit, etiam præter voluntatem Patris, & e contra.

§. 1. Et inde traxit originem, ac fundamentum illa laudabilis, & vetustissima, olimque approbata Consuetudo nostra, quod scilicet quilibet Dominorum Baronum, ac Magnatum, & Nobilium de, & super universis rebus, bonisque, & Juribus possessionariis, per eum propriis suis laboribus, servitiis, & virtutibus, qualitercunque acquisitis, & inventis, ante divisionem cum patre, vel fratribus factam, liberam (prout voluerit) disponendi semper habeat potestatis facultatem: sicuti inferius in serie divisionum inter fratres fiendarum limpidius declarabitur. A)

Quod

A) p. 1. t. 57. Kitt. Dub. 2, 3.

Quod Nobiles etiam absque possessionaria donatione creantur: Quodque ad Nobilitatem comprobandam insignia nobilitaria non sint in Judicio necessaria.

TITULUS 6.

SCiendum ulterius, quod veri Nobiles etiam alio modo,& absque Jurium possessionariorum donatione fiunt, & creantur,dum videlicet Princeps noster quoscunque plebeæ conditionis homines a rusticitatis, & ignobilitatis servitute sequestrando, & eximendo, in cœtum, ac collegium,numerumque verorum Regni Nobilium aggregat, & adscribit. A) Tales, etiam sine possessionaria collatione, veri Nobiles reputantur. Qui quidem Nobiles utroque modo creati, B) & eorundem cuncti hæredes per lineam virilis sexus legitime descendentes (si etiam arma, seu insignia nobilitaria, aut literas super armorum figuris, & collationibus editas non habeant) veri tamen semper Nobiles censentur.

§. 1. Arma enim a Principe cuipiam concessa non sunt de necessitate, sed solummodo de bene esse Nobilitatis. Nam armorum collatio simpliciter facta non nobilitat quempiam: Cum etiam civium, & plebeorum hominum multi habeant armorum insignia per Principem do-

A) a. 15. 1649. a. 30. 1630. a. 36. 1655. a. 17. 1622.
B) a. 29. 1687. a. 26. 1687. a. 77. 1550. a. 23. 1715. a. 73. 77. 1550. a. 50. 1542. a. 18. 1575. a. 32. 1484. a. 94. 1647.

donata, per hæc tamen in numerum Nobilium non computantur.

§. 2. Ad Nobilitatem itaque comprobandam non petuntur in Judicio exhiberi insignia, vel arma nobilitaria; sed solæ literæ donationales, vel statutoriæ, cum declaratione possessionariæ collationis editæ produci debent: imo illis non habitis, literæ duntaxat expeditoriæ super solutione Quartalitiorum (dummodo tempus præscriptionis Jurium regalium transcendisse dignoscatur) confectæ, ad comprobationem hujusmodi Nobilitatis abunde sufficiunt.

§. 3. Nam Quartalitia non nisi de Juribus possessionariis *acquisitis* solvuntur.

§. 4. De Juribus autem *emptitiis* non Quartalitia, sed portiones congruentes puellis, & filiabus Baronum, & Magnatum, atque Nobilium dantur.

Quod ex Nobili Patre, & ignobili Matre generati veri Nobiles censeantur, sed non e converso.

TITULUS 7.

ITem illi, qui ex Nobili duntaxat matre, & rustico patre sunt propagati, a) veri Nobiles non dicuntur: nisi forsitan mulier ipsa fuisset per Regem in verum hæredem Jurium paternorum

a) p. 1. t. 22. 51. a. 20. 1435. p. 1. t. 29. a. 70. 1659. a. 18. 1687.

rum (sine tamen præjudicio legitimorum successorum) præfecta, atque creata.

§. 1. Nam hoc modo filii sui, etiam ex ignobili patre progeniti (quia præfectio naturam, vimque donationis, ac Jurium possessionariorum collationis sapit, atque repræsentat) veri Nobiles reputantur.

§. 2. E contra vero ex Nobili patre, & ignobili matre filii procreati, recti, & veri Nobiles censentur.

§. 3. Pater enim generat, mater autem formam solum generandi dat, & præstat.

§. 4. Qualiter autem præfectio prænotata fieri possit, & debeat, inferius eam scriptam habebis. A)

Quod etiam per adoptionem Nobiles fiant, & creentur.

TITULUS 8.

Item fiunt adhuc & alio modo Nobiles per adoptionem: dum videlicet quis Dominorum, vel Nobilium rusticum; seu ignobilem quempiam in filium B) sibi adoptaverit, & successorem, hæredemque bonorum suorum substituerit, & hujusmodi adoptioni consensus Regius accesserit: tandem & statutio legitima bonorum ipsorum subsecuta fuerit (quia adoptio æque, sicut præfectio cum consensu Regio vim donationis te-

A) p. 1. t. 17. 50. 32. B) p. 1. t. 66.

tenet) ignobilis ille, & filii sui veri Nobiles reputantur.

De quatuor privilegiatis, & præcipuis Nobilium libertatibus.

TITULUS 9.

QUamvis autem horum Nobilium multæ sunt libertates, per privilegia, & constitutiones Principum explicatæ; quatuor tamen censentur esse præcipuæ, quas hic inferendas curavi.

§. 1. *Prima* igitur est, quod ipsi, nisi citati, vel vocati, ordineque judiciario condemnati fuerint, in eorum personis, ad quorumvis instantiam, vel clamores, aut preces nusquam, & per neminem detineri possint. A)

§. 2. Violatur tamen hæc libertas in factis, causisque criminalibus, B) puta: homicidio deliberato, villarum combustione, furtoque, & rapina, seu latrocinio, atque etiam violenti adulterio; in quibus honorem, titulumque, & libertatem Nobilitatis quilibet amittit. Etsi poterit etiam per rusticam manum in loco delicti, & criminis commissi, libere semper talis detineri, & juxta suos excessus condemnari, punirique merito valebit.

A) And. II. a. 2. â. 5. 1723.

B) S. Steph. l. 2. c. 51. a. 7. 1715. â. 5. 1723. â. 14. 1601. a. 31. 1598. a. 65. 1622. a. 2. 1462. a. 6. 1435. â. 14. 1687. â. 13. 1625. â. 38. 1655.

§. 3. Verumtámen, si de loco delicti aufugerit, & manus adversantium evaserit; postea non aliter, nisi citatione, vel evocatione mediante, processuque juridico damnari, & aggravari debebit. A)

§. 4. *Secunda* libertas, quod Nobiles totius Regni nullius, præterquam Principis legitime (ut prætactum est) coronati, sublint potestati; & ipse quoque Princeps noster ad simplicem querelam, & siniſtram suggestionem alicujus, neminem eorum præter viam Juris, & altera parte non audita, in persona, vel rebus suis ordinaria authoritate impedire potest. B)

§. 5. *Tertia* est, quod justis eorum Juribus, & omnibus proventibus intra terminos territoriorum suorum adjacentibus, liberam semper, prout volunt, fruendi habent potestatem ab omnique conditionaria servitute, ac datiarum, & collectarum, tributorum, vectigalium, tricesimarumque solutione per omnia immunes, & exempti habentur: militare duntaxat pro Regni defensione tenentur. C)

§. 6. *Quarta* (ut reliquas præteream) & ultima est, quod, si quispiam Regum, & Principum nostrorum libertatibus Nobilium, in generali Decreto Excellentissimi Principis quondam Domini secundi Andreæ Regis cognomen-

A) p. 3. t. 32. a. 16. 1659. B) a. 5. 1723.
C) Andr. II. a. 7. a. 8. 1715. a. 16. 1557. a. 6. 14. 92. 1723.

mento Hierosolymitani (ad quod observandum quilibet Regum Hungariæ, priusquam suum caput sacro diademate coronetur, sacramentum præstare solet) declaratis, & expressis contravenire attentaret, tunc sine nota alicujus infidelitatis, liberam illi resistendi, & contradicendi habent in perpetuum facultatem. A)

§. 7. Per Nobiles autem hoc in loco generaliter universos Dominos Prælatos, Barones, cæterosque Magnates, & alios Regni hujus Proceres intellige, qui (sicuti prænarratum est) una, ejusdemque libertatis prærogativa semper muniuntur. B)

Quod Princeps noster cunctorum Dominorum Baronum, ac Nobilium Regni verus, & legitimus successor sit.

TITULUS 10.

QUia dictum est superius, quod omnis Nobilitatis, & possessionariæ collationis plenaria potestas in principem nostrum translata sit: ideo advertendum, quod Princeps ipse noster universorum Dominorum, Baronum, & Magnatum, ac aliorum Regni Nobilium, possessionatorumque hominum, in casu, quo quis eorum

A) a. 3. 1687.

B) Andr. II. a. 3. a. 50. 1492. a. 70. 1563. a. 4. 1613. a. 70. 1563. a. 43. 1729. a. 59. 1618. a. 37. 1574. a. 6. 1351. a. 39. 1498. a. 27. 1595. Andr. II. a. 15. 22.

sine hæredibus, & posteris decesserit, verus, & legitimus successor sit.

§. 1. Omnia enim bona, & Jura eorum possessionaria ab ipsa sacra Regni Hungariæ Corona, virtute translationis prænotatæ, orginaliter dependent, & ad eandem semper respiciunt, devolvunturque eorum possessore legitimo deficiente.

§. 2. Unde inolevit ista Consuetudo dudum approbata, quod unica, & singularis persona existens, utroque, nec non legitimo successore carens, ac destituta, super Juribus sui possessionariis sine consensu Regio nil quidquam Jure perennali disponere potest. Imo etiam pignoris titulo nullam de eisdem fassionem, ultra *communem æstimationem* A) eorundem, faciendi habet facultatem, B) prout infra latius suo loco super ea retractabitur.

§. 3. Præterea cunctorum quoque Dominorum, Prælatorum, & virorum Ecclesiasticorum Princeps ipse noster verus pariter, & legitimus successor est: Non quantum ad Bonorum, & Jurium possessionariorum ab Ecclesia ablationem, & sequestrationem, sed quantum alteri (vacantibus Prælaturarum Sedibus, & Ecclesiarum Rectoratibus) ad gubernandum cum Ecclesia collationem: Salvo Jure confirmationis Archi-Episcopatuum, & Episcopatuum, quæ juris-

A) p. 1. t. 60. 64. 65.
B) a. 53. 1625. a. 90. 1635. a. 125. 1647. a. 52. 1655.

jurisdictioni sacro-sanctæ Romanæ duntaxat Ecclesiæ subesse dignoscitur.

Quod Papa in collationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum in hoc Regno nullam jurisdictionem retinuit, præter confirmationis auctoritatem.

TITULUS II.

SCiendum autem, quod licet Papa, seu Summus Pontifex utramque jurisdictionem, temporalem scilicet, & spiritualem habeat; in collationibus tamen Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium in hoc Regno Summus ipse Pontifex nullam jurisdictionem exequitur, præter confirmationis auctoritatem: Et hoc quadruplici ratione.

§. 1. *Primo*, ratione fundationis Ecclesiarum: Quia Reges Hungariæ, cum soli fuerint omnium Ecclesiarum, & Episcopatuum, Abbatiarumque, & Præpositurarum in hoc Regno fundatores; per ejuscemodi fundationem omnem facultatem Juris patronatus, nominationis, electionis, ac collationis Beneficiorum sibiipsis acquisierunt, & vendicarunt: Qua ex causa, Juris videlicet Patronatus ratione, pertinet semper ad Reges nostros hoc in Regno Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio.

§. 2. *Secundo*, ratione susceptæ Christianitatis: Quia Hungari non per prædicationem Apostolicam, vel Apostolorum, quorum Princi-

pis vicem, & personam in terris Papa gerit, sed per institutionem propriiRegis eorum, Sanctissimi videlicet Stephani Regis, de quo & superius memini, conversi sunt adCatholicam Fidem: qui primus omnium Episcopatus, Abbatias, Præposituras hoc in Regno fundavit, & harum omnium Ecclesiarum Prælaturas, ac Beneficia solus ipse, ex nutu Summi Pontificis, quibus maluit (idoneis tamen, & virtutibus probitatum insignitis) contulit. Sicuti Ecclesia de eo solenniter canit: *Hic* (videlicet Sanctus Stephanus) *ad instar Salomonis, struit Templa, ditat donis, ornat gemmis, & coronis cruces, & altaria.* Et mox subinfertur: *Ad regendum hæc, Prælatos, viros ponit literatos, justos, fidos, & probatos, ad robur fidelium. Sic talentum sibi datum, DEOreddens duplicatum, ab æterno præparatum sibi, scandit solium.* Ecce aperte describitur, quod ipse, & non alter quispiam ad regenda templa per eum constructa, donisque ditata Prælatos justos, & fidos posuit, prout ex ejus quoque historia, & pluribus privilegiis super Ecclesiarum fundationibus, & dotationibus confectis liquide patet. Itidem & plerique Cæsarii, ac Pontificii Juris interpretes suis commentariis conscriptum prodidere.

§. 3. Unde etiam *Rex*, & *Apostolus* dici meruit, eo quod vices Apostolorum in terris, prædicatione, & bonorum operum, atque exemplorum exhibitione gessit. Et propterea duas quoque cruces per collationem Summi Pontifi-

cis

cis in signum suæ sanctitatis, quod scilicet Rex, & Apostolus juste diceretur, digne meruit habere pro armorum insignibus. Unde ab illius tempore gens Hungarica *duplicatam crucem* pro armis, ac insignibus habere pariter, & gestare consuevit. Insignium namque quatuor fluminum; scilicet Histri, seu *Danubii*, ac *Thybisci*, seu Thyciæ, nec non *Zavæ*, & *Dravæ*, a Regno Pannoniæ, quod modo Hungari incolunt, atque inhabitant, pro se vendicavit.

§. 4. *Tertio*, ratione legitimæ præscriptionis; quoniam Reges Hungariæ a tempore regiminis ejusdem Beatissimi Stephani nostri Regis, qui anno Dominicæ Incarnationis primo supra millesimum in Regem Hungaricæ gentis feliciter inunctus pariter, & coronatus est, ad hæc usque tempora semper in reali, & pacifico usu, ac possessione collationis hujusmodi beneficiorum Ecclesiasticorum plus quam per quingentos annos persistentes, tempus præscriptionis Jurium Ecclesiasticorum, etiam sanctæ Sedis Apostolicæ, iteratis vicibus dudum transcenderunt.

§. 5. *Quarto*, quia ista libertas Regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore Domini *Sigismundi* Imperatoris, & Regis nostri una cum complurimis libertatibus hujus Regni in generali, ac celebri Concilio Constantiensi (cui triginta, & duos Cardinales, demptis aliis viris Ecclesiasticis, & multis Principibus Christianis præfuisse constat) corroborata, jurisque

jurandi religione firmata fuit: Prout in Bulla superiende confecta clare continetur.

§. 6. Hoc autem Concilium (ut summarie, brevissimeque tangam) per quadriennium duravit: Nam anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto incepit. In quo Concilio tandem anno salutis millesimo quadringentesimo decimo septimo Papa *Otto* qui *Martinus* quintus appellatus est, electus extitit. Postea vero anno sequenti, videlicet millesimo quadringentesimo decimo octavo, idem Concilium ipsius Martini Pontificis, præfatique Sigismundi Imperatoris jussu dissolutum fuit. Et in eodem Concilio *Joannes vigesimus tertius* se Pontificatu (licet invitus) abdicavit, *Gregorius* vero sponte cessit, & renunciavit. Sed *Benedictus* pene resistens, & cedere nolens, decreto Concilii reprobatus, ac Pontificatu privatus extitit. Et in eodem Concilio *Joannes Huss*, & *Hieronymus Pragensis* ejus condiscipulus *hæretici combusti*, *& incinerati* fuerunt. a) Schisma vero, pro quo tollendo, & dirimendo Concilium ipsum (Spiritus Sancti gratia movente) congregatum pariter, & celebratum erat, novem, & triginta annis durasse recolitur; Quod tandem opera ipsius Sigismundi Imperatoris sublatum extitit; atque pax, & tranquillitas peroptata DEI Ecclesiæ feliciter restituta est.

Quod

a) Confer. Lud. II. *An.* 1529. a. 54. Ejusd. 1525. a. 4. p. 1. t. 14. Matt. D. 1. a. 2. & Ulad. D. 2. a. 4.

Quod omnes Domini Prælati, & personæ Ecclesiasticæ Regi nostro ad fidelitatis homagium *præstandum obligentur: Et quod ratione bonorum temporalium coram Judicibus secularibus Juri stare teneantur.*

TITULUS 12.

CUm igitur collatio Beneficiorum Ecclesiasticorum simul cum Bonis, & Juribus possessionariis ad Ecclesias DEI pertinentibus, ad Principem, & Regem nostrum spectare dignoscatur; ideo omnes viri Ecclesiastici cujuscunque ordinis, gradus, ac dignitatis existant, qui in hoc Regno Hungariæ castra, castella, fortalitia, civitates, oppida, villas, possessiones, & prædia, vel etiam alia quæcunque Jura possessionaria gubernant, & possident, non obstante dignitatis, & exemptionis eorum prærogativa, & libertate, A) Regi, & Principi hujus inclyti Hungariæ Regni legitime coronato, instar personarum Secularium ejusdem Regni, ad *homagium fidelitatis* præstandum semper obligantur. B)

§. 1. Et ratione hujusmodi Bonorum temporalium, quæ possident, quorumlibet etiam actuum potentiariorum, ac aliorum negotiorum inde emergentium; in præsentiam quorumlibet Judicum Regni ordinariorum, ab eorum adversariis (siquos habuerint) in causam libere con-

A) c. 4. de Immunitate Eccles. c. 2. de Foro compet. in 6.
B) p. 2. t. 44. 54. Litt. Dub. 5.

veniri, & attrahi possunt: Coram quibus more aliorum Secularium respondere, Jurique stare tenentur. A)

De Donationibus Regiis, & earum speciebus in generali.

TITULUS 13.

QUoniam omnes Domini Prælati, Barones, Magnates, Nobilesque, & Proceres totius Regni Hungariæ, nec non Regnorum eidem incorporatorum, ac partium sibi subjectarum, cujuscunque status, conditionis, dignitatisque, & præeminentiæ existant, universa eorum Jura possessionaria ex Donationibus Serenissimorum Dominorum Regum Hungariæ habent, atque possident; in primis igitur de Donationibus Regiis, & earum speciebus in generali dicendum occurrit.

§ 1. Ubi sciendum est, quod Donatio Regia duplex sit; scilicet *pura*, & *mixta*.

§. 2. *Pura* Donatio est Jurium possessionariorum in Jurisdictionem sacræ Coronæ Regni legitime redactorum perennalis per Principem cuipiam ob servitia, vel præclaras virtutes facta collatio.

§. 3. *Mixta* vero Donatio dicitur illa, quæ ultra servitium, etiam summam aliquam pe-

A) p. 2. t. 48. 49. a. 16. 1647. Principes Germaniæ Ecclesiastici ratione Beneficiorum, & Bonorum Feudalium immediate Imperio subjecti sunt. Gail. lib 1. obs. 30. n. 1. & seqq.

pecuniarum complectitur. Et talis usitato vocabulo *inscriptio* nuncupatur.

§. 4. Regia enim Majestas (ex prædeclarata jurisdictione sacræ Coronæ Regni hujus Hungariæ) de & super universis Juribus possessionariis, quorumcunque decedentium, & semine, vel hæredibus destitutorum, ac deficientium, liberam (prout voluerit) disponendi, pro se scilicet reservandi, vel alteri, cui maluerit, A) conferendi, aut inscribendi, plenariam semper habet potestatis facultatem.

§. 5. Et ne pravorum hominum patrata malitia, impunita relinqueretur, neve Nobilitas, & rusticitas æqualis æstimationis censeretur: rursus, ne fidelitas, ac infidelitas simile præmium sortiretur. Ad conterendam igitur infidelium proterviam, & rebellionem, pravorumque, & flagitiosorum hominum male agendi licentiam reprimendam, Majores nostri non solum Jura possessionaria aliquorum in semine (ut dictum est) deficientium; verum etiam contra statum publicum Regni hujus, ex eoque in despectum dignitatis Regiæ Majestatis contumaciter sese erigentium, ac alios præter Juris æquitatem absolute, temerarieque turbantium, ad sacram Coronam dicti Regni Hungariæ, consequenterque collationem Regiam, etiam superviventibus illis devolvenda esse, tam Juris rigore exigente, tum vero Reipublicæ utilitate exposcente, communi Decrero sanxerunt, ac statue-

A) a. 31. 1599 a. 15. 1608. a. 31. 1630. a. 75. 1659.

tuerunt: A) ut exemplo punitionis sceleratorum alii terreantur, alii vero ad opera fidelitatis exercenda, atque peragenda, si quibus forsitan taliabonacollatafuerint, ferventius accendantur.

De casibus notam infidelitatis afferentibus.

TITULUS 14

SUnt igitur casus isti, & vocantur notæ infidelitatis, B) in quibus Regia Majestas bona aliquorum, eisdem superviventibus, cui voluerit, de Jure, libereque donandi habeat facultatem. C)

§. 1. *Primus* est de crimine læsæ Majestatis; si quis videlicet impias manus in personam Principis nostri injecerit, vel capiti ejus gladio, aut veneno insidiatus fuerit: sive murum, aut domum, in qua Princeps ipse extiterit, violenter invaserit. D)

§ 2. *Secundus* casus, est, si quis evidenter se erigit, & opponit contra statum publicum Regis, & Coronæ: Hæc tamen erectio, seipsum juste defendendo, notam afferre non intelligatur.

§. 3. ITEM, qui conficit falsas literas, E) vel falsis literis evidenter utitur in Judicio. Aut qui sculpit, vel utitur falsis sigillis.

§. 4.

A) a. 7. 9. 1715. B) a. 9. 10. 11. 12. 1723. C) a. 9. 1715. D) a. 7. 1715. a. 5. 9. 1723. S. Steph. l. 2. c. 51. a. 62. 1715. E) p. 2. t. 16.

§. 4. ITEM cusores falsarum monetarum, vel eisdem monetis scienter, & publice in magna quantitate utentes.

§. 5. ITEM occisores, vel vulneratores fratrum, ac consanguineorum suorum, usque ad quartum gradum inclusive. Nec non patricidæ, uxoricidæ, ac matricidæ. Verumtamen uxoricidium, & mariticidium, intellige præter Juris processum, & æquitatem, patratum.

§. 6. ITEM stupratores consanguinearum, similiter usque ad quartum gradum inclusive, Aut novercarum violatores, incestuosi, dum fuerint evidenter convicti, vel proscripti.

§. 7. ITEM incendiarii publici villarum, & possessionum.

§. 8. ITEM inductores exterorum hominum spoliatorum, vel stipendiariorum, ad disturbandum internum Regni statum.

§. 9. ITEM violatores literarum fidei publicæ, vel salvi conductus, dum evidenter fuerint convicti.

§. 10. ITEM traditores castrorum Dominorum propriorum. Nec non expugnatores, & interceptores, aut subtractores castrorum, vel castellorum, aut aliorum fortalitiorum quorumcunque regnicolarum, dum evidenter fuerint convicti.

§. 11. ITEM interemptores, captivatores, verberatores, vel vulneratores Judicum Ordinariorum Regni, & eorundem vices in Judiciis gerentium.

§. 12.

§. 12. ITEM occisores litigantium, seu causantium, sive ad Regiam Majestatem, aut ad octavas, vel brevia Judicia, sive ad Sedem Judiciariam alicujus Comitatus, aut alia quæcunque loca Judiciorum, ad causarum scilicet prosecutionem proficiscentium, vel ad diætam, & convocationem generalem, de Regio Edicto celebrandam, venientium, & accedentium. A)

§. 13. ITEM occisores, vulneratores, aut verberatores hominum Regiorum, ac Testimoniorum Capituli, vel Conventus in executione aliqua procedentium.

§. 14. ITEM *publici hæretici*, damnatæ scilicet hæresi adhærentes.

§. 15. ITEM mutilatores membrorum, & eruitores oculorum: Præter Banos, Wayvodas, & alios, honores in confinibus Regni tenentes.

§. 16. ITEM amissores castrorum finitimorum Regni.

§. 17. ITEM administratores armorum, & victualium Turcis, & aliis infidelibus, Regni scilicet hujus æmulis, & hostibus.

§. 18. ITEM turbatores, detentores, & spoliatores illorum, qui sectæ eorum damnatæ renunciantes, ex Turcia ad istud Regnum confugiunt moraturi.

Quod

A) a. 55. 1715. Kitt. q. 5. c. 2.

Quod bona latronum, furum, & homicidarum Donationi Regiæ non subjaceant.

TITULUS 15.

EX præmissis itaque casibus subsequitur, quod furum, ac latronum, seu prædonum, & aliorum ejusmodi spoliatorum; Item homicidiarum, & alio modo Nobiles vulnerantium, seu verberantium (demptis casibus prædeclaratis) domosque eorum violenter invadentium; nec non possessiones, & Jura possessionaria, territoriaque aliorum deprædantium, vel occupantium bona, & Jura possessionaria in Fiscum Regium non devolvuntur, neque collationi Regiæ Majestatis subjacere dignoscuntur: sed tales capitali duntaxat sententia, fures scilicet patibulo, prædones vero palo, vel rota, cæteri autem gladio, juxta scilicet eorum demerita sunt feriendi, atque puniendi.

§. 1. Bona vero, & Jura possessionaria ipsorum (si morte damnati fuerint) in filios; vel illis non existentibus, in fratres eorum *in generando efficaces, & sufficientes*, aut legitimos eorum successores, derivantur. A)

§. 2. Ubi autem gratia Regia illis concessa, & sententia nihilominus executa fuerit; tunc Jura ipsorum possessionaria, a manibus Judicis, & adversæ partis, B) ad instantiam scilicet, cujus sententia lata exiterit, per filios,

aut

A) p. 2. t. 55. a. 55. 1536. Kitt. c. 9. q. 3. 39.
B) p. 2. t. 60. Kitt. Dub. 6.

aut fratres ipsorum generationales vel alios successores legitimos, æstimatione communi mediante redimuntur: prout in Sententiarum seriebus in secunda parte clarius dicetur. a)

Quod differentia sit inter notam infidelitatis, & sententiam capitalem dupliciter.

TITULUS 16.

DIfferentia itaque est inter notam infidelitatis, & Sententiam capitalem dupliciter, *Primo*, quia *per notam infidelitatis* & caput, & hæreditas, seu perpetuitas omnium bonorum, Juriumque possessionariorum infidelis hominis amittitur, & nunquam hæreditas ipsorum Jurium possessionariorum, ad portionem suam cedentium, in filios, vel fratres generationales, talis infidelis, aut labe infidelitatis aspersi, obfuscatique, & condemnati hominis (si etiam capite plecteretur) de cætero revertitur.

§. 1. Imo genealogia sua, vel generationis suæ propago in ignominiam, comtemptumque infidelitatis, & in laudem præclaræ virtutis illibatæ fidelitatis, quantum ad devolutionem bonorum, a se perpetuo aliena efficitur. Filios tamen intellige jam natos, & non nascituros. Nam post paternam condemnationem, seu labe infidelitatis ejus innodationem filii nascituri in juribus paternis (si gratiam Regiam, & Dominium adhuc bonorum suorum paternorum

a) p. 2. t. 56. 57.

rum consecutus fuerit) merito, riteque succedent.

§. 2. GRATIA tamen hæc Regia ad successionem mutuam, quantum super devolutione bonorum, generationi suæ (demptis filiis post condemnationem procreandis)A) in nulla parte suffragabitur. Nec trahit alios filios prius natos, vel fratres generationales ipsa gratia cum condemnato illo ad priorem successionis eorum statum, nisi mutuus super devolutione bonorum ex novo contractus per fassiones instrumentales inter eos sequeretur, & consensus superinde Regius impetraretur. Hoc enim modo, & non aliter, mortua, & amissa successio vivificabitur.

§. 3. *Per sententiam* vero *capitalem* B) proprietas, & hæreditas bonorum, ac Jurium possessionariorum non amittitur, sed si sententia condemnatus quispiam, extremo supplicio punietur; tunc universa bona, & Jura sua possessionaria in filios (si habuerit) vel fratres suos propinquiores, aut alios legitimos successores simpliciter devolvuntur.

§. 4. Si autem gratiam Regiam meruerit, & executio sententiæ nihilominus per adversam partem peracta fuerit; tunc eadem Jura possessionaria filii, vel fratres, aut alii legitimi successores, æstimatione (ut præfertur) communi, in termino per Judicem ad id præfigendo, ad se redimendi habent authoritatem.

A) p. 1. t. 49. B) Ulad. D. 1. a. 74.

§. 5. *Alia* insuper *differentia* inter notam, & sententiam est; quoniam condemnatus homo cum adversa parte, etiam post latam, & pronuntiatam sententiam (ante tamen ejusdem sententiæ executionem) si concordaverit, aut concordare poterit; tunc illi neque gratia Regia est necessaria, neque Judex se in dominium bonorum, ac jurium possessionariorum ipsius sententiati hominis ingerere poterit.

§. 6. Notam tamen infidelitatis si quis incurrerit; si etiam cum eo, quem in casibus prænarratis læsit, plene concordaverit, ab impetitione tamen illius, cui Regia Majestas bona, & Jura possessionaria per aliquam notam contulit, se præcavere non poterit: Ex jurisdictione etenim sacræ Coronæ Regni hujus, contra cujus utpote dignitatem, auctoritatemque infidelis ipse deliquit, & ex consequenti collatione Regiæ Majestatis; Impetrator ejuscemodi bonorum, & Jurium possessionariorum liberam agendi, procedendique, & ea bona, Juris ordine observato, pro se vindicandi, & appropriandi plenariam habet potestatis facultatem.

Qui sint, & intelligantur hæredes, & posteritates? & *qualia bona solum masculinum, qualiave utrumque sexum concernant?*

TITULUS 17.

CÆterum quia ab inceptæ materiæ prosecutione (ob occurrentem, & quidem necessa-

fariam *notæ*, & *sententiæ* hoc in loco declarationem pariter, & distinctionem) digressionem feci; igitur ad Donationum Regiarum evidentiorem explanationem revertendo, & *Primo* clausulam illam; *Sine hærede decedentium*, vel *in semine deficientium* a) declarando.

§. 1. *Notandum* est, quod quamvis appellatione *posteritatum*, omnes de Jure patri, vel matri succedere debentes (etiam posthumis inclusis) sive mares, sive fœminæ sint, intelligantur: prolium vero nominatione tum filii, tum filiæ, jam nati, vel natæ, posthumis exclusis, significentur: liberorum autem nuncupatione & filii, & filiæ, nepotesque, & neptes pariter contineantur: tamen de vetusta, & approbata Regni hujus nostri Consuetudine, *hæredes* solummodo *filii legitimi*, qui Juribus paternis hæreditariis succedere solent, intelliguntur.

§. 2. Licet in casu, quo bona, & Jura possessionaria paterna, vel etiam materna, utrumque sexum, tam scilicet mares, quam etiam fœmellas concernere dignoscuntur: Hæredis nomen ipsæ quoque filiæ (licet improprie) gerere permittantur; Filiæ itaque, quia non omnibus bonis, & Juribus paternis participant, ideo recte *non hæredes*, sed *posteritates* potius nuncupantur.

§. 3. Et posteritates quoque dicto nuncupari, non quantum ad Jurium paternorum communiter, & semper devolutionem; sed quantum

a) p. 1. t. 60.

tum ad sanguinis propagationem, & in casibus quibus legitime sortiuntur bonorum paternorum, vel maternorum successionem.

§. 4. Nam Jura duntaxat possessionaria pecuniis paternis, aut maternis empta, & comparata: Præterea in homagium alicujus interempti Nobilis data, & obligata: Cæterum pro Jure Quartalitio, seu in sortem refusionis, & restitutionis quartæ puellaris perpetuo collata, & inscripta, dummodo hujusmodi perennalis inscriptio Quartalitii non sit in præjudicium fratrum, vel aliorum rite succedentium facta: Item illa etiam Jura possessionaria, in quibus aliquæ puellæ, vel fœminæ per Regiam Majestatem (sine tamen præjudicio fratrum generationalium) in veros successores quoad utrumque sexum præficiuntur; Jus fœmineum æque, veluti masculinum sequuntur.

§. 5. Alia vero universa Jura possessionaria, qualitercunque acquisita, solummodo Juri masculino deserviunt.

§. 6. Et dixi notanter: *pecuniis paternis*, vel *maternis empta*, quoniam in bonis, & Juribus possessionariis, pecuniis aliquorum fratrum comparatis, puellæ, seu fœminæ, sorores videlicet eorum nil Juris habere possunt: neque collaterali modo ipsæ fœminæ succedere, aut portionem aliquam acquirere permittuntur; sed Juribus tantum de paternis; aut portionem congruentem, in casibus immediate præscriptis,

aut

aut Jus Quartalitium A) pro se requirendi habent auctoritatem.

§. 7. Dixi etiam: *Quoad utrumque sexum* pari modo notanter, nam in casu, quo Regia Majestas puellam, seu mulierem aliquam in Juribus paternis, vel etiam fraternis (si frater ipse hæredibus careat, & præfectioni consentiat) in verum hæredem, & successorem masculinum simpliciter præfecerit; B) non inferendo scilicet in literis præfectionalibus utrumque sexum; tunc hujusmodi Jura possessionaria, mortua ipsa muliere, solummodo in filios (si habuerit) aliter autem rursum in Fiscum Regium devolvuntur: Et filiæ suæ, Juribus duntaxat earum Quartalitiis, de eisdem juxta hujus Regni Consuetudinem provenire debentibus, contentari debent.

Quare Jura possessionaria servitiis acquisita Jus fœmineum non sequantur?

TITULUS 18.

SI autem quæratur, quare bona, ac Jura possessionaria *servitiis acquisita*, C) jus fœmineum non sequantur? Respondet, quod ideo; quia Regnum istud Hungariæ cum partibus sibi subjectis in medio, faucibusque hostium situm, & positum est, quod gladio semper, & armis tutari, defendique solet: Bona etiam, & Jura

A) p. 1. t. 88. B) Conf. p. 1. 7. & 50.
C) p. 1. t. 5. 57. a. 26. 1715. §. *pure, & non mixte.* Kitt. Dub. 7

possessionaria (ut communiter) arte militari, sanguinisque effusione progenitores nostri acquisierunt, & modo quoque acquiri consueverunt. Mulieres autem, & puellæ armis militare, cum hostibusque decertare non solent, neque possunt: Et ob hoc bona ipsa Juri fœmineo non deserviunt.

E contra, cur Jura possessionaria pecuniis empta, *Jus fœmineum æque, ac masculinum concernant?*

TITULUS. 19.

SI vero e contrario quæratur, cur Jura possessionaria pecuniis (ut præmissum est) paternis, aut maternis empta, Jus fœmineum æque, ac masculinum concernant? Dic, quod ideo; quoniam *pecuniæ inter res mobiles computantur*, a) de rebus autem mobilibus tam paternis, quam etiam maternis & filii, & filiæ æquales portiones sortiuntur, & ex consequenti etiam de bonis, & Juribus possessionariis hujusmodi pecuniis (de quibus, utpote decedente patre, vel matre, filiæ portionem habere debebant) comparatis, portiones congruentes ipsis filiabus dantur.

§. 1 Licet originem, & fundamentum considerando, quod etiam pecuniæ maximis servitiis, & laboribus, interdumque ingenti sanguinis effusione acquiri, & congregari consueverint:

a) p. 1. t. 102.

rint: Et quod onera bellorum, & defensionem patriæ mulieres, seu puellæ per se gerere, sustinereque non possint; etiam de emptitiis bonis, & Juribus possessionariis portiones perpetuas non mereantur habere: ne tamen a successione rerum, & bonorum paternorum penitus excluſæ viderentur; fraternus amor, & dilectio filiorum, qua erga sorores afficiuntur, & Jure quoque Divino affici tenentur, permisit filias portiones congruas perennali Jure cum eis pariter de prænarratis bonis, ac Juribus possessionariis emptitiis habere, & onera bellorum, tutelamque patriæ hac in parte maritis ipsarum imposuit peragere, atque sufferre,

Utrum bona, nota infidelitatis condemnati, utrumque sexum concernentia, post factam gratiam iterum utrique sexui deserviant?

TITULUS 20.

ITem quæritur; si quis in nota infidelitatis condemnatus fuerit, cujus bona, Juraque possessionaria utrumque sexum, masculinum scilicet, & fœmininum contigissent, atque secuta fuissent, & tandem ipse condemnatus capiti, ac bonis suis gratiam Regiam habere meruerit, utrum filiæ, post gratiam nascituræ, in bonis paternis æqualiter cum filiis succedant, an non? Quandoquidem priora privilegia per ipsam notam infidelitatis mortificata fuere.

§. 1. Dicendum, quod sic: Quia per gratiam Regiam omnia privilegia priora ipsius infidelis, quantum ad hæredes, ac posteritates post se (directe tamen, & non collaterali modo) sequentes, vivificantur, roburque prioris firmitatis sortiuntur, & ex consequenti bona illa rursus utrumque sexum sequuntur.

§. 2. Nisi forsitan in literis gratiosis exceptio pet expressum superinde fieret; Nam in potestate Principis consistit gratiæ collatio, & bonorum ipsorum remissio.

§. 3. Quemadmodum igitur, & quibus sub conditionibus Princeps ipse gratiam fecerit, illaque bona remiserit; sic etiam de cætero bonorum eorundem successio sequetur.

§. 4. De filiabus autem, ante condemnationem paternam natis, nulla est quæstio: Nam illæ portiones suas ob patris delictum non amittunt, A) ad successionem tamen mutuam cum eo amplius (sicuti in serie differentiarum notæ infidelitatis, & sententiæ capitalis prænarratum est) B) non deveniunt.

An bona tum pro servitiis, tum pecuniis simul collata, utrumque sexum sequantur?

TITULUS 21.

Quæritur ulterius; si Regia Majestas, aut quispiam Dominorum, vel Nobilium Jus aliquod possessionarium, sive castrum, aut fortaliti-

A) a. 9. 1715. B) t. 16.

litium, sive oppidum, villa, vel prædium existat, tum pro servitiorum exhibitione, vel beneficiorum, & complacentiarum impensione, tum vero pro certa pecuniarum summa in literis superinde Donationalibus, aut etiam Fassionalibus expressa simul cuipiam perpetuo contulerit, & inscripserit; utrum hujusmodi Jus possessionarium utrumque sexum sequatur, an autem masculino duntaxat sexui deserviat?

§. 1. Dicendum, quod virilem solummodo sexum concernat A) eo quod bonorum acquisitio radicem semper adeptionis, & consecutionis eorundem, non autem appendiculam, vel ramum respicit, propterea a radice acquisitionis hæreditarium, & non emptitium Jus B) esse comprobatur.

§. 2. Verumtamen filiæ, seu fœminei sexus homines, de ejuscemodi pecuniarum summa C) portiones suas merito habere possunt.

§. 3. Ubi autem summa ipsa pecuniarum grandis adeo, & notabilis esse videtur, ut Jus illud possessionarium, modo antelato collatum, vix tanti valoris reputaretur; tunc Jus idem possessionarium per Judicis, & alicujus testimonialis loci homines communi æstimatione mediante æstimari, & secundum hujusmodi æstimationis exigentiam portio pecuniaria filiabus cedens per filios reddi debet.

A) Hodie concernit utrumque: *Teste Commiss. Syst. hic.*
B) a. 26. 1715. p. 1. t. 17. 19. C) Kitt. Dub. 8.

§. 4. COROLLARIUM: Unde ex radice adeptionis bonorum elicitur, quod frater, quispiam vendens pretio portionem suam possessionariam alteri fratri, in quem etiam alioquin Jure generationis, & successionis hujusmodi portio (venditore ipso deficiente) devolvenda erat; eadem portio Jus fœmineum non sequitur.

§. 5. Et per portionem intellige etiam totalem possessionem, & plura alia Jura possessionaria similia.

§. 6. Cauti sint itaque acquisitores, vel emptores bonorum: Prout enim literas suas formabunt; ita & bonorum suorum successionem, atque devolutionem habebunt.

De clausula Donationis; PER DEFECTUM SEMINIS. *Quid per* semen *intelligitur?*

TITULUS 22.

QUoniam in serie literarum Regiarum Donationalium conficiendarum super bonis, ac Juribus possessionariis illorum, qui hæredibus deficiunt, hæc clausula (*per defectum seminis talis vel talis*, &c. semper apponi, inserique solet; ideo putaverunt aliqui, quod si Dominus, vel Nobilis ille, qui deficit, filias post se reliquerit, tunc necesse sit, in ejuscemodi Donationalibus literis per expressum describere pariter, & addere clausulam: *Masculini sexus*, ut contineatur in Donationis tenore: *Per defectum seminis masculini sexus talis, aut talis*, &c. Alioquin autem Do-

Donationem ipsam non valere, neque impetrato ri talium bonorum suffragari posse: arguentes, & allegantes illum in semine (eo quod filias habeat) nondum defeciisse.

§. 1. Quod tenendum non est. Nam per *semen* virilis duntaxat, ac masculinus sexus, & non fœmineus intelligitur. Frustra igitur, & superfluum est id addere, vel apponere, quod etiam alioquin vocabuli virtus continet in se.

§. 2. Et ratio est; quia naturaliter ex semine viri superabundanti (ut plurimum) masculus concipitur; & e contra ex semine feminæ femina generatur. Recte igitur dicitur is in semine defeciisse (si etiam filias habeat) qui in virili sexu deficit.

§. 3. Hinc est, quod ex nobili Patre, & ignobili matre generati filii veri Nobiles reputantur, & Patris familiam, conditionemque sequuntur, sed non e converso, prout & superius A) aperte declaravi.

§. 4. Verumtamen si bona, & Jura possessionaria cujuspiam utrumque sexum *manifeste* concernunt, B) & uterque sexus deficiet; tum rite, & commode ponenda erit in Donatione Regia: *Per defectum seminis utriusque sexus talis*, &c. ut in ea parte per *semen succeſſio* intelligatur.

Quan-

A) *t.* 7. B) a. 25. 1715

Quanto tempore Jus Regium duret, & præscri batur.

TITULUS 23.

QUia igitur Regia Majestas cunctorum Dominorum Baronum, Magnatum, Procerumque, & Regni Nobilium in semine deficientium verus (ut præmisi) A) & legitimus Successor esse censetur: Sunt igitur plures Dominorum, & Nobilium, ac regnicolarum, possessionatorum scilicet hominum, qui Jura Regalia pro se male vendicantes, aut videlicet pignoris titulo, aut Fassione invalida, & inefficaci, vel Regio consensu indigente, & necessaria, aut alio successorio, vel hæreditario Jure in se devoluta fingentes, aut alia indirecta via taliter qualiter dominium eorum (maxime *guerrarum*, dissensionumque temporibus) subintrantes, taciturnitatis silentio tenere, gubernareque, & possidere solent, sese in eisdem Juribus possessionariis 3. longæ vi temporis præscriptione mediante firmare, & fundare prætendentes.

§. 1. Unde sciendum est, quod Jus Regium *centum annis* in bonis, & Juribus possessionariis quorumlibet *malæ fidei possessorum* B) durat, & exquiri poterit, objectione præscriptionis C) alicujus non obstante.

Quid

A) Sup. t. 10.

B) Kitt. c. 4. q. 24. n. 21. Contra est; *cap.* 20. *de Præscript.* Dein; Possessor malæ fidei; ullo tempore non præscribit. *cap.* 2. *de R. I. in 6.*

C) De Præscript. Vid. inf. t. 78. p. 1.

Quid sit Jus Regium *definitive*, *& quid* Jus possessionarium?

TITULUS 24.

JUS igitur *Regium* a) dicitur jurisdictio sacræ Coronæ Regni in bonis, ac Juribus possessionariis per quempiam pro se mala fide, contraque consensum Regium usurpatis, tacite latens, & consistens.

§. 1. Nomine autem *Juris possessionarii* generaliter intellige castra, castella, fortalitia, civitates, oppida, villas, possessiones, terras, silvas, & prædia.

§. 2. Ubi sciendum, quod *possessio* dupliciter accipiatur: *Primo* quidem pro Dominio, usuque, ac gubernatione alicujus rei mobilis, vel immobilis. Et hoc modo dicitur *possessio*, quasi *pedum positio* in usum, ac Dominium ipsius rei, quam quis realiter tenet, & gubernat.

§. 3. Alio modo autem (prout in proposito) possessionis appellatione *villa* significatur, & intelligitur, & hoc proprie loquendo: Nam castra, castella, civitates, oppida, & prædia, separata habent vocabula.

§. 4. Verumtamen in hoc loco nomine Juris possessionarii generaliter intellige castra, castella, fortalitia, civitates, oppida, villas, portiones possessionarias, terras, prata, silvas, & prædia.

§. 5.

a) Kitt. Dub. 9.

§. 5. *Prædium* autem nos dicimus agrum illum esse, in quo prius homines habitare solebant, modo tamen nulla ædificia apparent, neque coloni habitant: Quasi *prædæ expositum*, ab antiquis derivatum, qui agros, quos bello capiebant, in prædæ nomine habebant.

§. 6. *Fundum* etiam, seu locum sessionis Nobilitaris, atque jobagionalis, ædificiis, & habitatore penitus destitutum, similiter prædium appellamus.

§. 7. *Castra*, vero, & castella, fortalitia, civitates, & oppida nota sunt, & declaratione non egent.

§. 8. *Pertinentiarum* siquidem nominatione communiter intelliguntur, & continentur omnia illa, quæ ad civitatem, oppidum, aut villam aliquam spectant, prout sunt; terræ arabiles cultæ, & incultæ, agri, prata, fœnilia, pascua, campi, silvæ, virgulta, nemora, montes, valles, vineæ, promontoria, aquæfluvii, piscinæ, piscaturæ, aquarum decursus, molendina, ac eorundem loca: Et generaliter omnes utilitates, ac proventus A) ipsi civitati, aut oppido, vel villæ deservientes.

§. 9. Sæpe autem pertinentiarum appellatione comprehenduntur omnes jurisdictiones alicujus castri, vel omnia bona immobilia, ubilibet adjacentia, ipsi castro annexa, atque deservientia: Sicuti; civitates, oppida, villæ, portio-

A) Uti sunt; educilla, macella, braxatoria; fornaces calcariæ, latericiæ, telonia, &c.

portiones possessionariæ, & prædia. Tamen hujusmodi nomine, vel significatione raro utimur, sed civitates, oppida, villas, portionesque, & prædia ad castrum attinentia, si non specifice, generali tamen positione denotare solemus.

§. 10. Et quamvis Jus Regium ad universa fere Jura possessionaria, quæ Donationi, & collationi Regiæ quovis modo, vel titulo subjacent, generaliter referri, & extendi queat; tamen si quis Dominorum, aut Nobilium in casibus; vel criminibus notam infidelitatis afferentibus, & inducentibus excesserit, atque deliquerit: Aut si quis in semine (de recenti) defecerit, hujus vel horum bona, ac Jura possessionaria, non nomine Juris Regii simpliciter, sed per notam infidelitatis (eam declarando) vel per defectum seminis ipsius defuncti hominis impetrari, & sæpe in ejuscemodi Donatione Jus quoque Regium (si quod in illis bonis etiam aliter haberetur) impetratores apponere consueverunt. Ideo descriptio super Jure Regio immediate prædeclarata non de hujusmodi genere Juris Regii, sed quantum ad celatores Jurium Regalium intelligenda est, atque referenda.

Quod impetratores bonorum injuste, nomine Juris Regii, in æstimatione eorundem bonorum perennali condemnentur.

TITULUS 25.

SI quis itaque nomine Juris Regii aliqua Jura possessionaria pro se impetravit, in quorum ut-

utpote pacifico Dominioquispiam Dominorum, aut Nobilium olim perstitisse: & elapsis legitimorum terminorum in causa superinde suscitanda processibus (in quatuor enim terminis octavalibus, juxta consuetudinem modernorum, ejuscemodi causa finaliter terminari solet) si Dominus, vel Nobilis ipse justo titulo, bonoque Jure, impetrata illa Jura possessionaria se possedisse, possidereque poterit comprobare; A) tunc impetrator talis in æstimatione perennali eorundem Jurium possessionariorum male, & injuste impetratorum (quorum perpetuitatem pro se usurpare, vendicareque, & legitimum possessorem illis perpetuo privare prætendebat) convinci debet, & condemnari: *Ut simili mensura sibi remetiatur, & pari damno; quod alteri inferre satagebat, compensam sortiatur.*

§. 1. Et idem est tenendum etiam de illis, qui per notam infidelitatis in prædeclaratis casibus aliqua Jura possessionaria a Regia Majestate pro se impetrant, & hujusmodi crimen notæ infidelitatis adversus eos, quorum Jura possessionaria impetrata fuerint, comprobare non poterunt: Quod videlicet tales quoque in æstimatione ipsorum Jurium possessionariorum perennali (si liti cedere noluerint) condemnentur.

§. 2. Licet plerique sentiant, ipsos solummodo in emendatione linguæ eorum convinci, & aggravari debere, ex eo scilicet, ut innocentes,

A) a. 14. 1439. n. 62. 1492. p. 2. t. 71.

tes, & innoxios coram Regia Majestate male diffamasse intelliguntur.

Quod impetratores bonorum per defectum feminis *quorumpiam, in nullo onere convincantur.*

TITULUS 26.

SI quis autem per defectum feminis cujuspiam decedentis, & hæredibus deficientis bona, vel Jura possessionaria, tanquam ad sacram Regni Coronam Jure devoluta, ab ipsa Regia Celsitudine impetraverit, & tandem in examine causæ inde movendæ, eadem Jura possessionaria non ad collationem Regiam, sed ad fratres aliquos generationales, vel fœminei sexus ipsius defuncti homines, aut alios legitimos successores derivata fuisse, literarum testimonio verificabuntur; tunc impetrans ipse nulli subjicitur pœnæ, nec ullo onere propterea gravabitur: Eo quod mortui hominis bona, tanquam ambigua, hærede scilicet masculino carentis, destitutique impetravit, ut jurisdictio ipsius sacræ Regni Coronæ in tempore exquireretur, & ambiguitas devolutionis a) ipsorum bonorum tolleretur.

§. 1. Nam ille quoque, qui causam obtinuerit, & ad se bona illa devoluta esse declaraverit, forsitan vivente eo, qui jam occubuit, Dominium eorundem bonorum reale non habuit. Unde si etiam Jus Regium in hujusmodi literis

a) Salvo Jure, & ære alieno. a. 9. 1715. Kitt. Dub. 10.

Donationalibus per defectum seminis emanatis causa insertum vel annexum fuerit: & ulterius impetrator ille Jus ipsum Regium prosequi voluerit; in nullo propterea judiciali gravamine convinci debebit.

§. 2. Si tamen ampliori processu pertinaciter cum Jure ipso Regio agere non cessabit, rursusque succubuerit; tunc pœnæ præmissæ subjacebit.

§. 3. Poterit autem impetrator ipse (si voluerit) in causa Juris Regii legitime procedere.

§. 4. Nam licet consideratione illius clausulæ, quæ in literis Donationalibus semper inseri solet, videlicet: *Præmissis sic, ut præfertur, stantibus, & se habentibus, &c.* arbitrati sunt nonnulli cassata, & invalidata prima parte Donationis, quæ per defectum seminis erat, etiam reliquam partem super Jure Regio confectam cassari, & annihilari debere; Quoniam tamen hoc verum fuit, quod ille, cujus bona impetrata erant, sine semine decessit, clausula prænotata tali Donationi, & cum hoc Juri ipsi Regio derogare non videtur, idcirco impetrator ipse, si voluerit, causam super dicto Jure Regio rite posequi valebit. A)

Quod

A) Confer Matt. D. 6. a. 26. & 27. Ulad. 1. a. 63.

Quod bona in lite existentia, per defectum seminis A) *impetrari non possint.*

TITULUS 27.

ADvertendum est autem, quod si quispiam prætextu hæreditatis aliquorum Jurium possessionariorum causam, litemque suscitare, & antequam eam ad finem, effectumque perduceret, ab hac luce sine semine decederet; tunc in eo casu bona, & Jura ejuscemodi possessionaria in lite existentia, per defectum seminis ipsius decedentis, a Principe impetrari non possunt.

§. 1. Quomodo propagatio sanguinis, cujus respectu decedens ille bona ipsa acquirebat, & prosequebatur, extincta est: Princeps autem licet Successor ejus sit respective ad bona, quæ vivens possidebat, aut possidere poterat, non tamen censetur esse *propagativus hæres* ad consequenda, quæ decedens ipse Juri suo nondum appropriaverat, & addixerat, sed in dubio adhuc litis illa se consecuturum sperabat.

§. 2. Verumtamen si habuerit bona, ac Jura possessionaria præ manibus alienis pignoris titulo, vel pro Dotalitio, aut Quartalitio, sive etiam alio redemptibili modo obligata; talia bona Regia Majestas, vel ille, qui Donatione Regia potietur, seu cui ea contulerit, ad se redimendi facultatem semper habebit.

A) Vel per notam. *Com. Syst. hic.*

§. 3. Nam hujusmodi obligatio non excludit bonorum proprietatem, qua defunctus ipse vivens potiebatur.

§. 4. Et hoc idem est de fratribus quoque adoptivis per omnia sentiendum, atque tenendum: Qui successores legitimi, non tamen veri hæredes fratris defuncti reputantur, & ejuscemodi bona redemptibilia sibi vendicare optimo jure possunt.

§. 5. Hinc prodit illud tritum, & vetustum proverbium: *Quod litespretio venundari, & coemi non possint.* A) Quod quidem dictum non est sic accipiendum, ut miserabilis aliqua persona egestate, & inopia gravata, vel alio defectu præventa non possit bonorum suorum justo titulo se concernentium acquisitionem, & recuperationem, causarumque, & litium inde suscitatarum, aut movendarum directionem, & prosecutionem alteri commendare. Vel etiam hujuscemodi bona litigiosa, seu in lite existentia, bonis sub conditionibus vendere, & a se alienare: B) sed ita proverbium ipsum est intelligendum; ut ille, cui bonorum ipsorum venditio facta, vel ejus causæ prosecutio commendata fuerit, nomine suo proprio in eadem causa nec vivente, sed neque decedente eo, C) qui venditionem hujusmodi bonorum fecit, procedere potest, sed nomine ejusdem venditoris causam ipsam dirigere, & prosequi debet.

§. 6.

A) Kitt. Dub. 11. B) Kitt. Dub. 11.
C) Vel Palatinali a. 4. 1723.

§. 6. Exitus autem, & finis litis dubius est, & interim, quoadusque pro parte actoris causa ipsa finem sortietur, venditor ille bona hujusmodi litigiosa sua esse non poterit recte affirmare. Ideo neque emptor valebit pro eisdem nomine suo proprio, tanquam pro bonis venditoris in Judicio contendere.

§. 7. Unde si litis intermedio, antequam scilicet bona prænotata per sententiam diffinitivam reobtenta fuerint venditor ille decesserit; tunc emptor ipse *impensam*, *& oleum pariter perdet.* Nam ex ratione prælegata amplius in causa illa procedere non poterit, & ex consequenti lites, hoc est, bona litigiosa non potuisse pretio comparare, manifestum erit.

Quod bona Donatione Regia A) *acquisita, si etiam pecuniarum summa contradictoribus solvatur, Jus fœmineum non concernant.*

TITULUS 28.

ITem sæpenumero contingit impetratores aliquorum bonorum, & Jurium possessionariorum, aut per defectum seminis quorumcunque decedentium, aut per aliam quamvis notam, vel etiam Juris Regii titulo cum contradictoribus illis, qui tempore executionis hujusmodi Donationum apparuerunt, & statutioni earum *con-*

A) Scilicet eadem ipsa actione: Quam tamen deponere, & novam suo nomine instituere, omnino potest. *Com. Syst. hic.*

traditionis velamine obviaverunt, concordare, & in unionem devenire atque summam aliquam pecuniarum eisdem contradictoribus solvere, ut citius, faciliusque Dominium bonorum impetratorum adipiscerentur. Aut eadem bona ab omni prorsus ampliori solutione, cui forte prætextu Jurium Quartalitiorum, aut Dotum, & rerum Paraphernalium, & aliorum hujusmodi negotiorum subjacebant, liberarent.

§. 1. Unde putaverunt nonnulli, talia bona Jus fœmineum perinde, atque masculinum sequi debere, quod minime verum videtur, a) Nam *Jurium possessionariorum proprietas ad radicem, atque originem acquisitionis semper est referenda*, prout superius b) quoque breviter declaratum est: & ob hoc ex stipite Donationis *acquisititia bona*, & non ramo solutionis emptitia esse censentur.

§. 2. Donatio enim, quæ præcessit, in causa fuit, ut solutio pecuniaria subsequeretur.

Quomodo cum Donatione Regia per defectum seminis *procedendum sit.*

TITULUS 29.

QUaliter autem cum Donationibus Regiis per defectum seminis editis, & confectis proceden dum sit, c) quidve de bonis, & Juribus possessionariis impetratis infra decisionem causæ inde inchoandæ agendum existat, quomodo etiam

a) Conf. p. 1. t. 21. & 73. b) t. 21. c) a. 25. 26. 1715

etiam causa ipsa finiri, & terminari debeat, ex quo in Decreto generali A) clara super ea re mentio, & articulus conscriptus habetur: Ideo modus ille ibidem denotatus in hac parte observandus relinquitur, licet vetustæ Consuetudini Regni hujus in quibusdam clausulis præjudicari videatur. Nihilominus, ut hujus rei notitia facilior habeatur, articulum in eodem Decreto inde conscriptum, verbotenus inserendum, & hic annectendum curavi, qui sic incipit:

§. 1. *Item*, si in quocunque comitatu aliqua Jura per defectum feminis quorumcunque decedentium devoluta fuerint, & de hujusmodi possessionibus manifeste non constet, an ad Jus Regium pertineant, vel aliquos fratres generationales seu homines fæminei sexus concernant, sed inter ista duo videlicet Jus Regium, & Jus aliorum, scilicet generationalium, vel fœmineum sexum dubium intervenerit; tunc homo communis Nobilis, & idoneus, in quolibet Comitatu ad id per Comitem parochialem cum Judicibus Nobilium, & aliis Nobilibus comprovincialibus in unum locum congregatis, non tamen ex Baronibus, nec de potentioribus, sed mediocribus Nobilibus electus, hujusmodi Jura devoluta, & dubia, & alia similia, siqua contigerint, tamdiu conservet, manu teneat absquedamnificationequalibet, exceptosolum, quod de proventibus consuetis hujusmodi possessio-

A) Sigis. D. 6. a. 17. Matt. D. 6. a. 26. Ulad. 1. a. 63. Ejusd. 7. a. 62.

num (quamdiu in manibus ſuis remanent) expenſas moderatas capere, & facere poſſit, de quibus tandem rationem reddere valeat, & teneatur, quouſque hujusmodi devolutio Jurium ſine hæredibus decedentium, in Sede judiciaria Curiæ Regiæ publicata fuerit, ipſaque publicatione facta quicunque easdem poſſeſſiones, & Jura ſibi pertinere allegaverit, infra anni unius integri revolutionem Jura ſua producendo, easdem ad ſe pertinere comprobet. Quod ſi facere poterit, Judex Curiæ Regiæ eidem ſtatui mandet, & faciat cum effectu.

§. 2. Si vero in probatione defecerit, Juri Regio relinquantur. A) Et ſi qui ulterius ad easdem jus habere ſperaverint, eas de manibus Regii legitime requirant.

§. 3. Ubi autem uxores, & filiæ hujusmodi hominum absque hæredibus maſculinis decedentium in talibus poſſeſſionibus, & Juribus remanſerint; tunc poſſeſſiones eædem, & Jura e manibus earum occupari, & auferri non debent, priusquam de earum Juribus, videlicet, an hæreditarie, & perpetuo ad Jus fœmineum pertineant, an ne, B) veritas inquiratur.

§. 4 Quodſi repertum fuerit, eadem Jura Juri fœmineo non competere; tunc dictis uxoribus talium decedentium, antequam de Dominio dictarum poſſeſſionum excludantur, per Regiam Majeſtatem, vel alios, ad quos repertæ fue-

A) Sigiſ. D. 6. a. 18. B) p. 1. t. 90.

fuerint esse devolutæ, de earum Dotibus, & Juribus plena satisfactio impendatur. a)

§. 5. Filiabus vero usque ad tempus maritationis earum, domus paterna cum quarta parte possessionum paternarum, pro quarta filiali, secundum Consuetudinem Regni sequestetur, & possidenda relinquatur.

§. 6. Postquam vero maritatæ, & traductæ fuerint; de earum Quartalitio pecuniaria solutione mediante satisfiat.

§. 7. Ubi autem aliqua ex ipsis filiabus homini impossessionato maritata fuerit, dictante eadem Regni Consuetudine, in perpetuo Jure, & Dominio hujusmodi quartæ filialis possessionariæ succedere debet, & remanere.

§. 8. Ita tamen, si ipsa de voluntate, & consensu fratrum, seu consanguineorum suorum, in quos post ipsius matrimonium hujusmodi Jura, seu Quartalitia reverti, & redundari debeant, homini, ut præfertur, impossessionato nupserit.

§. 9. Alioquin sive de domo paternali, sive de curis, & servitiis Baronum, seu majorum Nobilium, dictis suis fratribus, seu consanguineis, aut parentibus irrequisitis, & nolentibus, seu non consentientibus id fecerit; Jus suum Quartalitium non cum possessione, sed cum satisfactione pecuniarum requirendi habebit facultatem.

a) Sigis. D. 6. a. 18. 19. & 20.

Declaratio Articuli, Decreti super bonis per-defectum feminis *impetratorum editi.*

TITULUS 30.

QUi quidem Articulus, prout præmissi, vetustæ Consuetudini Regni hujus præjudicare videtur. A) *Primo* siquidem in publicatione Jurium modo prædeclarato dubiorum.

§. 1. *Secundo* vero in termini octavalis non præfixione. B)

§. 2. *Tertio* insuper in Quartalitiorum puellarum ignobilibus nuptarum restitutione.

§. 3. Nam hujus publicatio juxta veterem, & approbatam Regni Legem, non in Curia Regiæ Majestatis, sed in faciebus ipsorum Jurium possessionariorum, maxime vero in loco solitæ Residentiæ illius, qui in semine defecit, tempore videlicet legitimæ statutionis eorum, præsentibus vicinis, & commetaneis fieri debet, & a die ejuscemodi statutionis, atque publicationis infra ipsius anni unius integri revolutionem; quicunque statutioni prænarratæ contradixerint, vel etiam alii, qui postea causæ, & liti ipsi sese ingerere, & immiscere voluerint, sive sint filiæ illius defuncti in domo paterna relictæ: sive fratres generationales: sive autem cæteri fœminei sexus homines Jura sua producendo coram Judice suo ad id specialiter, & expresse deputato; nunc videlicet coram Domino Judice Curiæ Regiæ (nam alias coram Domino Pa-

p) Vid. a. 25. & 26. 1715. q) Kitt. Dub. 12. & 13.

Palatino consueverant) sive celebrantur Octavæ, sive non, ad se, & ad Jus eorum pertinere tenentur comprobare: Aliter autem Juri Regio, & per consequens illi, cui Majestas Regia bona prænotata contulerit, relinquuntur possidenda.

§. 4. Prout etiam in Decreto Serenissimi Principis quondam Domini A) Matthiæ Regis, in quo præsens Articulus est excerptus, sed variatus, & immutatus, manifeste continetur.

§. 5. Ideo enim Judex in tali defectus seminis causa per expressum denominatus est: ut sciat quælibet partium infra terminum sibi præfixum ad Judicem suum recurrere, & Justitiam in præmissis ab eo postulare.

§. 6. Filiæ autem in domo paterna (prout in Articulo continetur) cum quarta parte bonorum ipsorum infra tempus maritationis earum habitabunt.

§. 7. Uxor etiam, seu relicta defuncti ex domo, & curia ipsa mariti, quousque ad secundas nuptias se non transtulerit, excludi non poterit: sicuti infra, ubi de solutionibus Dotalitiorum tractabitur, B) clarius dicetur.

§. 8. Puellæ quoque, seu filiæ Nobilium, non cum illorum, vel illarum consensu, ad quos vel quas Jura earum Quartalitia redundare debebunt, sed cum patris, vel fratris ipsarum, qui scilicet hujusmodi Quartalitia solvere tenentur, consensu nuptui dari debent.

De

a) Matt. D. 6. a. 26. & 27. B) p. 1. t. 98. & 99

De eo, qui cum Jure Regio *in causam cujuspiam se immittit.*

TITULUS 31.

ITem super Jure Regio noviter impetrato, si quis in causam cujuspiam secum literis Donationalibus immittat; non tenetur in causam attractus, vel actor ad id, vel contra illud, literas statim producere, sed impetrator ille procedat de Regni Consuetudine A) cum Regio Jure, & hoc, si actor, vel reus triumphabit: Nam aliter, si uterque deficiet, Jus Regium locum ibidem habebit.

§. 1. Et in hoc casu Judex causæ etiam post latam, & pronunciatam inter ipsas partes sententiam, literas super hujusmodi Jure Regio Donationales ab impetratore rursus ad se acceptare, & eidem Judicium super eo facere tenetur.

Quod universæ Donationes Regiæ infra anni unius revolutionem statutione legitima *firmari debeant.*

TITULUS 32.

ET sciendum, quod omnes Donationes Regiæ, sive per defectum seminis quorumcunque decedentium, sive per notam infidelitatis aliquorum prave agentium, sive nomine Juris Regii mala fide Jura Regalia detinentium, sive novæ Donationis titulo bona sua justo Jure possiden-

A) p. 2. t. 84.

dentium emanatæ, & confectæ; infra integram anni unius revolutionem a die Donationis computandam legitima statutione A) firmari, stabilirique debeant, B) sive fiat contradictio, C) sive non.

§. 1. Nam aliter Donationis vigor, seu virtus expspirabit, & ipsa Donatio ineffica x, viri, busque destituta manebit. D)

De literis Statutoriis, Reambulatoriis, Admonitoriis, & *brevibus* Evocatoriis. *Quot diebus durent ad exequendum?*

TITULUS 33.

UBi notandum, quod literæ *Introductoriæ* pariter & *Statutoriæ* Regales superqualibet Donatione cum servitiorum declaratione editæ, & conscriptæ, incipientes sic: *Cum nos debitum habentes respectum, &c.* vel: *Cum nos attentis, & consideratis, &c.* prout scilicet Donationis exordium, seriesque, vel continentia verbalis se habet; ad ipsam usque anni revolutionem, ad exequendam hujuscemodi Donationem Regiam efficaces sint, roburque sortiantur firmitatis.

§. 1.

A) In facie Loci: Vel in casu articuli 45. 1563. in loco proximiori fienda.

B) a. 45. 1563 a. 43. 1492. a. 46. 1563. a. 32. 1655. a. 135. 1647 a. 35. 1543. Kitt. Dub. 14. 16.

C) Contradictio intra fatales quindecim dies neglecta statutionem puram facit. a. 46. 1563.

D Sigis. D. 1. §. Præterea quicunque.

§. 1. Aliæ vero omnes literæ similes, A) tam scilicet *Introductoriæ*, & *Statutoriæ*, seu *Recaptivatoriæ*; quam etiam *Reambulatoriæ*, sed & *Admonitoriæ* quælibet, per: *Dicitur nobis &c.* cum clausula illa: *Ad terminum competentem, &c.* emanatæ sexaginta duntaxat diebus, a die emanationis ipsarum literarum supputandis, pro executione peragenda validæ reputantur.

§. 2. Si tamen literis hujusmodi Introductoriis, seu Recaptivatoriis, ant Reambulatoriis, vel admonitoriis terminus aliquis octavalis, ad quem scilicet Evocatio (ex ratione in eisdem literis expressa) fieri debeat, denotatus, & conscriptus fuerit; tunc ad octavum usque diem illius festivitatis, cujus videlicet octavæ inseruntur, & inscribuntur, executio cum illis rite, legitimeque peragi poterit. Octava tamen dies ante festum, & non post intelligatur.

§. 3. Cum literis quoque *Evocatoriis*, ratione quorumcunque actuum potentiariorum, ad tricesimum secundum diem, secundum modernorum usum sonantibus; similiter infra spatium sexaginta dierum a die emanationis ipsarum computandorum, procedendum est. Nam aliter etiam illæ viribus de cætero carebunt. B)

Quid

A) d. 14. 1508. d. 35. 1723.

B) Scilicet, nisi tales literæ iis, ad quos sonant, initio tempus præscriptum præsententur: Quod sufficit.

Quid literæ Statutoriæ *Donationum* cum declaratione; & *quid* sine declaratione *valeant?*

TITULUS 34.

CÆterum hoc quoque sciendum, quod universæ Donationes Regiæ quocunque Jure, & titulo factæ cum literis *Introductoriis*, & *Statutoriis*, non solum cum declaratione, scilicet per clausulam: *Cum nos &c.* Verum etiam simplici modo per aliam clausulam, videlicet: *Dicitur nobis &c.* confectis, & per quoslibet Judices Regni Ordinarios datis, executioni demandari possunt.

§. 1. Verumtamen, si introductio per clausulam: *Dicitur nobis &c.* fiet; tunc in judicio etiam literæ Regiæ Donationales penes Statutorias in specie produci debebunt, ut intelligatur, quo Jure, quo titulo, aut quibus subconditionibus Donatio ipsa facta existat: Nam aliter statutio ipsa nullius censebitur fore firmitatis.

§. 2. Si tamen cum declaratione, videlicet per: *Cum nos &c.* Introductio, & statutio executa fuerit; tunc in casu, quo literæ Donationales super eo confectæ periclitarentur & amitterentur, sola ipsa Statutoria sufficiet: Nam seriem Donationis, & rationem, seu causam, propter quam videlicet eadem Donatio facta est, in se declaratam habet.

De literis consensualibus *Regiis absque Fassionis verbali tenore confectis.*

TITULUS 35.

ET hoc idem, quod de literis Statutoriis præmittitur, tenendum est etiam de cunctis literis consensum Regiæ Majestatis explicantibus: Quod videlicet Fassi, cui Majestas Sua consensum suum Regium præbuit, si in ipsis literis consensualibus verbotenus inserta non fuerit; tunc nisi Fassio illa in specie coram Judice Producatur, consensus hujusmodi Regius penitus invalidari debebit, & inefficax erit.

De nova Donatione *Regia in generali; & unde ortum habeat?*

TITULUS 36.

ITEM solent nonnulli bona, & Jura ipsorum possessionaria a Regia Majestate, novæ Donationis suæ titulo, sæpe cum omni suo Regio Jure pro se, & eorum hæredibus impetrare: Asserentes, progenitores suos ab antiquo, vel etiam semetipsos duntaxat a tempore adeptionis, & consecutionis hujusmodi bonorum in Dominio pacifico eorundem perstitisse. a)

§. 1. Et licet plerique ejuscemodi Donatione nova justo, bonoque modo utantur; in contrarium tamen plurimæ fraudes per nonnullos,

a) a. 20. 1464. a. 78. 1492.

los, salutis eorum immemores, in hac parte committuntur.

§. 2. Quidam enim fœminei sexus generationis suæ homines de ipsis Juribus possessionariis per hanc excludere nituntur, literas originales, quæ scilicet Jura possessionaria emptitia fuisse, aut alio titulo Jus fœmineum, sicuti masculinum, concernere declararent, occultantes, igne comburentes, vel aliter dilaniantes: Quidam vero, fraternæ charitati contrariantes, & uxoribus, filiabusque suis faventes, dum potissime semen masculinum in se deficere conspiciunt, & Jura possessionaria in fratres condivisionales devolvi metuunt, nomina uxorum, filiarumque suarum in literis novæ Donationis inscribi faciunt, fratres ipsorum genrationales prætermittendo, & illis bonis, seu Juribus possessionariis eosdem privare, vel magis despoliare satagendo.

Quid sit nova Donatio *descriptive? Et quod dupliciter illa potest attendi.*

TITULUS 37.

UNde sciendum, quod nova Donatio cum clausula præsenti tempore inseri solita, videlicet: *In cujus, vel quarum pacifico Dominio progenitores suos perstitisse, seque perstitere, asserit etiam de præsenti, &c.* facta, non est aliud, quam prioris Donationis legitime factæ iterata roboratio.

§. 1. Quæ ex sui vocabuli significatione semper præsupponit priorem Donationem, vel aliam bonorum ipsorum acquisitionem.

§. 2. Sed ut clarius præmissa descriptio novæ Donationis intelligatur, NOTANDUM est; quod nova Donatio dupliciter potest attendi, vel considerari. *Primo* respectu jurisdictionis sacræ Coronæ Regni, seu Principis nostri, ad quam ipsa Donatio spectat. *Secundo* autem respectu fratrum generationalium, & fœminei sexus hominum.

§. 3. Respectu itaque jurisdictionis Principis nostri nova Donatio non requirit, neque præsupponit priorem Donationem. Nam si prior Donatio super aliquo Jure possessionario legitime facta, & statutio exinde juridice subsecuta haberetur, non esset necessarinm Jus illud possessionarium de novo impetrari, sed potius deberet prior ipsa Donatio confirmari.

§. 4. Imo neque Confirmatio videretur esse necessaria, cum Confirmatio non sit de necessitate, sed solummodo de *bene esse Donationis*, & Juris possessionarii gubernationis.

§. 5. Nec valet ex se Confirmatio, si Donatio in ea inserta non valere dignoscatur. Unde nova Donatio sive cum Jure Regio simul, sive simpliciter solet a Principe impetrari. Quod licet impetrator ipse sit in Dominio Juris alicujus possessionarii; tamen Dominium illud, indirecte forsitan, & contra Jurisdictionem ipsius sacræ Coronæ considerat se possidere pariter, &

ha-

habere. Non enim omnes Domini, vel Nobiles per Donationes Regias, sed etiam per Fassiones instrumentales, seu privilegiatas, diversis sub Titulis, & coloribus consueverunt Jura possessionaria gubernare. Proinde hujusmodi defectum Juris sui per Donationem ipsam Principis studeant reformare, effective instaurare.

§. 6. DICITUR autem *Donatio* ipsa *nova* pro eo, & in tantum, quod tunc, & de recenti facta sit per Principem bonorum sibi collatio: Prout in nonnullis Privilegiis, & literis Donationalibus Excellentissimorum Principum, quondam Dominorum Ludovici, & Sigismundi Imperatorum, ac Hungariæ Regum, vidi, atque legi possessionarias collationes novæ Donationis titulo factas nulla clausula apposita, nullaque mentione habita de hoc, quod progenitores impetratoris in Dominio bonorum, & Jurium possessionariorum hujusmodi nova Donatione collatorum aliquando perstitissent, vel impetrator ipse perstitisset, sed cum servitiorum duntaxat (prout in omni Donatione fieri consuevit) declaratione editas, atque confectas. Quas quidem possessionarias collationes, sed & literas super ea re emanatas, ex ratione præallegata existimo, teneoque hoc Titulo novæ Donationis factas, & editas fuisse: Quod scilicet impetrator ipse Dominium bonorum impetratorum sive prius habuit, sive non; tamen per Principem tunc de recenti, & non per prius fuit bonorum ipsorum facta sibi Donatio.

§. 7. Si enim prius quoque Donationem super eisdem Juribus, & bonis habuisset, tunc (ut præmisi) non nova Donatio impetrari, sed potius prior debuisset confirmari.

§. 8. Et ejuscemodi nova Donatio respectu jurisdictionis ipsius sacræ Coronæ, seu contra jurisdictionem Principis nostri, sive cum Jure Regio (utpræfertur) simul, sive simpliciter facta, semper valet, & semper est efficax. Nec poterit per alterum quempiam Jus tale possessionarium nomine Juris Regii, vel alio defectus seminis titulo de cætero impetrari.

§. 9. Princeps enim ipse, Donationi suæ semel per se factæ, vel per alium, de Jure nequit iterum refragari. Dummodo sit hoc verum; quod scilicet impetrator ipse, aut progenitores ejus in reali ac pacifico Dominio (hoc est, non absoluta potentia, vel non occupatione temeraria sibi usurpato) Juris ejusdem possessionarii fuere. Nam si alias fraudulenter, & inique bonorum impetratio præmisso titulo fieret; puta, dicendo quispiam villam, aut possessionem unam suam esse, & se in Dominio ejusdem jam dudum persistisse, cum tamen possessio illa non sua, sed Regiæ Majestatis ad aliquod castrorum suorum Regalium de Jure, & ab antiquo pertinens fuisset; tunc in tali, & aliis similibus casibus ipsa Donatio non valet: imo impetrator ille, tanquam *falsarius*, & *mendax*, propterea acriter est puniendus.

§. 10.

§. 10. Secus etiam est, si quispiam Potentum absoluta potentia, & occupatione temeraria villam unam pro se usurparet, & in ejus Dominio malesibi vendicatorevolutionem unam annualem transigeret, seque postea in reali Dominio villæ ipsius longo tempore perstitisse, Regiæ Majestati diceret, & sic eam novæ Donationis titulo pro se impetraret: Nam hoc quoque modo ipsa Donatio, etiam cum Jure Regio facta contra Jura illius, a quo villa ipsa fuit occupata, nil tenet, nulliusque censetur esse firmitatis: Eo quod expositio pariter, & impetrator siniistre facta fuisse comprobetur.

§. 11. *Secundo* vero nova Donatio potest attendi, & considerari respectu fratrum generationalium, ac fœmineisexus (ut prætactum est) hominum. Et hac consideratione præmissa, descriptio novæ Donationis est intelligenda.

§. 12. AD DECLARANDUM igitur, quod Jura ejuscemodi possessionaria nova Donatione, cum clausula prænotata: *in quorum pacifico Dominio &c.* impetrata, Jus fœmineum non concernant; literæ ipsæ *novæ Donationales*, imo etiam *divisionales* inter fratres masculini sexus, ac *expeditoriæ* super Quartalitiorum solutione confectæ, insufficientes reputantur. Sed originales quoque literæ, quibus videlicet eadem Jura possessionaria aut prius acquisita, aut empta, vel aliter adepta fuerint, in Judicio producantur, necesse est. a)

a) Conf. p. 2. r. 15.

§. 13. Quæ si produci, & exhiberi non potuerunt, quia non habentur (multorum enim Nobilium, & possessionatorum hominum privilegia, ac literalia instrumenta aut disturbiorum temporibus per æmulos Regni directa, aut pacato quoque tempore *ignis* sæpe *voragine conflagrata* dignoscuntur) tunc in causam attracto juramentum, quinquagesimo se Nobilibus meræ Nobilitatis titulo, & privilegio fungentibus, præstandum imponitur.

§. 14. Qui si jurare potetit, tunc a possessionaria ratione absolvitur, & Jus Quartalitium duntaxat persolvere compellitur: Si *Quietantia*, seu *recognitio* super ea re non habeatur.

Unde proveniat proditio Fraterni sanguinis?

TITULUS 38.

UBi autem alio ex latere facta, & præhabita hujusmodi juramentali depositione, prætactis literis originalibus impetrator ipse si per se, vel procuratorem suum usus fuerit, vel etiam aliter illas occultasse, & contra contenta earundem literarum Jura ipsa possessionaria, præmisso novæ Donationis titulo, male, & in præjudicium Jurium fraternorum, vel etiam fœmineorum pro se impetrasse, & nomina eorum, quos bona illa rite concernere dignoscebantur, de literis Donationalibus emisisse, per hocque de iisdem bonis fratres, aut sorores perperam exhæredare voluisse, sufficienti, & evidenti documento po-

te-

terit declarari, atque comprobari: tunc talis in *pœna perjurii*, a) ac *proditionis fraterni sanguinis* merito debebit condemnari.

§. 1. Conjuratores nihilominus ejus in *fidefragio*, pœnaque similiter perjurii omnes convincentur eo facto.

§. 2. Ubi autem juramentum non præcesserit, sed exhæreditationis solummodo causa declarata fuerit; pœna perjurii sublata erit, & proditio duntaxat ipsa fraterni sanguinis locum habebit.

Quid sit proditio Fraterni sanguinis definitive? & de pœna ejusdem.

TITULUS. 39.

FRaterni autem sanguinis proditio, est fratris, vel sororis justis suis Juribus per alterum fratrem, aut sororem dolosa, adumbrataque, & fraudulenta privatio, vel exhæreditatio.

§. 1. Per fratrem autem, & sororem hoc in loco intellige, quemlibet generationis suæ hominem in Juribus possessionariis secum æqualiter succedentem.

§. 2. POENA autem proditionis fraterni sanguinis ultra *decus*, & *infamiam* inde contrahendam, hæc est: ut ille proditor, ac condemnatus, universis bonis, & hæreditatibus suis perpetuo destituatur, & in illum fratrem, aut sororem (quem scilicet, vel quam fraudare,

a) p. 2. t. 30.

juſtisque ſuis Juribus deſpoliare, & de eisdem exhæreditare nitebatur) eadem cuncta bona, & hæreditates transferantur, & ipſemet quoque in perſona ſua ad fovendum pariter, & ſervien-dum illi tradatur. Quem uſque ad obitus ſui diem frater ipſe proditus, vel ſoror prodita vi-ctu, & amictu tanquam vnum de familia ſua, conſervare tenebitur.

§. 3. Et hoc idem intelligendum eſt etiam de mulieribus, ſeu filiabus quorumcunque Do-minorum, ac Nobilium; quarum ſcilicet aliqua in Juribus paternis (quæ etiam alioquin Jus fœ-mineum contigiſſent) per Regiam Majeſtatem ad ſupplicationem quotumpiam in verum hære-dem, & ſucceſſorem maſculinum ſe præficere procurabit, per hocque alias ejusdem genera-tionis, ſeu progeniei fœmellas bonis ipſis pri-vare machinabitur.

§. 4. Præterea ſi quispiam fratrum, aut ſo-rorum, alterum generationis ſuæ hominem de genealogia ſua A) exiſtere pertinaciter negave-rit, & ille tandem literali documento, vel defi-cientibus literis, humano forſitan teſtimonio, *uſque ad ſexaginta annorum ſpatium*, B) ſed non amplius, ſe de ipſa genealogia eſſe compro-baverit; tunc ex iſtis quoque caſibus pœna pro-ditionis fraterni ſanguinis ſequi debebit: Nam exinde alterum juſtis ſuis Juribus fraudare, ex-hæreditareque ſe voluiſſe declarabit. C)

De

A) Intra quartum gradum Kitt. c. 9. q. 25.
B) p. 1. t. 47. C) Conf. a. 46. 1723.

De DIVISIONIBUS *bonorum paternorum, & avitorum* INTER FRATRES A) *fiendis.*

TITULUS 40.

ITem præhabita Donationum Regiarum declaratione, jam ad ramos earundem est recurrendum.

§. 1. Et primo de *fratrum carnalium* bonis, ac Juribus possessionariis per Donationes acquisitis: & tandem alio quovis titulo adeptis, & consecutis, ac eorundem bonorum divisionibus erit differendum.

§. 2. UNDE NOTANDUM, quod universa bona, & quælibet Jura possessionaria cunctorum Dominorum, Baronum; ac Magnatum, & Nobilium paterna, & avita quocunque nomine censeantur, inter filios eorundem Dominorum, & Nobilium, *fratres* scilicet *carnales*, æqualiter B) dividantur: Et *quot sunt fratres, in tot sequestrantur partes. Domus* autem *paterna* filio juniori deputatur ad residendum, & habitandum: Ita tamen, ut cæteris quoque filiis, seu fratribus de communi proventu hujusmodi bonorum, & Jurium possessionariorum aliæ domus, illi paternæ similes, in loco communi (ubi videlicet illorum quilibet voluerit) exstruantur, & ædificentur habitandæ.

§. 3. Ad quas de terris arabilibus, silvis, pratisque, & fœnilibus, consimiliter communi-

A) per 7. seqq. titt.

B) p. 1. t. 45. a. 36. 1729. a. 54. 1655.

bus tot, & tantum, quot scilicet, & quantum ad ipsam domum paternam spectare dignoscitur, excindatur, & sequestretur: atque annectantur, *perpetuo possidenda pariter, & habenda*,

§. 4. Et hoc verum est, si tantum habuerint de communibus terris, silvisque, & pratis, ut hujusmodi divisio eorum debite peragi, & expediri possit.

§. 5. Nam alioquin omnes terræ, ac silvæ, prataque, & fœnilia ad dictam domum paternam attinentia, & pertinentia in tot debebunt dividi partes, quot de novo ædificabuntur *domus nobilitares*, & ad quamlibet illarum domorum æqualis portio assignabitur utenda.

§. 6. Inclusa tamen semper illa quantitate, atque portione terrarum, ac silvarum, & pratorum, quæ ad sessionem, vel *locum sessionis Jobagionalis*, *in cujus* scilicet *facie* domus nova construetur, spectat, atque pertinebit.

Quid si domus paterna lapidea, *vel magnis sumptibus constructa fuerit?*

TITULUS 41.

UBi autem *domus* ipsa *paterna lapidea*, aut latericia, vel aliter sumptuoso ædificio constructa, fabricataque fuerit, & tantæ æstimationis reputata fuerit, ut de communi proventu talium bonorum similes domus construi non possint, ita ut ne una quidem ædificari commode possit; Tunc in tali casu domus ipsa pater-

terna una cum magistris lapicidis, ac *muratoribus*, & fabris lignariis, per hominem *judicii conscientiosi* æstimari, taxarique, & summa æstimationis in tot portiones, quot sunt fratres, dividi debebit: Filiusque junior, seu frater, portionem sibi cedentem gratis habebit.

§. 1. Sed portionem cæterorum fratrum pecuniaria solutione, juxta ipsius taxationis, & æstimationis seriem, refundere, illisque persolvere tenebitur.

§. 2. Et hoc intellige, si filius ipse junior tantæ ætatis fuerit, ut rebus suis commode prospicere non possit: Nam aliter in tali sumptuoso ædificio æqualis fieri debebit inter fratres divisio.

§. 3. Cæterum si bona, & Jura ejuscemodi possessionaria *Jus fœmineum* æque, veluti *masculinum* concernant, & patre defuncto filii, filiæque superstites, ac filiarum altera junior ætate fuerit; tunc in tali quoque casu non filiæ, sed potius filio, filiam ipsam juniorem natu immediate præcedenti, tamquam diginiori sexui, & personæ domus paterna dabitur habitanda, Sub conditionibus tamen prædeclaratis.

Quod literalia instrumenta *frater natu major conservare debeat.*

TITULUS 42.

ET hoc idem est intelligendum etiam de literarum, ac literalium instrumentorum conservatione: Quod scilicet non filiæ majori, sed

filio

filio, etiamsi junior ætate fuerit, literæ, & literaria instrumenta, *factum bonorum*, ac Jurium possessionariorum ipsorum tangentia, & concernentia, dari debeant ad conservandum? Quas, & quæ inter filios, seu fratres, *major natu* conservare semper solet.

§. 1. Et hoc verum est, si frater ipse major natu sanæ mentis, & non furiosus, vel amens extiterit, ac dissipator bonorum suorum manifestus non fuerit; Vel cæteros fratres suos de bonis paternis, & avitis, ac etiam suis exhæreditare palam non prætenderit.

§. 2. Nam casibus in istis non fratri natu majori, sed alteri ex fratribus, ad lineam generationis paternæ propinquiori literæ, ac literalia instrumenta dari, & assignari debebunt ad retinendum, atque conservandum.

§. 3. Filiæ vero *transumptum*, seu *paria litterarum*, ac literalium instrumentorum, bona utrique sexui deservientia tangentium, prose coram *Judicibus Regni ordinariis* habere possunt; a) & illis earum fratres dare tenentur.

§. 4. SCIENDUM hic præterea; quod illi erit omnium causarum, & litium contra fratres motarum, vel movendarum infra divisionis tempus, *supportatio*, (communi tamen sumptu) ad quem literarum ipsarum spectabit *conservatio*.

De

a) Kitt. Dub. 17. Conf. p. 2. t. 15. & Ulad. D. l. a. 96.

De divisionibus bonorum per fratres acquisitorum, & de clausula Donationis: PER EUM.

TITULUS 43.

ULterius notandum; quod si duo, vel plures fuerint fratres carnales; aut etiam uterini in bonis, & Juribus possessionariis avitis, vel paternis indivisi, quorum alter in Curia Regia, vel aliorum Dominorum laribus servitio se mancipaverit, alter autem domesticis curis, & laboribus domi vacaverit, & ille servitio deditus bona aliqua, seu Jura possessionaria ab ipsa Majestate Regia, vel aliis etiam forsitan Dominis, servitiorum suorum meritis ita exigentibus, prose impetraverit, A) & nomina fratrum suorum domi manentium clausula cum illa: ET PER EUM, &c. in literis, seu privilegiis Donationalibus inscribi, & inseri procuraverit; tunc licet impetrans ipse ante tempus divisionis cum fratribus suis fiendæ, de hujusmodi bonis per eum acquisitis, & inventis liberam, prout voluerit, disponendi habeat facultatem: (Et hoc intellige, non pro se, vel suis hæredibus aliquo sub colore usurpando, aut reservando, sed a se prius realiter alienando) Tempore tamen divisionis unusquisque fratrum portionem suam de illis sibi cedentem, æque, ut impetrator ipse principalis, habere de Jure potest.

§. 1.

A) Kitt. Dub. 7.

§. 1. Jura enim possessionaria in quibuscunque literis, seu privilegiis Donationalibus contenta, semper *in tot debent dividi partes, quot sunt personæ*, vel nomina hominum literis in eisdem specifice denotata. A)

§. 2. Nisi forte exceptio, vel distinctio fuerit ibidem super hoc declarata.

§. 3. Clausula itaque ipsa: PER EUM, non est intelligenda; ut tantum valeat, quantum POST EUM, prout quidam, *plus sapere volentes, quam oportet sapere*, intelligendum arbitrati sunt: Arguentes, & adstruentes inde cæteros fratres, vivente principali impetratore, portionem de hujusmodi bonis acquisitis, & inventis habere non posse, sed illa post decessum impetrantis cum filiis ejusdem dividenda esse: Quod tenendum non est.

§. 4. *Fratres* etenim *indivisi*, B) *infra divisionis tempus, & lucrum, & damnum æqualiter participare, sufferreque*, & tolerare *debent*.

§. 5. Hinc est, quod si etiam nomina aliquorum fratrum carnalium, aut uterinorum, vel etiam patruelium divisionem bonorum inter se nondum habentium, in literis hujusmodi Donationalibus inscripta non fuissent; tamen tempore divisionis portionem suam unusquisque illorum (ut præmittitur) de Jure habere potest.

§. 6. Unde per hunc terminum: PER EUM, &c. semper intellige: *medio* vel *per medium ejus*, scilicet impetrantis. Quasi diceret

A) p. 1. t. 40. B) a. 54. 1655. a. 47. 1723.

ret Majestas Regia: consideratione servitiorum talis fidelis sui, *eidem*, *& medio ejus*, vel *propter eum* etiam alteri possessionem, seu villam unam contulisse.

Quid si fratrum quispiam bona per se inventa pro se reservare voluerit?

TITULUS 44.

UBi tamen fratrum aliquis (cæteris torpori, & negligentiæ, desidiæque deditis) continue serviendo, sanguinis sui effusione, vel aliter servitiis, aut virtutibus suis bona aliqua, seu Jura possessionaria quæsiverit, & cum cæteris fratribus suis illa participare noluerit; tunc si omnibus bonis, & Juribus paternis renunciaverit, acquisita per se ipsum bona totaliter pro se, & hæredibus suis perpetuo reservare valebit.

§. 1. UNDE SEQUITUR; quod proditio fraterni sanguinis non in acquirendis bonis, & Juribus possessionariis (prout nonnulli putaverunt) sed in exhæredandis, de acquisitis paternis scilicet, & avitis bonis, consistit.

Quod divisio bonorum inter fratres carnales non processu litis fieri debeat.

TITULUS 45.

SCiendum est deinde; quod divisio inter fratres carnales, & etiam uterinos, nondum tamen divisos, non processu litis, sed per lite-

ras

ras duntaxat Regiæ Majestatis Præceptorias ad Comites, vel Vice Comites, & Judices Nobilium, illius Comitatus, ubi bona, & Jura possessionaria dividenda sita sunt, & adjacent, sonantes; vel si eadem bona in pluribus Comitatibus habeantur, ad unum Magistrorum Protonotariorum datas, & directas fieri solet, A) atque debet: Per quos, B) vel perquem universa bona, & quælibet Jura possessionaria paterna, & avita, ac etiam per eos communiter acquisita, simul cum universis rebus mobilibus cujuscunque speciei, seu materiei existant (contradictione alicujus ex fratribus C) non obstante) juxta numerum personarum dividi, & ab invicem sequestrari semper possunt.

§. 1. FACTA AUTEM semel inter ipsos fratres (modo antelato) divisione, si quispiam forsitan fratrum in ejuscemodi Juribus possessionariis aliqua ex causa legitima rursus divisionem habere voluerit, D) aut portionem suam minorem, vel utiliorem cæteris esse, aut Juris ordine de manibus suis ablatam fuisse, allegando; tunc divisio hoc modo, nonnisi processu Juris, unico tamen termino octavali (si per Judicem ex propositis, & allegatis partium admittenda censebitur) fieri poterit, atque debebit: Sæpenumero enim absque rationali, & legitima causa, secunda divisio postulatur.

§. 2.

A) Kitt. Dub. 19. 20. B) a. 30. 1723.
C) a. 28. 29. 1729. D) a. 36. 1729.

§. 2. Et hic articulus etiam de fratribus patruelibus nondum divisis est intelligendus.

Quando nova divisio bonorum inter fratres condivisionales admittatur, & quando non?

TITULUS 46.

INter fratres vero condivisionales, aut si avorum, aut abavorum temporibus divisio in aliquibus bonis, & Juribus possessionariis facta fuisset, & literæ quoque divisionales super ea re confectæ extitissent, deinceps divisio non admittenda. a)

§. 1. Nisi forsitan alter fratrum potentior cæteris evadens, post rectam divisionem particulam aliquam Juris possessionarii, vel territorii alterius sui fratris violenter pro se usurpasse, seu vendicasse comprobaretur, & impotentior frater violentiæ potentioris fratris resistere non valens, æquam divisionem ex novo postularet.

§. 2. Nam hoc casu divisio ipsa de novo peragenda dignoscitur: Longo tamen processu litis: & hoc quoque eo modo, si frater ipse divisionem postulans, legitimam (ut præmisi) assignaverit rationem.

§. 3. Nam si considerans alterum fratrem post factam cum eo, vel progenitore suo divisionem in terris sibi cedentibus vineas, & promontoria plantasse, vel aliter frutices, & virgulta extirpasse, ex eoque utiliorem sua portione, quæ

a) Kitt. Dub. 21. 8. 36. 1545.

forte inculta manſit, exiſtere, & propterea diviſionem poſtulare compertus fuerit; etiam longo litis proceſſu, hoc eſt, in quatuor terminis octavalibus novam diviſionem bonorum conſequi non debebit.

§. 4. Si autem temerarie particulam aliquam Juris ſui, vel territorii alterum per fratrem occupatam fuiſſe allegaverit; tunc ſuper potentiaria hujusmodi uſurpatione bonorum ſuorum, vel particulæ Juris ſui poſſeſſionarii, etiam inſinuatione mediante, fratrem ſuum Jure, in cauſamque convenire licite poterit.

§. 5. Et hoc; ſi tempus præſcriptionis in actibus potentiariis obſervari conſuetum non tranſcenderit: Quod triginta, & duobus annis allegari, obſervarique ſolet.

§. 6. Nan ſuper hæreditatio Jure, & proprietate Juris poſſeſſionarii inter fratres præſcriptio nunquam eſt admittenda.

§. 7. PRÆTEREA, ſi fratres aliquando per metarum inter ſe erectiones, & diſtinctiones diviſionem feciſſe reperti fuerint; tunc diviſio bonorum de cætero inter eos, & ipſorum hæredes fieri nunquam permittitur.

§. 8. Hujusmodi tamen metalis diſtinctio, & erectio mutuam in ſe bonorum devolutionem inter fratres non excludit, neque excluſiſſe intelligitur.

Quod

Quod universa bona inter fratres divisa, altero fratrum deficiente, in alterum devolvantur, etiam matrimonio intervenente. A)

TITULUS 47.

SCiendum ulterius, quod universa hujusmodi bona, & Jura possessionaria inter fratres divisa, altero ipsorum hæredibus carente, etiam *post centum*, *ducentos*, & etiam plures annos (si matrimonia quoque post quartum generatio nis ipsorum gradum inter eos, vel alterum eorum celebrata fuissent) in cæteros fratres superstites, & hæredibus gaudentes devolvuntur: B) Dummodo fratres ipsi in humanis agentes, per rectam generationis lineam fratrem defunctum & hæredibus destitutum de sua vera progenie fuisse, & cum progenitore illius in bonis, & Juribus possessionariis ab ipso derelictis, progenitores eorum divisionem habuisse, vel fecisse, valeant literali documento comprobare.

§. 1. Deficientibus vero literis; etiam humano testimonio *ad sexaginta annorum curricula*, sed non amplius, prosapiam, & genealogiæ suæ stirpem, ramumque de Jure poterunt verificare.

§. 2. UNDE sequitur, quod bona, & Jura possessionaria post divisionem C) inter fratres factam, per aliquem fratrum acquisita, & inventa, eodem fratre acquisitore præmortuo, &

A) De mutua Bonorum devolutione, per 4. seqq. titt.
B) p. 1. §. 67. C) a. 47. 1723

hæredibus destituto, non in fratres condivisionales derivantur, sed Fisco Regio applicantur. a)

§. 3. Hoc quoque necessario interserendum occurrit: Quod, si bona, & Jura possessionaria duabus, aut tribus personis alienis sanguine, non fratribus, nec consanguineis per Regiam Majestatem dualitercunque donata, aut aliter per alios acquisita fuerint, altero eorum decedente, & hæredibus carente, rursus ad collationem Regiam devolvantur.

§. 4. *Sola* enim *sanguinis propago*, & *fraternalis mutua divisio* efficit ex se mutuam, & reciprocam bonorum in alterutrum condescensionem, atque devolutionem, Allegatione cujusvis præscriptionis non obstante.

Utrum bona marito, & uxori simul collata, deficiente marito, in uxorem ipsam devolvantur, & e converso?

TITULUS 48.

QUoniam nonnulli Dominorum, & Nobilium solent nominaux orum suarum in literis, seu privilegiis Donationalibus superbonis, & Juribus possessionariis justo titulo (ut servitiis eorum) acquisitis, conficiendis, ponere pariter, & inserere: Ideo quæritur *secundo*: Utrum decedente marito sine hæredibus, portio sua in hujusmodi Juribus possessionariis, & bonis habita, in uxorem suam devolvatur? Cum non frater, sed consors, vel

uxor

a) a. 26. 1715.

uxor duntaxat mariti fuisse, mulier ipsa censeatur: Et e converso, an uxore absque hæredibus defuncta, portiosua in maritum ejus condescendat, atque derivetur? DICENDUM, quod sic.

§. 1. Nam licet vir mulieri, & mulier viro non sit, neque censeatur esse frater sanguinis propagatione, carnis tamen unione, & copulatione plus quam frater esse reputatur. Jam enim secundum Evangelicam Doctrinam: *Non sunt duo, sed una caro*: frater autem altera caro existit.

§. 3. Propter unionem itaque, & copulam carnis portio possessionaria mariti in uxorem suam, & e contra uxoris in maritum, casu in prænarrato, *rite devolvenda erit.*

§. 3. Hic tamen advertendum est, quod si in præallegata Donatione, vel literis Donationalibus clausula *utriusque sexus* non interseratur, sed simplici modo Donatio emanet; tunc Jura hujusmodi possessionaria fœmineum (si etiam filias ipsa mulier habeat) non sequuntur, sed masculinum duntaxat sexum concernere dignoscuntur. a)

§. 4. Ubi tamen in Donationis tenore clausula ista adjecta, & appositа fuerit; quod videlicet, *si impetratorem ipsorum honorum hæredibus masculinis carere contingat, tunc eadem bona in filias sua devolvantur;* tunc ipsa bona & Jura possessionaria, ubi, & postquam ad manus filiarum devenerint, propter clausulam, &

a) Qui si extinguatur, Fiscus succedit. a. 26. 1715.

rationem prænotatam utrique sexui semper deservient.

§. 5. Et idem est tenendum de *bonis* quoque *emptitiis*, si nomen uxoris in literis *Emptionalibus*, & *Inscriptionalibus* insertum fuerit, quou videlicet *; altera parte deficiente in alteram* illo modo antellato *devolvantur*. A)

Utrum bona, nota infidelitatis condemnati *in fratrem adoptivum*, *Regio consensu accedente*, *condescendant ?*

TITULUS 49.

QUia super devolutione bonorum nunc tractatur, ideo adhuc quæritur: Utrum bona, & Jura possessionaria cujuspiam ob notam infidelitatis condemnati, post factam capiti, & bonis suis gratiam in illum, cum quo super devolutione bonorum suorum prius fraternalem adoptionem, & contractum fecerat, & hujusmodi contractui consensus Regius accesserat, condescendant, an non? DICENDUM, quod non.

§. 1. Quoniam contractus ipse *vim fraternalis condivisionalitatis* in bonorum successione non tenet. Modo certum est, quod talis *infidelitatis nota inquinati*, & obfuscati hominis bona nec in filios suos prius natos, nec etiam in fratres ejus carnales, aut condivisionales deriventur: B) Et ideo neque in fratrem adoptivum

A) a. 11. 1687. a. 26. 1715. Conf. p. 1. t. 102.
B) p. 1. t. 16. 20.

vum) si etiam consensus, ut præfertur, Regius super ea re fuisset impetratus) bona prænotata devolvuntur.

§. 2. Super condescensione autem eorundem bonorum ante collatam gratiam Regiam nulla est quæstio. Quia tunc ipsa bona illi cessissent, cui per Principem donata fuissent. *Quamdiu* enim *quispiam Dominium reale bonorum suorum tenet*, & possidet, interim *semper ea, delictis suis, & excessibus ita exigentibus*, perpetuo *amittere potest*, fraternali adoptione non obstante. A)

Quid de successione filiarum, duorum fratrum, in hæredes seorsim præfectarum sit sentiendum?

TITULUS 26.

ITEM ulterius quæritur; si duo fuerint fratres carnales, aut condivisionales, quorum uterque (sexu masculino destituto) filias in propriis bonis, ac Juribus suis possessionariis seorsim, & diverso tempore *in hæredes masculinos*, vel etiam *ad utrumque sexum* per Principem præfici & creari procuraverit, neutro fratrum hujus modi præfectionem alterius impugnante; utrum deficientibus filiabus, vel hæredibus, aut posteritatibus unius fratris bona, & Jura ipsarum possessionaria in filias, vel posteritates alterius fratris superextantis devolvantur ratione consan-

A) Kitt. Dub. 22.

guinitatis earum, vel in Regium Fiscum condescendant?

§. 1. Dicendum, quod Regio Fisco erunt applicanda. A) Quoniam illæ non successionis vel consanguinitatis Jure, sed præfectionis virtute bonaipsa adeptæ fuisse dignoscuntur.

§. 2. Præfectio autem vim, naturamque Donationis repræsentare dignoscitur, B) & ejuscemodi Donatio seorsim, & nonconjunctim facta fuisse reperitur; ideo tanquam inter alienas personans divisim, & diverso tempore facta reputatur, & perconsequens bona in Fiscum derivantur.

§. 3. Prout in Donationibus quoque fratrum carnalium post divisionem impetrandis (si nomen alterius fratris divisi non interseratur) fieri consuevit: Quod scilicet deficiente fratre impetratore, bona post divisionem obtenta, non in fratrem supervivențem, cum quo divisus fuerat, condescendant, sed collationi Regiæ Majestatis subjaceant.

De divisione bonorum inter patres, & filios eorum: Et de paterna, seu patria potestate. C)

TITULUS 51.

SCiendum deinde est, quod quamvis inter patrem, & filium divisio bonorum non semper admittatur; sunt tamen multi casus, in quibus

A) a. 26. 1715, B) p. 1. t. 7. 17. & 57. §. fin. C) Per 9. seqq. titt.

bus (si etiam filius nollet) pater suus eum ad divisionem peragendam compellere potest & e converso, si videlicet pater nollet; filius nihilominus divisionem bonorum cum patre per agendi habent auctoritatem.

§. 1. Sed antequam isti casus declarentur; necessarium videtur scire, qualem, & quot modis habeant patres in filios suos potestatem. UBI NOTANDUM, quod omnes filii, & filiæ parentum legitimæ, & illegitimæ ætatis, non emancipati, hoc est, a patria servitute non liberati, infra tempus emancipationis, seu liberationis (quæ juxta consuetudinem patriæ nostræ, ex parte filiorum per solam bonorum, & Jurium possessionariorum cum patre divisionem ex parte vero filiarum per earum despon-sationem, & nuptiarum solennitatem, seu matrimonii consummationem fieri consuevit) in patria potestate consistant.

§. 2. Qui ergo ex te, & uxore tua nascuntur, quamdiu emancipati non fuerint, in tua potestate erunt: & non solum illi, verum etiam nepotes tui, hoc est, filii, qui ex tuo filio non emancipato generantur, in tua pariter potestate manebunt.

§. 3. Qui tamen ex filia tua nascuntur, illi non in tua, sed patris, vel avi eorum potestate erunt; Sive pater nobilis, sive ignobilis existat: Quia *filii non matris, sed patris familiam sequuntur*. a) Et inde est, quod ex nobili matre, &

a) Supra t. 7.

ignobili patre generati, inter veros Nobiles non computentur.

§. 4. PATERNARUM itaque potestatum *prima* est: quod filius, quamdiu in potestate patris erit, de bonis paternis mobilibus, & immobilibus, invito, & non consentiente patre, nil quidquam vendere, vel aliter alienare, neque etiam contractum super his cum aliquo facere, aut inire potest.

§. 7. *Secundo*: quod patres filios suos, etiam legitimæ ætatis, ipsorum demeritis interdum exigentibus, castigare, & corripere; imo si excessus, & flagitiorum qualitas expostulaverit, incarcerare etiam A) possunt.

§. 6. ITEM, quod necessitate rationabili ingruente, patres onera filiorum suscipere, ac super se levare, & sæpe etiam bona ipsorum, nondum temen divisorem, in extremæ necessitatis casu vendere, & alienare possunt, prout declarabitur infra. B)

§. 7. ITEM, quod invito patre, filium suum apud se retinere potest nemo.

§. 8. ITEM, quod pater potest filium suum obsidem pro se ponere, sed non e converso.

§ 9. ITEM, quod filii non possunt testari quidquamde rebus mobilibus paternis, nisi quantum patres eorum admiserint, quia *testamentum ex libero testantis arbitrio debet procedere.* Tales vero filii non in eorum, sed aliorum, videlicet

A) Vel iis negligentibus; Magistratus. a. 111. 1723.
B) *p. 2. t. 57. §. fin.*

licet patrum, consistunt potestate. Secus tamen est de rebus per filios, propriis eorum servitiis, vel literariis disciplinis, acquisitis: Super illis namque, etiam præter voluntatem patris, libere testari possunt.

Casus, in quibus pater potest filium ad bonorum divisionem compellere.

TITULUS 52.

ITEM, ulterius sciendum; quod pater filium suum puberem, atque legitimæ ætatis, sed non impuberem, in casibus infra scriptis ad divisionem hæreditatum, & aliarum rerum A) compellere; non tamen potest de illis eum exhæreditare.

§. 1. *Primo*, si filius in parentes manus violentas injecerit, B) vel aliam gravem, & notabilem injuriam eis intulerit.

§. 2. ITEM, si parentes accusaverit criminaliter de tali causa, quæ in perniciem Principis, vel Reipublicæ totius Regni non vergit.

§. 3. ITEM, si vitæ parentum insidiatus fuerit, veneno scilicet, vel alio modo in necem parentum conspirando.

§. 4.

A) Scilicet divisione mediante a Prædecessoribus suis ad se devolutorum; Nam acquisita, alioquin liberæ Patris dispositioni subsunt. Sensu p. 1. t. 57. Vide tamen t. seq. §. fin.

B) Parentum Verberatores, aut Vulneratores, prorerum, aut factorum circumstantiis, mortis pœnæ subjacent. c. 11. 1723.

§. 4. ITEM, si cum maleficis, vel aliis nefandæ vitæ hominibus contra voluntatem patris perseveraverit, bona paterna prave consumendo.

§. 5. ITEM, si parentem captum de manibus inimicorum, vel de carcere (cum potuerit) non redemit, neque liberavit, vel pro eo fidejubere recusavit. A)

De casibus, in quibus e contrario filius cum patre divisionem facere potest.

TITULUS 53.

E Contrario vero filius (etiam in potestate paterna constitutus) patrem suum in casibus subnotatis ad bonorum, & rerum divisionem faciendam cogendi, & inducendi habet auctoritatem, præmissa patria potestate non obstante.

§. 1. *Primo*, quando pater dilapidator bonorum suorum extiterit, & bona sua, ac filiorum suorum non ex necessitate, & causa rationabili, sed per fraudem potius alienavit, vel alienare manifeste prætendit, & de hujusmodi voluntate sua filio evidenter constabit. B)

§. 2. ITEM, si quando hæreditates, & Jura possessionaria licet non alienavit, nec alie-

na-

A) Extra casus hic recensitos pater filium ex acquisitis quoque non videtur posse exhæreditare, seu penitus excludere, arg. t. seq. §. fin. Civilistæ passim 14. Casus Exhæredationis statuunt.

B) Sensu art. 48. 1723.

nare intendat; taman ea non debite colit, aut custodit, sed desolari permittit.

§. 3. ITEM, si pater filium sine justa causa, & sine notabili culpa impie, & crudeliter corripit.

§. 4. ITEM, quando pater filium post perfectum tempus legitimæ ætatis A) matrimonium contrahere vetat.

§. 5. ITEM, quando pater cogeret filium suum ad peccandum.

§. 6. Quamvis autem filius patrem criminaliter accusare (prout immediate prænarratum B) non valeat; tamen hoc casu (DEO enim magis, quam parentibus obediendum est) poterit filius honestis conditionibus patrem ad divisionem bonorum faciendum, non accusando, vel criminaliter contra eum agendo, sed potius errori, & defectui illius compatiendo, provocare, & inducere, atque etiam compellere.

§. 7. DIVISIONEM autem prædeclaratam bonorum, & rerum propter præmissos casus fiendam, intellige semper de bonis, & Juribus possessionariis, atque rebus mobilibus avitis, & non propriis servitiis, vel virtutibus patris acquisitis.

§. 8. Nam si pater ob causas, & rationes præscriptas coegerit filium suum ad divisionem, tunc de bonis, & hæreditatibus, seu Juribus possessionariis, atque rebus mobilibus per eum qualitercunque conquisitis, & inventis, divisionem cum filio facere non tenetur.

§. 9.

A) Hoc est, annorum 24. *Com. Syst. hic.* B) p. 1. t. 52.

§. 9. Verum si cessantibus præmissis causis, divisio inter patrem, & filium facta, subsecutaque fuerit; tunc indifferenter de omnibus bonis, & rebus A) inter eos divisio fieri debebit.

§. 10. Quoniam *pater filio*, & *e contra filius patri*, *quidquid rerum*, & *bonorum poterit acquirere*, *Jure naturali tenetur*. B)

Adhuc de uno casu divisionis, & de bonis filium Jure materno concernentibus.

TITULUS 54.

SCiendum enim est, quod postquam filius, annuente patre, legitimam duxerit uxorem (non obstantibus prænarratis casibus) poterit patrem suum semper (rite tamen, & legitime) ad divisionem in omnem eventum cogere, C) ubi æqualiter de utriusque, patris videlicet, & filii bonis, ac rebus divisio peragenda erit.

§. 1. Verumtamen si filius habuerit patrimonia, ac Jura possessionaria separata, quæ sibi Jure materno obvenerunt, sive vivente, sive decedente matre; ejusmodi bona cum patre diuidere non tenetur.

§. 2. Quia in ea parte matris solum, & non patris familiam bona illa sequuntur: prout manifeste ratio quoque iosa dictat. D)

De

A) Aviticis, & acquisitis. B) Kitt. Dub. 23. & seq.
C) Conf. a. 36. 1659.
D) Et pater, in ordine ad talia bona, pro extraneo reputatur.

De filiis, furiosis, & mente captis, quod semper in patria potestate consistant.

TITULUS 55.

NEc hoc prætermittendum est; quod filii furiosi, amentes, & mente capti, quia nunquam ad annos discretionis, & perfectæ ætatis perveniſſe existimantur, ideo nunquam de patria potestate liberantur.

§. 1. Unde parentes eorum, possunt ipsos ad omnia justa, & honesta obligare: Bona etiam illorum in casu manifestæ necessitatis alienare. Attamen ipsi quoque tenentur de victu, & amictu condecenter illis providere.

§. 2. Idem est intelligendum (patre defuncto) etiam de fratribus ipsorum furiosorum, quod scilicet frater eorum sanæmentis, inter alios ætate grandior, curam eorundem furiosorum, & amentium, tanquam pater supportabit. A)

Quod modis cesset, & tollatur paterna potestas?

TITULUS 56.

QUamvis autem filii de potestate paterna per divisionem bonorum (prout prænotatum est) eliberari, & emancipari soleant; tamen sunt aliqui casus, in quibus etiam aliter cessat, & tollitur patria potestas.

§. 1.

A) Idem dicendum de filiabus mente captis, respectu quoque bonorum maternorum non emancipatis. *Com. Syst. hic.*

§. 1. *Primo* per mortem patris sine testamento decedentis, si videlicet tutores testamentarios filio illegitimæ ætatis non substituit: & hoc, si pater ipse jam sui Juris fuerat, & in potestate patris sui non erat. Nam hoc modo filius in potestatem avi sui reincidere debebit.

§. 2. ITEM aufertur patria potestas; si pater ob aliquod crimen infidelitatis, vel alios enormes excessus hæreditate bonorum, & Jurium suorum possessionariorum privabitur, ac ad capitalem quoque sententiam per hoc condemnabitur: Nam sicut a mutua, & reciproca bonorum successione per hujusmodi notam, seu criminis pœnam, tam de filiis, quam fratribus decidisse; ita etiam patria potestas sublata, & extincta esse comprobabitur, atque verificabitur.

§. 3. ITEM cessat paterna potestas, si pater in manus hostiles, & captivitatem inciderit: Nam *qui captus est, alium in potestate sua habere non potest*: Quia tunc sui Juris non est: Et hoc, quamdiu in captivitate manebit. Nam post ejus eliberationem, atque revisionem paterna potestas instaurabitur, & revivisset.

§. 4. HINC EST; quod etiam præscriptio contra ipsum interea non procedit, neque ipse contra quempiam præscribere potest, sed infra revisionem suam, omnia in statu eodem priori permanebunt, & post reditum suum in eunctis causis, & earum articulis, atque processibus statum priorem sortietur. A) *Quod*

A) Jure scilicet postliminii: processu tamen Juris. p. 1. t. 79. Conf. Kett. cap. 4. q. 22. & Dub. 25.

Quod quilibet Dominorum, & Nobilium super bonis suis propriis liberam disponendi habet facultatem.

TITULUS 57.

SCiendum est autem, quod quilibet Dominus, Baro, Magnas & Nobilis, & possessionatus homo filios, & filias habens, sine omni consensu, imo & contra voluntatem eorundem, de & super rebus, ac bonis, & Juribus suis possessionariis, per eum propriis servitiis suis acquisitis, A) & adeptis, sive propriis pecuniis (quæ etiam servitiis acquiri consueverunt) comparatis, & emptis, *vita sua comite* B) liberam (prout voluerit) disponendi, & ea etiam alienandi plenariam habet potestatis facultatem: filiorum, vel filiarum contradictione, inhibitione, vel alia quavis repugnatione non obstante.

§. 1. Et, si quam pater ipse divisionem in eisdem rebus, ac bonis, Juribusque suis possessionariis, in humanis agens inter filios, filiasque fecerit, ne eo e medio sublato dissensiones, odia, contentionesque, & differentiarum ma-

A) p. 1. t. 5. Quæ autem sint censenda acquisita; Vide a. 26. 1715. & art. 49. 50. 1723.

B) Id est, per actus inter vivos, non autem ultimæ voluntatis, seu testamentaliter: Nam tunc filiorum, & filiarum ratio pro arbitrio patris, sine totali tamen eorundem exhæredatione (deinptis casibus in tit. 52. sup. specificatis) omnino est habenda. Quia pater filio, quidquid acquirere potest, Jure naturæ tenetur. per tit. 53. p. 1. §. fin.

teriæ inter eosdem prævia ratione suboriantur; etiam post obitum patris, filii, & filiæ divisionem ipsam ratam habere, & in eadem perpetuo permanere tenebuntur.

§. 2. Et hoc idem est etiam de bonis, & Juribus possessionariis vigore alicujus contractus, seu fraternalis adoptionis, vel etiam præfectionis in aliquem virum, aut aliquam fœminam redactis, & derivatis tenendum: Quia solus, vel sola ejuscemodi bona consecutus, aut adepta esse intelligitur, atque comprobatur.

Quod pater bona avita in præjudicium filiorum alienare non possit.

TITULUS 58.

VErumtamen super bonis, ac Juribus possessionariis avitis pater in præjudicium filiorum, vel etiam filiarum (si ea Jus quoque fœmineum sequantur) & similiter frater in præjudicium fratris super bonis, ac Juribus possessionariis paternis, vel avitis sine consensu filiorum, ac filiarum, vel fratrum, quantum ad alienationem, aut venditionem eorundem bonorum simpliciter, nullam penitus Fassionem facere potest. a) Quæ, si etiam fieret, nullius censeretur esse vigoris, neque firmitatis.

§. 1. *Solent* namque nonnulli bona, & Jura possessionaria paterna, & avita sæpe necessitate cogente; interdum vero nulla rationabili cau-

a) a. 47. 1723. p. 1. §. 61. Kitt. Dub. 26.

causa adurgente, sed gula duntaxat, & crapula commessationeque monente; interdum autem damnabili in vidia contra fratrem concepta instigante, pariter & diabolo cooperante; aliquando vero bene, & recte; sæpius tamen malitiose, quibus possunt, impignorare, aut perpetuo vendere, inscribere, & diversis titulis, exquisitisque coloribus obligare; & ut facta super eo Fassio majoris firmitatis existat, & invalidari nequeat, onera, filiorum, filiarumque, & fratrum super se, & hæredes suos in serie Fassionis assumere, atque levare.

Quid sit onus assumere, & quot modis onera filiorum, & fratrum assumantur?

TITULUS 59.

ONera autem assumere, est fidejussionem quandam super observatione paternæ, vel fraternæ Fassionis, emptori bonorum aliquorum facere. *Unde sciendum*, quod onera filiorum, vel fratrum tribus modis assumantur. *Primo* modo simpliciter. *Secundo* vero rationabiliter. *Tertio* autem, & ultimo necessitate.

§. 1. *Primo* inquam *simpliciter*, A) quando scilicet nulla evidenti necessitate, nulla etiam rationabili de causa (prout immediate præmisi) sed aut malitiose, aut gulose, aut etiam injuriose onera ipsa assumuntur: Et sic nihil tenet in Judicio; sed de plano, simpliciterque & assumptio hu-

A) Conf. a. 48. 1723.

hujusmodi revocatur, & Fassio quoque invalidatur.

§. 2. *Secundo* modo *rationabiliter*, manifesta videlicet, & rationabili causa occurrente, puta possessionem, præ manibus alienis in pignore habitam, ad se redimendo, vel dotem, & res Paraphernales, atque jus Quartalitium solvendo; ut scilicet una portio, aut particula venderetur, & residuitas omnium bonorum ab onere necessario eriperetur.

§. 3. Item piscinas, molendina, domosque, & curias ex necessitate construendo, vel portionem aliam, & forsitan meliorem pretio possessionis, aut portionis venditæ emendo, aut concambium possessionarium faciendo.

§. 4. Quæ, quia filio, vel fratri in lucrum hæreditatis succedunt; ideo simpliciter onera præassumpta in tali casu revocari, & retractari non possunt: Sed si filius in serie Fassionis, & in assumptione oneris specifice nominatus ea revocare voluerit, tunc vivente patre, cum Homagio, & æstimatione communi universorum Jurium possessionariorum patris, ubilibet adjacentium; mortuo vero patre, solummodo cum communi æstimatione ipsorum Jurium paternorum, retractandi, & annihilandi habet potestatis facultatem. Et idem est etiam de fratrum Fassione sentiendum, atque tenendum.

§. 5. Hic tamen advertendum est; quod si assumptio oneris generaliter facta fuerit, & nomina filiorum, vel fratrum in Fassionis serie

no-

nominatim expressa, denotataque non extiterint, tunc ejuscemodi oneris assumptio nil tenebit, sed simpliciter invalidari valebit.

§. 6. *Tertio* vero, & ultimo modo, *extrema necessitate urgente;* dum videlicet quis sententia capitali, Juris ordine adversus alium convictus, & condemnatus fuerit, & forsitan in persona quoque propria vigore ipsius latæ sententiæ detentus, ac ad manus judiciarias, ad infligendam sibi pœnam a Jure statutam, assignatus fuerit, vel licet non detentus, gratiam tamen Regiam non consecutus, aut si gratia sibi data fuerit, ita tamen, ut concordet cum adversa parte (nam & alioquin Regia Majestas gratiam non secus, nisi ut concordet, facere potest) vel in Turcarum, Saracenorum, aut Tartarorum, seu aliorum quorumcunque hostium, & inimicorum captivitate detentus, & inde non secus nisi pactione quapiam liberatus fuerit: tunc hoc ultimo modo præmissi oneris assumptio nunquam revocabitur.

§. 7. Nulla etiam via Fassio super ea refacta per filium, vel fratrem retractabitur; imo, si pater portionem filii (quia propria portio ad caput suum redimendum non sufficeret) in casibus præmissis ante divisionem filio factam alienaverit; filius sufferre, tolerareque debebit.

§. 8. Nec ejuscemodi Fassioni (si etiam unica, & singularis esset persona fatens) vel Regius, vel fratrum condivisionalium consensus

est necessarius, sed semper de se rata manebit, atque firma.

§. 9. *Corollarium.* Itaque ex præmissis infertur, quod possessionaria venditio triplex est: scilicet simplex, rationabilis, & necessaria. *Simplex* venditio nihil valet. *Rationabilis* vero aliquando valet, & aliquando retractatur. *Necessaria* autem semper valet, & semper tenetur, & nunquam invalidatur; prout ex immediata, prædeclaratione assumptionis, & revocationis onerum filiorum, ac fratrum clare liquet. a)

De legitima admonitione in possessionaria venditione necessario præmittenda.

TITULUS 60.

NOtandum ulterius; quod quia in Fassionibus tam impignoratitio, quam etiam perpetuitatis Jure, & titulo maxime in præjudicium fratrum per plerosque faciendis, damnabilis quædam abusio succrevit: Quod scilicet quinquaginta florenos interdum a fœneratore quis accepit, & centum, aut ducentos florenos coram Capitulo, vel Conventu, aut Judicibus Ordinariis Regni, se accepisse studiose, & quidem malitiose fatetur. Capitulum autem, & Conventus, vel Judices Regni Ordinarii juxta Fassionis factæ seriem, & modum, literas Fassiona-

a) Totus hic Titulus loquitur de perennalii bonorum, & Jurium possessionariorum abalienatione. *Conf. Syst. hic.*

nales, & Obligatorias dare tenentur. Sicque nonnulli propediem tanta pecuniarum summa bona sua obruunt, & involvunt, ut vix medietatem summæ eadem bona valere dignoscantur. Unde sæpe evenit, ut hujusmodi bona ab ipsa sua progenie perpetuo alienentur.

§. 1. Et ideo quælibet possessionaria venditio, imo & impignoratio legitimam semper requirit filiorum, aut filiarum, vel fratrum, ad quos successio, & devolutio hujusmodi Jurium possessionariorum venditioni, & impignorationi expositorum spectare dignoscitur (ut illam, vel illa ad se recipiant) admonitionem: a) Qui si legitime admonici, & requisiti, possessionem, seu Jura hujusmodo possessionaria juxta condignam, & communem eorum æstimationem, ac valorem pro se habere, & ad se recipere voluerint; ante omnes alios emptores, aut fœneratores liberam; plenariamque habent pro se recipiendi, & emendi facultatem.

§. 2. Si vero venditor, aut impignorator ipse admonitionem præmissam facere recusabit, & Jura sua possessionaria præter scitum, vel consensum dictorum filiorum, vel fratrum, cuipiam alienabit, vel impignorabit, & ipsorum filio-

 rum,

a) Fieri hæc admonitio potest in Sede judiciaria, vel Congregatione illius Cottus, in quo Bona adjacent: Aut alibi per Judicem Nobilium, quocunque modo notitiam voluntatis abalienandi faciente. Qua occasione *Conditiones* etiam declarari debent, sub quibus Possessor Bona sua abalienare cupit. *Com. Syst. hic.*

rum, aut filiarum, vel fratrum aliquis, aut aliqua emptorem hujusmodi bonorum, seu Jurium possessionariorum contra se in Curiam Regiam A) propterea evocabit; tunc in uno duntaxat termino juridico, scilicet Octavali, causa ipsa finiri debebit. & actor ipse bona, seu Jura possessionaria prænotata, sola ipsa communi æstimatione eorundem, pro se recuperabit; non obstante pecuniarum summa, quantumvis magna in literis fœneratoris, seu emptoris super ea re Fassionalibus specificata.

§. 3. Dempto tamen, & excepto casuquoquis in capitali sententia convictus detineretur, & manibus judiciariis ad luendam pœnam traderetur: Nam hoc modo (quia præter trium dierum spatium inducias ad concordandum cum adversa parte non habet) admonitionem (modo antelato) facere non tenetur, sed quibus, & in quanta summa poterit, liberam vendendi bonorum suorum auctoritatem ibidem semper habet.

§. 4. Et hoc idem est intelligendum etiam de eo, qui apud hostes externos in captivitate tenetur: Quod scilicet is quoque bona sua sine admonitione, pro capitis sui redemptione vendere, perpetuoque alienare potest. B)

§. 5. UBI AUTEM admonitio prædeclarata venditionem perennalem bonorum, & Jurium possessionariorum legitime præcesserit, & nemo filio-

A) Conf. art. 47. 1723. & 52. 1655. ac alios ibidem citandos.

B) p. 2. t. 57. & supra t. 51. Item p. 1. t. 56. & 79.

filiorum, aut filiarum, vel fratrum bona ipsa; & Jura possessionaria venditioni exposita pro se habere, seu emere voluerit, vel forsitan inopia præpediente comparare non poterit; tunc iidem filii, ac filiæ, & fratres ipsi non aliter postea, nisi pecuniæ summa in literis Fassionalibus specificata plenarie deposita, & persoluta, vel etiam perennali æstimatione mediante, & longo litis processu, bona illa pro se vendicare valebunt.

§. 6. Nam & venditores bonorum suorum in casibus, articulisque rationabilibus, & admittendis non sunt adeo coercendi, & adstringendi, ut justis eorum Juribus, & rebus uti aut frui debite nequeant.

§. 7. Attamen si quis filiorum, aut filiarum vel fratrum bona ipsa ad se recipere velle tempore ipsius admonitionis responderit, & allegaverit; tunc ad deponendam summam ipsam condignam, & concordandum cum venditore terminus brevis, & competens coram Judice (cujus auctoritate, & literis admonitio ipsa fit, & exequitur) ad comparendum sipi præfigi debit. Termino autem ipso adveniente, si summam illam Juxta Judicis ipsius deliberationem, & bonorum ipsorum communem æstimationem deponere recusaverit; venditor ille liberam bonorum suorum alienandi facultatem habebit.

§. 8. DE IMPIGNORATITIIS autem bonis, a) & Juribus possessionariis secus est sentiendum;

a) a. 90. 1635. a. 125. 1647. a. 52. 1655. a. 33. 1682. a. 48. 1723. Kitt. Dub. 27. & 28.

Nam Jura aliqua poſſeſſionaria, ſupra valorem dictæ communis æſtimationis eorundem, ſive præcedat admonitio legitima, ſive non; in præjudicium ipſorum filiorum, aut filiarum, vel fratrum, aut etiam Juris Regii, impignorari nemini poſſunt. Verumtamen hæc æſtimatio, & ejus ſeries, non ſolum domos, ac curias nobilitares, ſeſſionesque Jobagionales populoſas, ac deſertas, vel prædiales, in faciebus oppidorum, villarum, aut poſſeſſionum adjacentes; ſed etiam terras, ſilvas, ac prata, piſcinas, & molendina (prout in Quartalitiorum ſolutione) per omnia includit; & in quantum hujusmodi æſtimatio juxta limitationem Judicis ſe extendit, in tantum etiam depoſitio, atque reſtitutio pecuniarum pro Juribus impignoratitiis, per filios, aut filias, vel fratres, ſed & eos, qui forſitan, cum jurisdictione Regia (in caſu, quo impignoratio per unicam, & ſingularem perſonam defectuique ſeminis proximam facta fuerit) procedere videbuntur, fieri debebit.

§. 9. Filias autem, & mulieres, in caſibus præmiſſis, illas intelligeadmonendas eſſe, quas ipſa Jura poſſeſſionaria vendenda, vel impignoranda, cum ſexu maſculino æquali Jure concernunt: Nam aliter filiæ, vel mulieres ipſæ pro extraneis in hac parte reputantur, & non ſecus, quam vicini, aut commetanei agere permittuntur. Hoc excepto, quod, ſi voluerint, ante omnes vicinos, & commetaneos ſeſe ad emptionem

nem, & receptionem bonorum illorum ingerere, & illa pro se habere possunt.

§. 10. Vicini vero, & commetanei, per admonitionem prædeclaratam, & pro ipsorum parte factam, Jura possessionaria venditioni expositа, pro se quidem ante omnes alios emptores extraneos, & remotiores vendicare possunt: Non tamen æstimatione communi, prout fratres, vel sorores, sed capitalis semper pecuniæ summæ in literis Fassionalibus expressæ depositione, & plenaria solutione, vel etiam ipsorum Jurium possessionariorum, perennali cum æstimatione. Unico tamen termino octavali, si admonitio ex parte vendentium non præcesserit, & ipsi nihilominus vicini, & commetanei pro parte ipsorum, admonitionem super ea re solitam peregerint; qui pro Juribus possessionariis impignoratitiis pari modo capitalem summam, pro qua hujusmodi impignoratio facta fuerit persolvere tenentur. Nec de æstimatione aliquali se in hac parte ingerere, vel immittere possunt; cum de proprietate, & hæreditate talium Jurium possessionariorum, nil ad eos pertinere dignoscatur.

Quomodo portio fratris per alterum fratrem vendita, vel impignorata recuperari debeat?

TITULUS. 61.

NOtandum ulterius, a) quod plerumque solent fratres natu majores, & interdum etiam

a) Hic Titulus declaratur a. 47. & 1723.

etiam minores, qui absentibus fratribus natu majoribus bona, & Jura possessionaria eorum paterna, & avita nondum divisa, domi manendo possident, oneribus cæterorum fratrum suorum carnalium, vel uterinorum in se assumptis eadem Jura possessionaria impignorare, aut perpetuo vendere: Per hocque emptores non solum portionem illius vendentis, vel impignorantis, verum etiam cæterorum fratrum ejusdem, quorum, ut puta, ille gravamina in se accepit, portiones possessionarias consueverunt pro se vendicare.

§. 1. Unde sciendum est, quod, si aliquando talis venditio, aut possessionaria alienatio *simplici modo* per quempiam committeretur, tunc portiones cæterorum fratrum sine omni prorsus solutione actori, vel actoribus in primis octavis reddi, & restitui debent. Portio autem fratris venditoris æstimabitur, & valor duntaxat communis æstimationis ipsius portionis emptori recompensabitur. Sic etiam illa portio fratris venditoris actori possidenda dabitur, oneris, vel gravaminis præassumpti revocatione, seu depositione prorsus sine omni. Pro residuitate autem, & superfluitate pecuniarum summæ in literis Fassionalibus denotatæ reliqua bona, & Jura possessionaria fratris ipsius venden tis, quæ ad recompensam ejusdem summæ se extendere, sufficereque videbuntur, mox, & ulteriori processu Juridico non expectato, per Judicem æstimari, & manibus emptoris sub con-

conditionibus in literis ejuscemodi Fassionalibus declaratis dari debent possidenda.

§. 2. Si autem alia bona præter vendita non habuerit, & rebus quoque mobilibus ad portionem suam cedentibus adeo destitutus fuerit, ut summa prænotata ex illis instaurari, & recuperari non possit: tunc emptor ipse damnum hujusmodi superfluitatis necessario tolerare cogitur, & hoc, in casu (ut præfertur) *simplici* superius declarato.

§. 3. Nam in casu rationabili etiam oneris retractatio (modo antelato) subsequi, & de illa superfluitas prænarrata pecuniæ (in quantum poterit) emptori refundi debebit.

§. 4. Et hoc idem est intelligendum etiam de patre, qui Jura sua, & filiorum suorum avita in præjudicium, & sine consensu ipsorum filiorum suorum *perperam*, & *irrationabiliter* alienabit, vel venditioni, aut impignorationi exponere curabit; quod scilicet Fassio sua in *casu simplici* A) præallegato simpliciter invalidari, & portio filiorum, sine omni prorsus solutione: portio vero patris, communi æstimatione mediante, eisdem filiis reddi, & instaurari debebit.

De

A) Quid sit Casus *simplex* quid *rationabilis*? Vid. sup. t. 59.

TITULUS 62.

HIc tamen attendendum, & cordi imprimendum est, quod, si frater Fassionem alterius fratris retractare, & revocare volens, bonis, aut Juribus possessionariis per hanc venditionem, aut commutatis, aut acquisitis, scienter, & sine juridica reclamatione usus fuerit, & fructum illorum realiter perceperit; tunc Fassionem hujusmodi nunquam revocare valebit: A) *Per usum enim realem Fassioni illi consensisse videtur.*

§. 1. Et idem est de Fassione quoque paterna, per filium retractanda, dicendum.

§. 2. Sic pariformiter sentiendum est de Fassionibus illis, quæ inter fratres generationales aut condivisionales, vel etiam quoscunque alienos, & extraneos, prætextu Jurium possessionariorum litigiosorum, per modum compositionis, & concordiæ fiunt, atque celebrantur.

§. 3. Et in hujusmodi compositione certa portio, vel particula Jurium ipsorum possessionariorum uni partium per alteram partem, bona illa litigiosa tenentem, & possidentem, vel aliter efficacia forsitan Jura ad ea habentem, datur, aut remittitur; reliqua vero particula seu portio causa pacis, & unionis apud se remane-

A) Potest tamen intra revolutionem unius anni: Quia per usum longioris duntaxat temporis consensisse videtur. Kitt. Dob. 29.

nebit, & relinquetur perpetuo possidenda. Quæ quidem Fassiones *(quia finis, & exitus litium dubius adhuc, & incertus erat)* semper observantur, & nunquam retractantur. A)

§. 4. Nam & alioquin Fassiones prædeclaratæ, quæ invalidari, & retractari possunt, non de recipiendis ad se, vel obtinendis pro se; sed de alienandis duntaxat a se bonis, & Juribus possessionariis intelliguntur.

De Fassionibus. Quæ Statutione legitima indigent, & quæ non?

TITULUS 63.

ITem: Fassio perennalis, inter fratres, generationales, & condivisionales, aut in præmissis aut etiam aliis casibns, prætextu ut alium jurium possessionariorum, quæ etiam alioquin in alterutrum essent devolvenda, coram quovis Judice ordinario, vel alio loco testimoniali, & authentico facta; nec Regio consensu, nec etiam juridica Statutione indiget.

§. 1. Aliæ vero omnes *Fassiones perennales* super quibuslibet bonis, ac Juribus possessionariis inter alienos, ac extraneos quocunque modo factæ; imo etiam *pignoris titulo*, B) ultra summam quinquaginta florenorum celebratæ,

A) Huc refer *Compromissum*, initum juxta a. 30. sub initium, An 1729.

B) In pignoratitiis Fassionibu, & Juris translationibus non requiritur amplius dicta annualis Statutio a. 125. 1647.

tæ, & emanatæ; infra integram unius anni revolutionem Statutione legitima firmari solent, atque debent.

§. 2. Et hoc, si ille, cui Fassio facta fuerit, extra Dominium ipsorum bonorum extiterit: Nam si in Dominio eorundem reali etiam antea fuerit, aut medio ejus, qui Fassionem fecit, Dominium hujusmodi reale, & possessorium de facto consequi poterit; tunc (etiam transacta ipsa annuali revolutione) Statutio prænotata semper exequi valebit.

§. 3. Hoc quoque præviso, quod si forsitan Fassionum aliqua Regio consensu egeat, & consensus talis usque ad annualem ipsam revolutionem impetrari nequeat; tunc Fassio hujusmodi non prius, nisi post impetrationem ipsius consensus Regii dicti, usque ad integram unius anni (ut præmittitur) revolutionem, vigore ejusdem consensus, statutione legitima (sive sequatur contradictio, sive non) roborari debet.

§. 4. Et hoc intellige de Fassione non cum futura conditione, sed de præsenti facta: Nam super aliquo contractu, seu fraternali adoptione, bonorumque in alterutrum devolutione, si Fassio per quempiam alteri, vel forsitan per duas partes sibiipsis mutuo, & in alterutrum celebraretur, ita videlicet, ut siquam partium hæredibus deficere contigerit, tunc bona, & Jura possessionaria ejusdem in patrem superviventem devolverentur, & Regia Majestas hujusmodi Fassioni, seu contractui, & fra-

ter-

ternali adoptioni suum Regium consensum largiretur: Quia Fassio ipsa, & ex consequenti consensus ipse Regius conditionalis, & non nisi altera partium deficiente locum habebit; ideo utrisque partibus superviventibus, vel forte illa persona, quæ alteri Fassionem cum conditione prænotata fecit, in humanis adhuc agente; Statutionem aliquam subsequi non est necesse.

§. 5. Nisi forsitan in bonis illis, & Juribus possessionariis *Jus Regium* a) fuisset, vel esset impetratum. Isto namque casu Statutio ipsa super Jure Regio (quod in multorum sæpe bonis, occultatum jacet) ut legitime subsequatur, necesse est.

§. 6. IDEM super prælegato consensu Regio dicendum est; quod altera partium deficiente, infra anni unius revolutionem integram consensus ipse (quæ vim Donationis tunc habebit) & ex consequenti Fassio, in eodem sensu scripta, legitimam sortiri debebit Statutionem.

Quid sit consensus Regius definitive?

TITULUS 64.

CONsensus autem Regius, est jurisdictionis sacræ Coronæ Regni super Juribus possessionariis, in eam successorio modo, Jureque devolvendis, per Principem, seu Regiam Majestatem, spontanea cessio.

a) Diferimen inter Consensum Regium, & Jus Regium; Vide apud Kitt. Dub. 31.

§. 1. Quæ quidem jurisdictio, sacræ Coronæ Regni, quantum ad devolutionem, & successionem bonorum, ac Jurium possessionariorum, isto, quo nunc utimur modo, a tempore regiminis, seu imperii Excellentissimi Principis quondam Domini LUDOVICI Regis, A) ab anno scilicet Dominicæ Incarnationis trecentesimo quinquagesimo primo supra millesimum, originem sumens, cunctorum Regum, Successorum scilicet suorum temporibus, usque modo inviolabiliter, & inconcusse servata, atque ratificata, super universorum Dominorum, Baronum, & Magnatum, ac Nobilium, Procerumque Regni bonis, & Juribus possessionariis) qui utpote in semine, & hæredibus deficiunt, vel in unicam, ac singularem personam deveniunt: Sicque defectui seminis aproximabunt) legitimæ successionis virtutem semper habet.

§. 2. ANTE enim ejus Principis tempora quilibet Baro, Magnas, Nobilisque, & possessionatus homo super Juribus suis possessionariis (si etiam hæredibus defeciisset) prout voluit, sine omni consensu Regio liberam disponendi habuit facultatem.

§. 3. Et in eo solummodo casu, si hæredibus, & omnibus propinquis destitutus, ac in tc-

A) Vide infra Ludovici I. Conclusionem Decreti, quo confirmat Decreta Andreæ II. Et confer p. 1. t. 5. & 57. Item a. 26. 1715. Juxta quæ etiam explica Kittonicsium in Dubietatis, seu Thesis trigesimæ Antitheſi, ac Resolutione.

testatus quispiam illorum decessisset, jurisdictio prænotata locum habuisse dignoscitur.

Quales Fassiones consensu Regio indigeant, & quales non?

TITULUS 65.

UNDE sciendum, quod nunc omnis Fassio Dominorum, ac Nobilium, & aliorum possessionatorum hominum per singularem, & unicam personam, ac defectui prolium, vel seminis approximantem, quibuscunque personis, & ex quibusvis casibus, ac rationibus, conditionibusque, articulis super quibuscunque bonis, & Juribus possessionariis *perpetuo facta*, consensu Regio (propter jurisdictionem successionis prænotatæ) semper indiget, estque necessaria.

§. 1. Nam sine ipso consensu non solum super bonis perennali Jure obligatis, verum etiam A) *pignoris titulo* ultra communem æstimationem ipsorum bonorum) inscriptis, Fassio prænarrata, qualitercunque (ut præmittitur) facta, atque celebrata, viribus destituta manebit.

§. 2. UNDE SEQUITUR; quod Fassio inter plures, & per plures personas fraternas, vel alienas, mutuo, aut seorsim quibuspiam facta, Regio consensu non indiget.

§. 3. Jus enim successionis propter alias personas, ex utraque parte hæreditario modo,

A) Quoad impignorationem dispositio hujus legis immutata est per a. 125. 1647. Quoad perennalem autem Fassionem declaratur. a. 26. 1715.

& Jure succeſſuras, locum in Principe, ſeu jurisdictione Regia nondum habet.

§. 4. Et hoc eſt verum; ſi perſonæ ab una parte ſtantes, ſeu Faſſionem facientes, vim ſucceſſionis invicem, & in alterutrum habet. De perſonis quoque ab altera parte ſtantibus idem eſt ſentiendum, atque tenendum: Nam aliter Regius ipſe conſenſus impetrandus ſemper, & neceſſarius erit.

§. 5. Pluralitas enim perſonarum non excludit Jurisdictionem Regiam, ubi nulla dignoſcitur eſſe fraternitatis, neque conſanguinitatis connexio, vel alterius ſucceſſionis in bonis mutua, reciprocaque viciſſitudo.

Quid ſit contractus definitive? & quando indigeat legitima Statutione?

TITULUS 66.

NOtandum igitur eſt, quod quilibet contractus interquoscunque poſſeſſionatos homines, aut alias perſonas, ſuper devolutione quorumcunque bonorum in alterutrum, altero deficiente fienda formatus, tam ſcilicet conſenſu Regio ſtabilitus, quam etiam pluralitate perſonarum fatentium modo præallegato roboratus, Statutione legitima poſt defectum ſeminis partis cujuspiam, infra annualem (ut præmiſi) A) revolutionem ratificari debet.

§. 1.

A) Supra t. 63.

§. 1. Interim autem pars ſupervivens, vigore Juris ſucceſſorii ex hujusmodi contractu, vel fraternalii adoptione ſibi attributi, Dominium bonorum partis deficientis, tanquam ſcilicet fratris ſui condiviſionalis, ſimpliciter proſe vendicandi, manibusque ſuis (dummodo legitimum aliquod non obſtet impedimentum) applicandi habet auctoritatem.

§. 2. CONTRACTUS autem, ſeu *fraternalis adoptio*, a) eſt alienæ cujusvis perſonæ per quempiam (hæredibus legitimis deficientibus) in bonorum ſuorum ſucceſſione permiſſiva ſubſtitutio.

§. 3. Dictum eſt autem notanter: *hæredibus deficientibus;* nam veris, & legitimis hæredibus, ac ſucceſſoribus ſuperextantibus, & ſuperſtitibus fraternalis adoptio locum non habet: Verum illis deficientibus, adoptatus ipſe frater, vel filius ſucceſſionis hujusmodi virtutem, & facultatem in bonorum ipſorum devolutione ſortiendus erit.

§. 4. Dictum eſt etiam: *permiſſiva ſubſtitutio;* quoniam ſine permiſſione, vel conſenſus adhibitione Principis Noſtri ejuscemodi ſubſtitutio, ſeu adoptio nullius eſt, vel erit firmitatis: Sed bonorum ipſorum devolutio in Principem, ac jurisdictionem ſacræ Coronæ directe ſpectabit, atque pertinebit: Neque ſine conſenſu Principis adoptivus ipſe frater, aut filius Dominium talium bonorum ingredi, vel pro ſe vendicare valebit.

a) Sup. t. §.

Quod Dominium bonorum duplici modo quispiam dicatur habere. Et de contractibus in fine.

TITULUS 67.

ADvertendum est autem, quod duplici ratione, atque via Dominium aliquorum bonorum quis habere dicitur. PRIMO, Jure possessorio, dum quis reale, pacificumque Dominium tam in fructibus percipiendis, quam etiam servitiis per colonos exhibendis, bonorum aliquorum aperte tenet. Et hic modus generalis est, ac omnibus manifestus.

§. 1. SECUNDA via; Dominium bonorum dicitur aliquis habere, Jure, vel modo successorio, quando devolutio aliquorum *Jurium possessionariorum* A) ad ipsum manifeste spectat: prout in bonis, & Juribus possessionariis fratrum carnalium in propinqua linea generationis habetur. Verbi gratia: licet frater carnalis, altero fratre similiter carnali supervivente, Dominium reale, ac possessorium bonorum suorum post factam cum eo divisionem non habeat; Jus tamen, ac Dominium successorum de facto, & immediate habet: Cujus virtute, postquam frater ipse sine hæredibus decesserit; mox, & immediate superstes, & in humanis agens frater bona defuncti fratris simpliciter, absque omni scilicet Statutione juridica, B) & alio processu

A) Etiam ad res mobiles extenditur hic Titulus per a. 56. 1655. B) Sup. t. 63.

cessu Juris, pro se vendicabit, & posteritati suæ juste, meritoque applicabit. A)

§. 2. Et si frater ipse defunctus filias, & uxorem post se relinqueret, & bona sua sexum fœmineum non sequerentur, ita videlicet, quod prius vivente fratre præmortuo, & progenitorum quoque suorum temporibus reale Dominium aliqua fœminarum in eisdem bonis non habuisset; tunc easdem filias, infra tempus maritationis earundem, uxorem autem, seu relictam illius tamdiu, quousque sub nomine, & titulo Domini, & mariti sui vixerit, & tempus viduitatis suæ peregerit, eo præcise Jure, & modo, quo frater ille defunctus, dum superviveret, victu, & amictu, omnibusque, vitæ necessariis, juxta bonorum illorum exigentiam educare, providereque, & conservare, ac honeste tandem filias nuptui tradere: Uxorem autem (si voluerit) nuptui pariter tradere, & insuper Dotalitium, ac res Paraphernales ejusdem persolvere frater ipse superveniens de Jure tenebitur. Idem quoque de contractibus, B) seu fraternalibus adoptionibus (ubi de eo contractu manifeste constat) est sentiendum: Nam licet frater præmortuus, hæredibus ex suis lumbis descendentibus caruerit, *hærede* tamen destitutus, qui *successor legitimus* appellatur, nondum defecit.

§. 3. Secus tamen est de illis fratribus, qui ante sexaginta, aut centum, ducentos, vel

A) Sup. t. 47. B) Kitt. Dub. 32.

plures annos in bonis, & Juribus eorum poſſeſſionariis diviſi fuiſſent, & a tanto jam tempore vix etiam genealogiæ ſuæ lineæ memoria haberetur, ſed ſolo quaſi nomine fratres condiviſionales dicerentur. Nam in hoc caſu ea Lege procedendum eſt; prout in facto Jurium poſſeſſionariorum per defectum ſeminis aliquorum decedentium, a Majeſtate Regia impetratorum procedi ſolet. A)

Quod violenti occupatores bonorum iterum violenter de illis ejici poſſunt.

TITULUS 68.

ITEM, ſi quispiam hominum ſe in Dominium talium bonorum, & Jurium poſſeſſionariorum violenter ingereret, ingredereturque, & quovis modo immitteret, quæ in alterum, & non ipſum derivata fuiſſent; tunc ille, qui vim, Jusque ſucceſſionis in illis bonis habet, infra anni unius integri revolutionem, etiam per potentiam, & parem violentiam ipſum occupatorem de Dominio eorundem ejiciendi, & excludendi habet facultatem. Quoniam in hac parte: *Vim vi repellere licet.* B)

§. 1. Transacto vero anni unius ſpatio; proceſſu Juris contra occupatorem eum agere debebit, & eum prætextu *indebitæ occupationis*, & *uſurpationis* C) hujusmodi bonorum, bre-

A) a. 25. 1715. B) Conf. p. 3. t. 22. & Kitt. c. 9. q. 31. C) a. 56. 1655.

brevi Evocatione, vel insinuatione mediante, in causam attrahere poterit: Ubi eo directo modo, quo ratione bonorum de manibus suis propriis occupatorum fieri solet; violentus occupator (eo quod jurisdictionem alterius vi, & potentia pro se vendicavit) in sententia capitali convinci debebit: Si tamen actor bona illa Jure successorio ad se devoluta fuisse comprobaverit. A)

§. 2. Et idem est tenendum de illorum quoque Jurium possessionariorum violenta occupatione, in quorum reali Dominio quispiam a diuturno spatio perseveraſſet: Quod scilicet spoliatus ipse occupatorem de illis pari violentia, si poterit, intra unius anni spatium ejiciendi, & expellendi habet auctoritatem. B)

De clausula: NIL JURIS. *Et qualia bona iterum in donantem, vel vendentem redeant?*

TITULUS 69.

ULterius sciendum, quod, si in serie literarum aliquarum Fassionalium clausula illa: *Nullum Jus, nullamve Juris, & Dominii proprietatem pro se reservando, &c.* aut studiose, aut ignoranter inserta fuerit, tale Jus possessionarium, super quo videlicet hujusmodi Fassio facta extiterit, nunquam in eum, qui Fassionem

A) Spoliati ante omnia restituendi. Novisol. An. 1542. artt. 4. & 5. Poson. An. 1542. art. 5. Item a. 56. 1655. B) Conf. Kitt. Dub. 34.

fecit (etiam sine hæredibus eo, in quem Jus suum transtulerat, obeunte) de cætero reflectetur, aut redundabit, sed collationi Regiæ Majestatis penitus subjacebit.

§. 1. Verumtamen si Fassio absque clausula prænotata celebrabitur, sive in mutua, & concambiali bonorum aliquorum permutatione, sive alia perennali collatione, utpote pro servitiorum remuneratione (prout plerumque solet) aut alia quavis rationabili ex causa, datione, inscriptioneque, vel obligatione, tunc eo ex humanis sublato, & hæredibus, aliisque legitimis successoribus destituto, A) cui collatio, aut quævis inscriptio bonorum ipsorum facta fuerat, rursus & iterum in illum, qui Fassionem fecerat, vel bona ipsa contulerat, ejusdemque hæredes, & posteritates universos (quoniam Juris successorii proprietatem, & Dominium pro se reservaverat, nec a se in alterum perpetuo transtulerat) ipsa bona devolvuntur, & Juri pristino effective derivantur, atque redintegrantur.

Quid sit concambialis permutatio B) *bonorum, & quare sit adinventa?*

TITULUS 70.

QUoniam autem semper concambiali permutatione bonorum, & Jurium possessionariorum mentio habita est; Hinc sciendum, quod con-

A) Atque ab intestato decedente. *Com. Syst. hic.*
B) De *Concambio* agitur per 4. seqq. titt.

concambialis bonorum permutatio, est Jurium possessionariorum duarum, vel plurium partium sibiipsis vicissitudinaria commutatio, & in alterutrum legitima translatio.

§. 1. Adinventa autem est; tum propter quietioris status consequendi facultatem: tum propter uberioris fructus percipiendi emolumentum.

§. 2. Plurimi namque bona sua in longinquis partibus a loco Residentiæ ipsorum magna adeo distantia, & intercapedine sita habent, ut plus ad provisionem illorum exponere cogantur, quam de fructibus eorum percipere possint, Nonnullorum autem bona propter potentum pernicioſam, & violentam vicinitatem in extremam devenere desolationem. Plerique vero ratione talium bonorum continuas habent lites, & controversias, ut ne nocte quidem propter eas quiescere possint. Ita ut longe plus jacturæ, quam utilitatis inde reportent.

§. 3. QUAPROPTER quilibet possessionatus homo de bonis, & Juribus possessionariis suis concambium sibi utile, & proficuum *Jure libereque* a) facere potest, contradictione filiorum, ac filiarum, vel fratrum suorum simpliciter non obstante.

§. 4. ATTAMEN portio illa, quæ in concambium sibi dabitur, in fratres generationales vel condivisionales (deficiente eo fratre, qui concambium fecerat) devolvitur, tanquam alia por-

a) Justo, & recto titulo, ac sine fraude. inf. tit. 71.

portio sua, per quam commutatio concambialis facta fuerat, quæ in ipsos fratres vigore Juris successorii derivanda erat.

Quid si concambium fraudulenter, & simulate factum, & celebratum fuerit?

TITULUS 71.

VErum quia plurimæ fraudes in hujusmodi concambiali bonorum permutatione per plerosque fieri, & committi consueverunt: Quidam enim bona in præjudicium, & jacturam fratrum suorum non vere, neque juste, sed ficte, & simulate vendere pariter, & alienare prætendentes, ne fratres ipsi bona ejuscemodi ab emptoribus, ne dicam fœneratoribus, pro se repetere, & Juri eorum vendicare, appropriareque possent, titulum, vel colorem concambialis permutationis (quæ justo, & recto modo libere fieri permittitur) in literis, seu privilegiis Fassionalibus inseri procurant, Jus aliquod possessionarium remoto in loco, vel forte etiam propinquo situm, & adjacens per emptorem, seu fœneratorem in concambium sibi datum esse profitentes, tamen Dominium hujusmodi Juris possessionarii ad modicum solum tempus (ut fraus ipsa interim palliaretur) aut nunquam pro se vendicabunt, sicque fratres eorum, ad quos successio bonorum, & Jurium possessionariorum ipsorum hoc sub titulo alienandorum spectaret, defraudantes, illos exhæreditabunt, etiam eo Jure pos-

ses-

sessionario, quod venditori per emptorem in concambium dari simulabatur, atque fingebatur, apud eundem emptorem perpetuo remanente.

§. 1. *Ne* igitur *fraus, & dolus culpiam patrocinari videatur*, A) postquam hujuscemodi fraudulentum concambium fratribus vendentis, & bona ipsa alienantis innotuerit, mox ad instantiam ipsorum fratrum, facta primum legitima super ea re Evocatione; sola communi æstimatione eorundem bonorum præmisso modo alienandorum mediante, unico tamen semper termino octavali; actori hujusmodi bona per Judicem reddi, adjudicari, restituique debebunt.

Quando concambium nullo modo possit retractari?

TITULUS 72.

ITEM, si pater, vel frater quispiam concambium aliquod fecerit: & filius, aut fratrum aliquis eo concambio scienter, & sine juridica reclamatione, vel prohibitione usus fuerit, fructumque bonorum permutatorum realiter perceperit, concambium ipsum postea filius, vel frater ille retractare, nequibit; B) *usus enim realis* in hac parte *in vim cessionis, consensusque transibit.* C)

Si

A) p. 2. t. 83.

B) Nisi esset *Pupillus*: Cui in legitima etiam ætate facta reclamatio semper opitulabitur. *Com. Syst. his.*

C) Sup. t. 62.

Si in concambio pecunia superaddatur, utrum talia bona Jus fœmineum sequantur?

TITULUS 73.

ITEM, quia Jura possessionaria modo concambii permutata, quantitate, fructuositate, & valore non semper æqualiter sibi correspondet, ideo solent plerique, quorum bona, & Jura possessionaria minoris pretii, valorisque existunt ad ea, ut concambium æquale fiat, summam aliquam pecuniarum superaddere; unde nonnulli putaverunt, hujusmodi Jura possessionaria (eo quod pecunia addita est) Jus fœmineum æque, veluti masculinum sequi debere: Quod tenendum non est.

§. 1. Nam Jurium possessionariorum conservatio, & sequela *non a ramo, pecuniæ scilicet additione*, A) sed a radice, & origine acquisitionis, & inventionis suæ judicanda censetur: Et ob hoc in tali casu homines fœminei sexus non nisi de pecuniis superadditis portiones suas rehabere poterunt. Proprietas autem, & hæreditas Jurium ipsorum possessionariorum sexui masculino salva manebit. B)

§. 2. Et hoc verum est, si ex origine, & radice ejuscemodi Jura possessionaria sexum fœmineum non sequantur. Super ea namque ambiguitate: Utrum aliqua Jura possessionaria sexum fœmineum æque, veluti masculinum, sequi debe-

A) Sup. t. 21. & 28.
B) *Cambium redolet naturam Cambiati.*

beant, nec ne? semper ad originales literas, quibus bona ipsa acquisita, & inventa fuerunt, recurrendum est.

Quid valeat EVICTIO, A) *seu expeditoria cautio præassumpta?*

TITULUS 74.

CÆterum quoniam in concambiali permutatione bonorum, ac Jurium possessionariorum *Expeditoria cautio*, quæ apud Legistas *cautio de Evictione* nuncupatur, inseri, & assumi plerumque solet. B) Si igitur partium aliqua legitime requisita, alteram partem juxta præassumptam, Tutoriam, Expeditoriamque cautionem in Dominio hujusmodi Jurium possessionariorum permutatorum adversus quospiam causantes, & *legitimos impetratores* conservare non poterit; tunc Jura sua possessionaria in concambium alteri parti data (si restant) in specie reddi, & restitui; si vero a manibus ipsius partis alienata fortefuerint, & recuperari nequiverint, tunc similia Jura possessionaria, quantitate, ac fructuositate, & valore Juribus alienatis æquis pol-

A) De Evictione 4. per seqq. titt. Et vide Kitt. Dub. 35. & 4. seqq.

B) Evictio omni Contractui, ac Venditioni, & quibuscunque oneribus literis naturaliter inest; nisi partes aliter convenissent. *Com. Syst. hic.* Si expresse assumpta est sub certis conditionibus; illæ servandæ sunt. Quia *omnis Contractus a Conditione Legem accipit.*

pollentia parti damnificatæ, quæ in Dominio illorum conservari nequibit, dari, statuique debent.

§. 1. Et hoc verum intellige; si Expeditoria cautio Fassionalibus simplici, communique modo inserta fuerit. Nam aliter, si clausula ipsa Expeditoriæ assumptionis cum coditionibus, & articulis aliquibus posita, declarataque extiterit; tunc ipsæ eædem conditiones, articulique positi in hac parte observari debebunt.

§. 2. Et hoc idem intellige etiam de cæteris Juribus possessionariis sub expeditoria ipsa cautione per quempiam alienatis, vel legitime venditis. Quod nimirum, si emptor bonorum in Dominio eorum per venditorem conservari nequibit; tunc similia bona, qualitate, quantitate, fructuositateque, & valore illorum loco sibi dari debebunt. A)

Qui intelligantur per legitimos impetitores?

TITULUS 75.

PEr legitimos vero impetitores accipiendi, ac intelligendi sunt causantes, & processu Juris agentes: non autem violenti occupatores, & manu potenti procedentes. Nam contra tales non tenetur quis alterum in Juribus venditis conservare. B)

§. 1.

A) Conf. a. 35. 1659.

B) Nisi se ita obligasset. Quo casu post factam talismodi bonorum violentam occupationem, & ex bonis ejectus,

§. 1. Emptor itaque bonorum, dum per quempiam ordine Juris prætextu hujusmodi bonorum emptorum impedietur, in causamque trahetur; tunc venditorem eorundem bonorum in defensionem causæ ipsius, antequam eadem decisionem sortita fuerit, penes se evocare tenetur.

§. 2. Nam si evocare *neglexerit*, & si Jura ejuscemodi possessionaria, seu bona juridice amiserit; A) venditor ipse ab onere Expeditoriæ cautionis absolvetur, liberaturque, & deinceps emptorem in Dominio eorundem conservare non tenebitur.

Quæstio notabilis super Evictione, seu Expeditoria cautione.

TITULUS 76.

ITEM quæritur: si quis alterum in Dominio cujuspiam possessionis conservaturum assumpserit, & se ad conservandum obligaverit, & aliqua terrarum particula abipsa possessione, temporum processu perquempiam metali Reambulatione, vel alio titulo distracta, Juridiceque sequestrata fuerit, corporali possessione salva remanente; utrum teneatur assumens alterum in illa quoque particula terræ conservare?

ctus, ad restitutionem sui in integrum penes mandatum modalitate *tit. 68. p. 1.* procedere poterit. *Com. Syst. hic.*

A) Excepto casu art. 35. 1659. & Kitt. Dub. 36.

§. 1. Respondet; quod non tenetur. Quoniam ipse possessionem illam cum cunctis suis utilitatibus, & pertinentiis *ad eandem de Jure spectantibus*, alteri contulit; A) & sic ipsum in Dominio ejusdem conservare assumpsit: Particula autem illa terræ ad hujusmodi possessionem de Jure non spectabat, & sic ipse quoque qui vendidit, quoad particulam eandem malæ fidei possessor erat. Ideo alterius Jura vendere non potuit, prout neque vendidit vigore illius clausulæ: *Ad eandem possessionem de Jure spectantibus, & pertinere debentibus, &c.*

§. 2. Nisi forsitan se ita obligasset; ut cum eisdem cursibus metarum, & limitibus, quibus per eum possessio illa obtenta fuisset, & possessa, in Dominio ejusdem alterum conservaret: Hoc enim modo æquivalentem terram loco amissæ terræ alteri dare tenetur.

Quod Donatores, & Venditores bonorum contra possessores eorundem per semetipsos agere non possint.

TITULUS 77.

HOc unum tamen advertendum est, quod Expeditoria cautio prænarrata semper ad exteros, & alienos causantes, ac legitimos impetitores, & actores, non autem ad ipsos donatores, & venditores bonorum est referenda; pro-

A) *Nemo plus Juris in alium transferre potest, quam ipse habeat.*

prout quosdam bona sua alteri conferentes ipse vidi contra possessores, & Dominos eorundem bonorum per semetipsos causam, atque litem suscitasse, quasi non possent illos in Dominio bonorum ipsorum conservare, per hoc eadem bona rursus pro se vendicare satagentes, quod nunquam est admittendum. A)

Quid sit PRÆSCRIPTIO B) *definitive? Et quot annorum curricula diversimode complectatur?*

TITULUS 78.

QUoniam præscriptionem tam prætextu bonorum hæreditariorum, quam etiam ratione Jurium possessionariorum impignoratitiorum, sed & actuum potentiariorum in Judiciis allegare sæpenumero consueverunt; pauca igitur de præscriptione necessario dicenda occurrunt: Et primo de ejus quidditate; deinde vero de ipsius duratione, & diversitate.

§. 1. SCIENDUM igitur, quod *præscriptio* C) *est termini ad juridicam tum retentionem, tum reacquisitionem bonorum, de Jure statuti temporalis completio.*

§. 2. Quæ super bonis, seu Juribus possessionariis venditis, occupatis, & quomodolibet alienatis, Regalibus, *centum*; Ecclesiarum *qua-*

A) Nisi revocatio debito tempore intervenerit. *Kitt. Dub.* 40. B) De *præscriptione* per 2. seqq. titt. C) Kitt. c, 4. q. 18.

draginta; Nobilium *triginta duorum*; civium vero *duodecim annorum* curriculis completur.

§. 3. In actibus siquidem potentiariis *triginta duorum* similiter annorum spatium præscriptio requirit.

§ 4. Villanorum autem præscriptio *unius anni* integri duntaxat, & *unius diei* terminum complectitur.

§. 5. Inter fratres vero generationales, & condivisionales ratione Jurium possessionariorum (demptis actibus potentiariis) ac in Dotalitiorum, & Quartalitiorum A) per eos solutione; præscriptio nunquam admittitur. B)

§. 6. In foro autem Ecclesiastico præscriptio aliter allegatur: SED quia non est mei instituti, aliquid de Ecclesiastico foro differere, illud silentio pertranseo, & quorum interest, limitandum committo.

§. 7. CÆTERUM, quanquam in metis quoque rectificandis, C) & Juribus impignoratitiis, D) plurimi peritorum, præscriptionem non esse admittendam, communi sententia, & proverbio adstruant; quia tamen hæc allegatio non simpliciter est intelligenda, sed recto moderamine discutienda, illam igitur suis in locis inferius dilucide declarabo.

Qui

A) Kitt, c. 4. q. 21. B) Conf. artt. 36. 37. 1729.
C) Infra t. 84. 85. D) Inf. t. 82.

Quibus temporibus præscriptio non currat, locumque habeat?

TITULUS 79.

SCiendum tamen est; quod, si quempiam in Turcarum, Saracenorum, Tartarorum, aut aliorum infidelium manus, & captivitatem incidere, & ibi tempus præscriptionis transgredi contigerit; A) tunc eo casu præscriptio nil tenet: Sed Nobilis bonis suis destitutus, postquam ad propria remeaverit, processu Juris ea pro se recuperare poterit, B) obstaculo præscriptionis obviare non valente.

§. 1. Et si quis per Regiam Majestatem exilio damnaretur, & filius ejus metu fortasse Principis, aut pietate suadente, cum patre pariter proficisceretur, ibique commorando, super Jurium suorum aliena detentione tempus præscriptionis Jura Nobilium Regni transcribentis evolveretur, ac compleretur; redeunte *filio (qui iniquitatem patris portare non tenetur)* bona sua alienata ad portionem suam cedentia non obstante præscriptione, idem pro se restaurandi habet auctoritatem.

§. 2. Quæ quidem præscriptiones etiam absque litis motione per literas prohibitorias, ac protestatorias excludi semper possunt.

§. 3. Nam & litis motio modernorum tempore non plurium, quam ipsorum *triginta*

A) Kitt. c. 4. q. 22. & Dub. 43.
B) Jure postliminii. p. 1. titt. 56. & 60.

& duorum annorum spatium A) complectitur: Et, si causa interim prosequuta non fuerit, expietis illis, ex novo litis motio ipsa suscitari debet.

De Juribus possessionariis IMPIGNORATITIIS B) *in generali.*

TITULUS 80.

Explicatis superius Jurium possessionariorum proprietatibus, & hæreditatibus, earumque speciebus; nunc de Jurium impignoratitiorum serie, & quidditate dicendum restat. C)

§. 1. Et quanquam Jura possessionaria impignoratitia nedum possidere, aut gubernare damnabile, salutique contrarium; verum etiam aliquid de illis scribere, formidabile videatur: quoniam tamen *Leges Imperiales*, atque *Civiles* ejus usum admittunt, adeo in hoc Regno, partibusque sibi subjectis usus iste pernicioſus multum inolevit, incrementumque grande cæpit; ut si quosdam pœna generalis Decreti super ea re inter cætera editi non perterreret, etiam depositа, & persoluta pecunia eis debita, bona, ac Jura ipsa impignoratitia remittere nusquam curarent, sed in perniciem animarum suarum, quamdiu possent, ea detinerent: Propter quod de pignorationis ipsius modo, & vigore pauca hic subnectenda statui.

Quid

A) Kitt. c. 4. q. 20. B) De Jure *pignoratitio* per 4. seqq. titt. C) a. 90. 1635. a. 125. 1647. a. 52. 1655. a. 33. 1681. a. 48. 1723.

Quid sit bonorum pignoratio? quot modis intelligatur?

TITULUS 81.

UNde sciendum, quod impignoratio Jurium possessionariorum dupliciter intelligitur, videlicet *ex parte pignorantis*, seu dantis: & *ex parte creditoris*, seu recipientis. Ex parte igitur dantis; *Impignoratio est Juris proprii, necessitate cogente, temporalis ad utendum alteri concessio.* Quantum autem ad creditorem, seu recipientem, *Impignoratio est Juris alieni cum fructuum perceptione, & capitalis summæ repetitione pernicioſa, damnabilisque* A) *ad tempus detentio.*

§. 1. Et hæc diffinitio non eo tendit, ut fructus, & utilitates bonorum pignoratorum quispiam percipiat, & insuper capitalem quoque summam repetat: sed potius ejuscemodi repetitionem, & usum confundit, atque damnat. Nam si quis hoc modo bonis pignoratis utitur, usuram palam committere dignoscitur.

§. 2. Verum si omnes fructus (demptis expensis, quas etiam verus Dominus pro conservatione ipsorum bonorum facere deberet) in capitalem summam computaret, hoc modo bona impignorata tenere non damnabile, sed summe laudabile foret, per hocque creditor ipse pietatis opus ad proximum suum se feciſſe comprobaret.

A) Conf. a. 51. 1715. & a. 120. 1723.

Qualiter intelligatur præscriptio in bonis impignoratitiis non admittenda?

TITULUS 82.

QUia vero *in causis impignoratitiis*, *præscriptionem non esse allegandam*, *neque admittendam*, in commune jam proverbium venit, quæ quidem proverbii ipsius deductio non simpliciter est intelligenda, sed, quemadmodum immediate præmisi, pignoratio dupliciter attenditur; *ex parte* scilicet *impignorantis* vel dantis, & *ex parte recipientis*.

§. 1. Auctoritas itaque ipsa ex parte solummodo dantis, & impignorantis vera est, admittendaque intelligitur. Ex parte autem creditoris, seu recipientis penitus rejicienda censetur.

§ 2. SOLENT enim plurimi bona eorum, necessitate urgente, pignori obligare, & ea adobitus usque diem ipsorum non posse redimere. Filii autem, aut fratres, decedente patre, vel fratre, aut inopia præpediti, aut negligentia, ignaviaque ducti; interdum etiam in servitiis superiorum longinquis, & remotissimis in partibus addicti, vel aliter extra Regnum præoccupati, annos, & terminos præscriptionis (ejus cemodi Jura impignoratitia non redimendo) longe transcendere, & in tali casu *præscriptio ex parte dantis* non est admittenda. a)

§. 3.

a) Aliter Kittonics, c. 4. q. 21. Imo Dub. 44. contradictionis arguit Werbœczium; sed temere. Vide Tyroc. Jur. Ung. hic §. 2.

§. 3. Ubi namque filii, aut fratres Nobilium impignoratorum, seu impignorantium, illorumque hæredes bona ipsa, & Jura possessionaria impignorata ad ipsas manus alienas titulo pignoris deveniſſe poterunt comprobare, & ea pro se voluerint rehabere, atque redimere; tunc possessor ille Jurium impignoratitiorum, obstaculo præscriptionis non suffragante (si etiam binario, aut ternario, vel ampliori numero præscriptio interveniſſet) quamvis etiam idem possessor (ne dicam, fœnerator) bona ipsa impignoratitia, nomine forsitan Juris Regii, interea temporis pro se impetraſſet; bona eadem remittere tenetur.

§. 4. Et si quid tandem Juris ad ea bona se habere prætendit, id extra Dominium eorundem processu Juris prosequi debebit.

§. 5. Et hoc intellige, si post factam prius impignorationem Jure posteaperennali impignorans ipse bona ejusmodi illi possessori non obligavit. Nam hoc casu bona eadem remittere non tenetur, sed filii, aut fratres impignorantis, si ipsa bona in præjudicium eorum non potuisse Jure perennali obligare, vel alienare allegabunt; eo processu, quo super Juribus hæditariis solitum est procedere, talia bona, & Jura possessionaria requirere tenebuntur.

§. 6. Nam *duplici titulo, impignoratitio videlicet, & perennali simul, nemo Jus aliquod possessionarium tenere potest*, sed postquam perpetuitatis titulo quis illud possidere cœperit,

mox virtus impignorationis ceſſabit, & exſpirabit omnino.

§. 7. Verumtamen eandem auctoritatem; *quod in cauſis, Juribusque, & rebus impignoratitiis præſcriptio non eſt alleganda*, nonnulli perperam, abuſiveque, & ſiniſtre interpretantes, intelligereque ſatagentes, multa bona, & Jura poſſeſſionaria Dominorum Prælatorum, ac Baronum, & Regni Nobilium, mediantibus literis impignoratitiis, ante ſexaginta, ſeptuaginta, centum, & plures annos confectis, & emanatis, prænarrato pignoris titulo pro ſe vendicare, uſurpareque nituntur.

§. 8. QUAPROPTER advertendum eſt; quod omnes ejuscemodi *antiquæ*, *veteresque literæ impignoratitiæ*, a) *quæ tempus præſcriptionis tranſcenderunt* (ſi de violenta expulſione, vel indebita ablatione bonorum, & Jurium ipſorum poſſeſſionariorum impignoratitiorum; per actorem, & acquiſitorem eorundem bonorum legitimum, probabileque documentum, & teſtimonium literali fulcimento produci non poterit) *inefficaces*, *nulliusque firmitatis ſunt cenſendæ*, *atque committendæ*.

§. 9. De violenta tamen, & indebita hujuscemodi expulſione, vel bonorum ipſorum ablatione; *ſexageſimi* uſque *anni ſpatium*, & non amplius, etiam humanum teſtimonium (ſi ſufficiens, & juſtum per actorem produci poterit) acceptandum erit.

§. 10.

a) Ulad. 4. a. 17. Conſ. artt. 36. & 37. 1729.

§. 10. SÆPENUMERO namque super ea integra pecuniarum summa, pro qua videlicet quis bona sua alteri impignoraverit, creditori suo satisfacit; attamen literas impignoratitias in specie non semper poterit rehabere, sed solummodo *literæ* super ea re *expeditoriæ*, seu *quietantiales* illi dantur: quæ sæpe periclitantur; maxime, si eundem hominem hæredibus deficere, & bona sua ad manus Regias, aut alterius ex Donatione Regia, vel etiam aliter applicari, devenireque contigerit. In simili igitur causa contra veteres literas impignoratitias non tenetur quis (signanter alienigena) decedente, deficienteque impignoratore, literas expedtitorias exhibere: nisi forsitan minus juste, violenterque Jus pignoratitium de manibus sui possessoris (sicuti prænarratum est) per quempiam ablatum fuisse, posset comprobari. Nam hoc modo non videtur æquum pecuniis suis illum debere frustrari. a) *Res* enim, vel *possessio* in hac parte *cum onere transit.*

§. 11. Verumtamen, si meminerit capitalem summam perprius de illo se extorsisse *studeat* ipsi *pignori potius cedere*, atque renunciare, *quam animæ suæ periculum parere.*

Quod

a) a. 195. 1647.

Quod Jura possessionaria ultra communem eorum æstimationem pignorari non possunt.

TITULUS 83.

HOc unum tamen attende (prout superius quoque breviter tetigi) quod Jura possessionaria quorumcunque Dominorum, Magnatum, & Nobilium, possessionatorumque hominum, cujuscunque status, conditionis, dignitatisque, & præeminentiæ existant; *ultra valorem communis æstimationis* A) eorundem Jurium possessionariorum, in quocunque casu, titulo pignoris obligari nequeunt.

§. 1. Verumtamen si ultra condignam, & communem æstimationem eorundem cuipiam forsitan obligarentur; tunc ille, qui alteri obligavit, vita sua comite, per seipsum non aliter, quam deposita, restitutaque pecuniarum summa per eum ad id levata, ad se redimere poterit.

§. 2. Eo tamen decedente, aut etiam inhumanis agente, filii, vel fratres ipsius impignorantis, ad quos videlicet hujusmodi redemptio spectare videbitur, præmissa communi æstimatione mediante, pro se redimere valebunt: Casibus venditionis, vel impignorationis prædeclaratis semper observatis.

§. 3.

A) Hæc Lex per posteriores Leges sublata est: Et jam recurritur ad literarium (justas tamen, & legitimas) conditiones. a. 90. 1635. a. 125. 1647. a. 52. 1655. a. 33. 1681. a. 48. 1723.

§. 3. Per communem autem æstimationem in hoc loco intellige, non boves, equos, vaccas, oves, aut alias res hujusmodi vendibiles; sed valorem bonorum, ac Jurium possessionariorum impignoratorum; in quantum scilicet se, communi ipsa æstimatione mediante, inclusis etiam terris, silvis, & pratis, ac aliis pertinentiis, & utilitatibus (prout etiam supra A) notatum est) valor eorundem bonorum extendit: Secundum enim ejuscemodi valorem solutio tandem pecuniis fieri debebit.

De metarum distinctionibus, B) *& rectificationibus in generali.*

TITULUS 84.

ITEM quoniam *in metis* quoque *rectificandis præscriptionem non currere*, superius diximus C) ideo de metarum Reambulatione, simul & rectificatione breviter aliqua subjungam.

§. 1. Unde sciendum est, quod roborato Solio, regimineque hujus Inclyti Regni Hungariæ, & populo Hungarico ad agnitionem veritatis, & veræ fidei professionem, inspirante Spiritus Sancti gratia, veniente, D) gloriosus Rex, & Apostolus noster Beatus STEPHANUS; Inclytus quoque, & pius Rex Sanctus LADISLAUS; multi deinde Divi, Sereniſſimique Reges Hungariæ, eorum scilicet Successores, plurimas *terras* (quas nunc

A) p. 1. t. 60. B) De *Metis* per 4. seqq. titt.
C) Tit. 78. D) p. 1. t. 3. & 11.

nunc *possessiones* vocamus) a castris Regalibus, ad quæ, veluti jurisdictionem sacræ Coronæ Regni hujus spectabant, sequestrantes tum *Monasteriis*, & *Ecclesiis in perpetuam Eleemosynam*, tum vero *servientibus* A) ipsorum) quos jam *Nobiles* appellamus) exigentibus eorundem servitiis, *in perpetuam hæreditatem* contulerunt.

§. 2. Quas quidem terras, tempore hujus modi Donationis, metali etiam distinctione ab aliis terris segregari fecerunt.

§. 3. Multiplicatis dehinc Baronibus, ac Magnatibus, & Nobilibus hujus Regni, sub inclusione metarum unius terræ, seu possessionis sæpe duas, & interdum etiam tres, aut plures villas nonnulli eorum condescendi, ac collocari, populisque, & inhabitatoribus decorari fecerunt: Nullam aliquando metalem distinctionem, sed quandam duntaxat ad utendum limitationem inter villas ipsas facientes: Interdum tamen etiam metarum erectione easdem a sese separantes.

§. 4. Procedente itaque tempore, filii, hæredesque ipsorum Dominorum, Baronum, & Magnatum, ac Nobilium, Jura eorum possessionaria inter sese dividentes; uni una, alteri altera villa in portionem devenit, atque cessit. Quibus tandem defunctis, & sæpe deficientibus, ejuscemodi villæ, ac possessiones ad diversorum ma-

A) Qui servientes Regis fuerint; Vid. Andr. II. Decreti artt. 2. 4. 7. &c.

manus hominum, a) ex Donationibus Divorum Hungariæ Regum, vel aliter simul cum literis metalibus devenerunt: sicque in Reambulationibus, & rectificationibus metarum differentiæ primum subortæ fuerunt.

§. 5. Nam illi, quorum ad manus literæ metales cum possessione easdem literas tangente inciderunt; ex hujusmodi metali inclusione etiam alias villas, & possessiones virtute literarum ipsarum ad se pertinere putaverunt. Novissimis siquidem temporibus etiam per manifestam potentum, violentorumque occupationem, & terrarum distractionem variæ contentiones in ipsis metis rectificandis suboriri cœperunt.

Qualiter intelligatur in metis rectificandis præscriptio *non admittenda.* b)

TITULUS. 85.

Licet itaque in metis rectificandis non sit *præscriptio* admittenda; verumtamen corporales possessiones sub inclusionibus quarumcunque literarum metalium adjacentes (maxime in casibus præmissis) annihilari, vol occupari virtute talium literarum metalium non possunt.

§. 1. Tempore etenim fundationis, & descensus hujusmodi corporalis possessionis *reclamatio*, & *inhibitio* (ne ibi possessio, aut villa ex-

a) Vid. art. 19. & 20. An. 1635. & alios ibi. citand.
b) Declaratur hic Titulus per. artt. 19. & 20. An. 1635. Qui in art. 40. 1715. confirmantur.

extrueretur) (per eum, ad quem terra, vel meta pertinebat, *fieri debuisset*

§. 2. Verum ad hujusmodi villam, & possessionem corporalem sub inclusione ipsarum literarum metalium (ut præfertur) adjacentem *juxta* rectam, & *æquam Judicis* ordinarii *limitationem*, & *diuturnum usum*, ac *reale Dominium* terrarum, silvarum, montium, promontoriorum, pratorumque per colonos, & inhabitatores hujusmodi villæ, vel possessionis habitum, & tentum; metalis distinctio, pariter & annexio earundem terrarum, silvarum, virgultorum, montium, promontoriorum, aquarum, pratorumque, & fœnilium ad usum ipsorum colonorum sufficiens fieri, constituique debebit: Reliquis clausulis literarum ejuscemodi metalium actori salvis permanentibus.

§. 3. *Particulæ* vero, aut quantitates aliquarum terrarum, silvarum, promontoriorum, & pratorum paulatim a suo membro, corporali videlicet possessione quovis modo distractæ, vel occupatæ; vigore literarum metalium (dum tamen ipsæ literæ rite sint emanatæ) iustaurari, & suo principali membro (*vetusta, & approbata Regni hujus consuedine dictante*) per actorem, *juramento mediante* A) juxta ejusdem

A) Juramentum ab Actore præstandum debet esse de Veritate, & non de Credulitate. *Com. Syst. hic.* Conjuratores tamen non de Veritate, sed de Credulitate juraut: ut colligitur ex instructione, quæ præmittitur Formulæ Juramenti metalis; quam vide infra post Decreta Regg.

dem particulæ distractæ, vel occupatæ quantitatem, & æstimationem reincorporari possunt, atque debent: *Allegatione cujusvis præscriptionis non obstante.*

§. 4. Qualiter autem ejusmodi terræ, aut silvæ æstimari debeant; & quid duo, aut tria, vel plura terrarum jugera, fœnetaque, vel silvæ valeant; in serie æstimationum infra A) clare descriptum habebis.

Quales literæ metales valeant, & quales non?

TITULUS 86.

SCiendum ulterius, quod in metarum Reambulationibus, & literis super ea re conficiendis, plurimæ fraudes, apertaque scandala committi consueverunt.

§. 1. Nonnulli enim salutis, & honoris eorum immemores, acceptis literis Regiis, aut aliorum Judicum Regni ordinariorum Reambulatoriis, per clausulam: *Dicitur nobis &c.* emanatis, hominem Regium, aut Palatinalem, ac alicujus Capituli, vel Conventus Testimonium ad Executionem, seu Reambulationem ipsam transmissos, pecuniis, aut muneribus sæpe corrumpere; ad eorum relationem tales, quales voluerint, literas metales privilegii more pro ipsorum parte conficere, & a Capitulo, vel Conventu (altera parte, cujus scilicet terras perambulasse inique retulerunt, penitus ignorante) pro se extrahere, easdemque literas apud se de-

A) Tit. 133.

demum occultare, & Reambulationem ipsam taciturnitatis silentio usque decem, sedecim, & interdum viginti quoque, & plura annorum curricula præterire; & tandem vigore illarum, decedentibus forsitan jam Regio, ac Capitulari, vel Conventuali hominibus, prout & vicinis, ac commetaneis, quorum nomina fraudulenter in literis metalibus inserta fuerunt; Reambulationem metalem publice, & jam juridice peragere; sicque terras plurimas Juri eorum inique, & dolose vendicare sæpenumero solent.

§. 2. Quorum damnabili lucro via præcludatur, & veritas ex literis eliciatur; per Judices Regni ordinarios, & eorum Protonotarios hujusmodi literæ per clausulam: *Dicitur nobis &c.* ad relationem aliquorum Regiorum, vel Palatinalium, Capitulariumque, aut Conventualium hominum emanatæ, diligenti semper examine, curaque, & solicitudine ruminentur, atque super usu earum (si videlicet post factam Reambulationem illam metalem vigore earundem literarum *Dominium*, & *usum terrarum* in ipsis specificatarum, ac inclusarum *aliquando actor ipse tenuisset*, atque possediisset) veritas inquiratur. Et si nullum usum, ac Dominium penes illas ipsum habuisse verificabitur; tunc constabit easdem literas indebite, contraque justum processum Regni confectas fuisse, & per hoc inefficaces esse.

§. 3. LITERÆ vero metales ex juridica commissione quorumcunque Judicum Regni ordi-

di-

dinariorum: Nec non ex legitima Reambulatione inter duas, aut tres, vel etiam plures partes (eisdem partibus consentientibus) factæ: Præterea per modum concordiæ, & Fassionis inter quospiam celebratæ, dummodo aliorum Jura, seu terras inter sese finistre non dividant, vel divisisse non comprobentur: Cæterum communi quoque, & consueta de Reambulatione per Regium, aut Palatinalem, alicujusque Loci Testimonialis homines, præsentibus vicinis, & commetaneis Jurium possessionariorum, seu terrarum reambulatarum, præsertim illis, ad quos terræ ipsæ pertinent, vel vicinitas saltem terrarum illarum spectare dignoscitur; palam, manifesteque, & legitime peracta, confectæ, & emanatæ; efficaces censentur semper, & robur sortiuntur firmitatis.

§. 4. CURSUS etiam, & distinctiones metales in literis Donationalibus quorumcunque Dominorum *Regum Hungariæ legitimorum*, denotati, & explicati semper observantur. Et hoc verum tene, si post factam Donationem, metalemque distinctionem terræ, seu possessiones hujusmodi in alias, diversasque terras, vel possessiones non fuerint divisæ, aut metaliter per usum, & Dominium segregatæ. a)

a) Pro praxi hujus Tituli intelligenda; Vid. Tyrnc. Jur. Ung. hic. Et artt. 19. & 20. An. 1635. Item 127. 1647.

De terris per fluviorum vehementiam distractis quid sciendum sit A)

TITULUS 87.

ITEM, quia plurimarum civitatum, villarum ac possessionum, multorumque oppidorum, & prædiorum metæ, ac cursus metales fluviorum, & aquarum fluvialium distinctione cinguntur, pariter & clauduntur; per hujusmodi autem fluvii inundationem, atque vehementiam magnæ sæpenumero terrarum, pratorum, & silvarum particulæ scinduntur, & ad partem alterius vicinæ civitatis, aut oppidi, vel possessionis segregantur, & accedunt: Impetus enim, & vehementia fluminis de suo solito cursu, alveoque, & meatu in alium nouum meatum sæpe numero vergi dilabique solet. Unde nonnulli putaverunt, & opinati sunt ejuscemodi terras, prata, vel silvas, quæ scilicet ex ipsius aquæ cursus, meatusque, seu alvei transmutatione in partem alterius vicinæ civitatis, oppidique, vel possessionis ceciderint, & segregatæ fuerint ad eandem civitatem, aut oppidum, vel possessionem postea spectare, pertinereque debere, allegantes, & adstruentes: metas suas per cursum, meatumque, & alveum fluminis dirigi: Quod tenendum non est.

§. 1. Nam hoc modo plurimæ fraudes committi, & aquæ, seu flumina per occulta ca-

A) Confirmatur, & declaratur hic Titulus per 2. 81. 165 5.

canalia, ac fossata interdum satis exigua, vel aggerum positionem, & repleturam in eum quem quis malet locum, & alveum deflui, terræqua, & silvæ, aut prata alterius facillime per hoc usurpari possent.

§. 2. Sic itaque contraria opinio intelligenda est; quod, ex quo fluvialis, seu fluminis, præsertim vero navigabilis, proventus magnæ æstimationis censetur; ideo quocunque aqua, seu fluvius labatur, & defluat, civitas, aut oppidum, vel possessio illa, de cujus territorio in alterius terram, seu territorium verget, aut divertet, nunquam per hoc suis proventibus, puta, molendinis, vadis, vectigalibus, piscaturis aliisque utilitatibus privabitur: Sed quemadmodum prius, dum fluvius in suo vero solitoque & antiquo meatu currebat; ita etiam nunc, cum in alium novum alveum jam declinaverit, liberam, plenariamque suis proventibus, & utilitatibus fruendi, & utendi habet facultatem.

§. 3. Verumtamen silvæ, prataque, & terræ solummodo illius erunt, cujus prius erant, & qui pacificum eorum Dominium habebat. Hinc est, quod nonnulli aggeres, & repleturas pro defensione terrarum suarum, & pratorum, aut silvarum in terris, & territoriis aliorum facere, tenereque permittuntur: Ne scilicet in propriis terris, & territoriis per aquarum inundationem, aut vehementiam damna patiantur. Per hoc tamen alienas hujusmodi terras pro se vendicare non intelliguntur.

§. 4. Simile est de molendinorum aggeribus, & repleturis super decursum illorum fluviorum, quorum medietas uni, & altera alteri possessori, vel villæ deservit, constructorum. Quarum finis, licet in terris alterius adjaceat, adjacereque de Jure permittatur (dummodo hujusmodi repletura damnum apertum alteri parti afferre non videatur) tamen per hoc nec fluvius, nec terra alterius usurpatur, sed vero Dominio suo semper reservatur.

Quid sit JUS QUARTALITIUM *definitive? & quibus solvi debeat?*

TITULUS 88.

PRæhabita Jurium possessionariorum tum perpetuitatis Jure, tum vero pignoris titulo conservationis, sed & metatium Reambulationum, Rectificationumque descriptione: jam consequenter super *quarta puellari*, seu *Jurium Quartalitiorum*, nec non *Dotum*, & rerum *Paraphernalium* solutione, restitutioneque differendum est.

§. 1. UBI scias; quod *Jus Quartalitium* est Jus possessionarium puellis, & mulieribus de bonis, ac Juribus paternis hæreditariis, in signum parentelæ propagationis, non perennali, vel hæreditaria, sed redemptibili Lege, conditioneque deputatum.

§. 2. QUARE autem Jura possessionaria paterna, servitiis acquisita, Jus fœmineum non con-

concernant; & filiæ de illis cum filiis pariter, & hæredibus legitimis portiones habere nequeant; & quibus de possessionibus portiones hæreditarias habere debeant, superius, A) ubi de successione hæredum in bonis paternis fienda descriptio facta est, expresse reperies.

De modo Solutionis Jurium Quartalitiorum, seu quartæ puellaris. B)

TITULUS 89.

ADvertendum est autem, quod quisque Baro, Magnas, vel Nobilis sive unam, sive decem, vel plures habeat filias, una solutione quartæ puellaris eas absolvere poterit: ita videlicet, ut universa Jura possessionaria paterna simul cum cunctis suis utilitatibus; & pertinentiis quibuslibet in quatuor rectas, & coæquales segregentur partes, quarum quarta pars, in sortem scilicet Quartalitiorum cedens, communi æstimatione mediante limitabitur, & æstimabitur: juxta cujus æstimationis seriem super eodem Quartalitio omnibus filiabus una, & eadem solutione, c)

A) Tit. 18.

B) Snbaudi; *partis.* Originem hæc sumpsit ex Andreæ II. a. 4. Ubi dicitur; quod si *serviens*, sive Nobilis sine filio decesserit, quartam partem possessionum filia obtineat.

c) Ex iisdem bonis sufficit *semel* quartam exolutam fuisse: Quare futuræ generationes non habent amplius, quod prætendant.

pecunia tamen, & non rerum venalium, A) satisfactio impendi debebit.

§. 1. PROPRIETAS autem, & hæreditas hujusmodi quartæ partis una cum cæteris partibus, seu portionibus filiis, & hæredibus perpetuo remanebit. B)

§. 2. QUÆLIBET autem filiarum poterit seorsim, si voluerit, Quartalitium suum repetere. Verumtamen hæredes, a quibus repetitur, cauti esse debent, ne uni tantum solvant, quod pluribus solvere tenentur.

Quod, si uni filiarum quarta puellaris data fuerit, altera adhuc super hæreditate contendere poterit.

TITULUS 90.

SI vero uni filiarum absque strepitu Juris, productioneque literarum, ac literalium instrumentorum, factum Jurium possessionariorum paternorum tangentium, quarta puellaris persoluta fuerit; altera nihilominus filiarum (si voluerit) super proprietate, seu hæreditate eorundem Jurium possessionariorum paternorum, poterit in Judicio cum eo (cujus interfuerit) contendere, & utrum Jura ipsa sexum fœmineum sequantur, nec ne, experiri. C)

Quod

A) Præter equos equatiales. p. 1. t. 101.
B) p. 1. t. 29.
C) a. 36. 1545. p. 1. t. 29. Conf. artt. 25. & 26. 1715.

Quod puellæ in capillis constitutæ A) *Fassiones facere non possint.*

TITULUS 91.

VErum, quia puellæ plerumque animi levitate seducuntur, ideo in capillis existentes (si etiam legitimam, & perfectam B) attigissent ætatem) nunquam Fassiones perennales, vel etiam temporales sibiipsis, aut successoribus, vel fratribus earum præjudicantes, facere possunt

§. 1. HINC est etiam, quod puellæ ipsæ ad tutelam fratrum minoris ætatis non admittuntur, neque Tutorum officia ex Regni consuetudine gerere permittuntur.

Qualiter puellæ infra tempus emaritationis earum in domo paterna maneant.

TITULUS 92.

QUò vero pacto puellæ, quæ *capillos adhuc velamine nudatos gestant*, decedentibus earum genitoribus, in paternis laribus, Juribusque possessionariis C) ad nubiles ipsarum annos permanere; & qualiter de illis tandem emaritari debeant; superius, ubi de bonis per defectum seminis decedentium impetratis tractatum est, D) manifestum habes documentum.

A) *Hajadon leányak.* B) Vid. inf. titt. 111. & 112.
C) Avitis, quamvis ipsas non concernentibus. *Com. Syst. hic.* D) Sup. tit. 29

§. 1. QUALITER autem quarta puellaris æstimari debeat; & quid Castrum, quid Curia Nobilitaris, quid Sessio Jobagionalis, &c. valeat, in serie æstimationum infra A) clare patebit.

Quid sit DOTALITIUM *definitive? & quid* PARAPHERNUM?

TITULUS 93.

ITEM super solutione Dotum, & rerum paraphernalium id occurrit animadvertendum; quod quanquam *Dos* (unde *Dotalitium* descendit) ac *Donatio* & *Paraphernum* longe differant, nos tamen confuso vocabulo *Dotem*, & *Donationem* simul permiscentes; *Dotalitium*, vel solummodo *Dotem* dicimus: *Quæ uxori propter ejus defloration em, & concubitum de bonis mariti datur.*

§. 1. *Paraphernales* autem res dicimus: omnia bona mobilia, quæ mulieri aut per maritum, aut parentes, vel fratres, sive etiam alios quoscunque tempore solennitatis nuptiarum, aut desponsationis, vel subarrhationis ejus dantur.

§. 2. UNDE sciendum, quod e Regni nostri veteri, approbataque consuetudine Dotalitium est merces fœminarum legitime conjugatarum ob debitum matrimonii de bonis, & Juribus possessionariis maritorum, juxta status illorum exigentiam dari consueta.

§. 3.

A) Tit. 133. & 134.

§. 3. Nam secundum statu, & dignitatis maritorum præeminentiam, ac bonorum, & Jurium possessionariorum eorundem quantitatem variatur, fitque solutio Dotalitiorum; verbi gratia: Relicta Baronis plus consequitur ratione Dotalitii, quam Relicta unius Magnatis. Itidem Relicta Nobilis centum, vel quinquaginta colonos possidentis, plus nomine Dotis assequitur, quam alterius Nobilis, cui minor fuerit colonorum numerus.

§. 4. Si enim *officium Baronatus* gesserit; tunc mulier ipsa centum marcas: Si vero Magnas, vel *Baro solo nomine* fuerit, & officio Baronatus caruerit, aut insignis Nobilis, vel miles extiterit, & quinquaginta Sessiones Jobagionales populosas, vel plures habuerit; Relicta ejus quinquaginta marcas pro Dote sua consequitur: *Marcam* quamlibet *per quatuor florenos Hungaricales*, aut quadringentos denarios præsentis monetæ computando.

§. 5. Relicta autem inferioris status, & conditionis Nobilium de bonis, & Juribus maritorum possessionariis secundum magis, & minus, juxta scilicet bonorum quantitatem, æstimatione communi mediante (exclusis agris, silvisque, & pratis, ac aliis pertinentiis, ac proventibus bonorum exterioribus (Dotes suas rehabere poterunt. A)

§. 6.

A) Hæc Dotis taxatio intelligenda est de *Dote Legali* ex bonis etiam aviticis exolvenda, confirmiter ad tit

§. 6. Mortua vero muliere, qui sibi in linea consanguinitatis propinquior erit, Dotalitium ejus requirendi, sibique vendicandi habet facultatem.

Qui sint, & intelligantur veri ex officio Barones Regni?

TITULUS 94.

NE autem super officiis, & nominibus Baronatuum dubium suboriri possit; eorum nomina hic inserenda existimavi.

§. 1. Sunt itaque *veri Barones*, quorum ab antiquo nomina Decretis, B) & Literis confirmationalibus Regiis inseri consueverunt.

§. 2. PALATINUS Regni Hungariæ: Judex Curiæ Regiæ: Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus: Wajvoda Transyl-

tit. 97. p. 1. Et quæ datur etiam ex bonis post contractum matrimonium pignori obligatis, juxta p. 1. t. 103. Nec non de bonis mariti durante conjugio, vel prius acquisitis, de quibus fors mulier portionem non habet, nisi titulo Dotis. *Com. Syst. hic.*

A) Correctum est: Jam cedit marito. a. 11. 1687. Hoc autem sine hæredibus, & ab intestato decedente; Fisco. a. 26. §. fin. 1715.

B) Nomina *Baronum* a temporibus *Ludovici I.* Confirmationi Diætalium Decretorum adscripta leguntur. *Andreæ II.* Decreto sola Prælatorum nomina subjecta sunt. Anteriorum vero Regum Decretis; nulla. Quando autem mos cœperit, eorundem nomina Literis Regiis privilegialibus subjiciendi, non liquet.

sylvanus; A) & Siculorum Comes. Banus Zewrinienſis: B) nam Machovienſis Banatus per Turcas noſtro ævo deletus eſt. Item Thavernicorum: Janitorum: Pincernarum: Dapiferorum: Agazonum *Regalium*, & *Reginalium Magiſtri*; nec non Themeſienſis, C) & Poſſonienſis Comites. D)

§. 3. Horum omnium Relictis; pro earum Dotibus, & rebus Paraphernalibus centum (ut præmiſſum E) eſt) marcæ per eos, quorum intererit, dari ſolent, atque debent.

Quod Dotalitiorum ſolutio partim pecuniis, partim rebus venalibus fieri debeat, & quales ſint res venales?

TITULUS 95.

DOtalitiorum autem ſolutio partim pecuniis nnmeratis, partim vero rebus mobilibus, & venalibus (juxta tamen verum pretium,

A) Tranſylvania in Principatum erecta, ceſſavit ejus Wajvodatus, proin & Baronatus. De rebus Tranſylvaniæ, & Siculiæ; Vid infr. p. 3. titt. 3. & 4.

B) Seu *Severienſis* (Ungaris *Szörényi Bán*) ſic dictus a Caſtro Szörény, Sewrin, ſeu Severino ad Danubium prope Orſavam ſito: ſed dudum a Turcis protrito.

C) Hodie Banatus audit, ſed ſine Bano.

D) Præter hic recenſitos ſunt etiam *Barones Regni* Cubiculariorum, & Curiæ Regis Magiſtri: neſcio, qualiter iſthic omiſſi. Hos omnes olim etiam *Jobagiones Regni*, aut *Jobagiones cum honore* dictos fuiſſe, patet ex Andr. II. artt. 10. 11. & 34.

E) Tit. 93.

tium, & valorem earundem rerum) fieri semper solet.

§. 1. Exclusa tamen vestium sartitarum, A) ac armorum, & equorum, boumque, acaliorum pecorum claudorum æstimatione: Quæ in sortem solutionis Dotalitiorum non acceptantur.

§. 2. Res autem mobiles, & venales in hac parte tales esse debent, quæ in foro quotidiano vendi possunt, prout sunt oves, boves, equi, capræ, vaccæ, vituli, & porci, qui se movere de loco in locum commode possunt.

Quod mulier a primo marito integram, & a secundo mediam Dotem habeat. Et unde Dotalitia solvantur?

TITULUS 96.

ITEM advertendum, quod quælibet fœminarum a primo marito (ratione floridæ virginitatis, in qua nuptui tradita fuit) integram Dotem; a secundo vero, post defloration em scilicet nubendo, mediam duntaxat Dotem; a tertio quartam partem; a quarto octavam solum partem Dotis habet.

§. 1. Si quæ autem etiam quinto, vel sexto marito nupserit; Dos sua in tantum minuetur, ut admodum exigua sit futura.

§. 1.

A) Respui etiam posse videntur Monilia, Cubiculorum Mobilia, Rei æconomicæ instrumenta, & alia id genus, quæ difficulter emptorem inveniunt.

§. 2. Solvuntur autem Dotalitia mulieribus de bonis, & Juribus poſſeſſionariis maritorum, ad quæ fuerint traductæ.

§. 3. Nam de Juribus paternis non Dotem, ſed Quartalium A) habere debent: Niſi forſitan aliqua earum Dotalitium matris, vel aviæ ſuæ requireret: quod de Jure facere poterit, ſi *Expeditoria* ſuper eo prius non fuerit data.

Qualiter Dotalitium, & Quartalitium ſimul quæri poterit?

TITULUS 97.

SCiendum eſt tamen, quod Dotalitium matris, & aviæ ſimul una, & eadem perſona quærere non poteſt.

§. 1. Nam, ſi *matris* meæ *Quartalitium* quæro; tunc *Dotalitium aviæ meæ* quærere debeo: Quia mater matris meæ avia mea eſt.

§. 2. Si autem ſola mater mea Quartalitium ſuum de Juribus paternis quærat; tunc ipſa Dotalitium matris ſuæ, & non aviæ quærere debebit: Nam aviæ ejus Dotalitium illius generationis, & quidem propinquioris, eſt quærere, de cujus proſapia mulier illa proceſſiſſe dignoſcitur. B)

Quo-

A) Aut portionem æqualem: ſi nempe bona paterna ſexum utrumque æquo Jure concernant.

B) Obſcuri hujus Tituli ſenſus explicari debent per a. 11. 1687. & a. 26. §. fin. 1715.

Quomodo fœminæ de bonis maritorum ejici possint? & quomodo non? & de rebus eorum mobilibus.

TITULUS. 98.

ITEM, universæ res mobiles mariti sine liberis, atque sine testamento defuncti, cujuscunque materiei existant, & quocunque nomine censeantur, ad suam uxorem devolvuntur. A)

§. 1. Quæ de bonis, & Juribus possessionariis, domoque Residentiæ, & Curia mariti, quamdiu sub nomine, & titulo defuncti mariti viduitatis tempore peregerit, & ad alia vota se non transtulerit; etiam cum restitutione Dotis suæ excludi non poterit. B)

§. 2. Postquam tamen maritata, nuptaque cuipiam fuerit; tunc ille, ad quem bona, & Jura possessionaria mariti defuncti Jure hæreditario, successorioque devoluta fuisse dignoscentur; mulierem ipsam, restituta primum ejus Dote, de eisdem bonis ejiciendi, & excludendi plenariam habet auctoritatem. C)

§. 3.

A) Et vicissim ad maritum, uxore sine liberis, & Fassione, vel Testamentaria dispositione, viam universæ carnis ingrediente. a. 11. 1687. B) Sup. t. 30.

C) Idem deducitur arg. t. 30. p. 1. Et hæc suo modo etiam de Fisco Regio intelliguntur in casu defectus: Sensus artt. 25. & 26. 1715. Ubi tamen conditio Dotalistæ considerandæ veniet. Est enim *Dos lista* duplex: Vel *simpliciter talis*, vel *conquisitrix*. Et hæc, præter Dotem, acquisita sua sive ab hæredibus, sive a Fisco Jure prætendere potest. inf. t. 102. & a. 67. 1622.

§. 3. Imo, si bona, & Jura possessionaria viri ipsius præmortui adeo copiosa, fructiferaque fuerint, ut Dotalitium uxoris longe excedere videantur; tunc is, in quem bona ipsa derivabuntur, poterit mulierem illam, si etiam nomen, & titulum mariti sui gereret, de reliqua parte bonorum (quæ scilicet æstimationem Dotis suæ præcellere, & excedere videbitur) Juris ordine coram suo Judice excludere: & tantum duntaxat ad utendum, de Juribus illis possessionariis deputare, quantum Dotis quantitas postulabit. A)

§. 4. De loco tamen, & domo, curiaque solitæ Residentiæ mariti excludi mulier ipsa nequibit. Nisi forsitan domus ea *Castrum* fuerit: quod sibi non conceditur; sed domus alia mariti extra Castrum alicubi sita ad habitandum eidem deputabitur.

A) Id est, sive per filios, & fratres congenerationales; seu illis non existentibus, aut nolentibus; per alios condivisionales successionem in bonis habentes, coram Judice competenti contra Viduam agatur; semper competentem statui suo (non ad proportionem Dotis, sed ad bonorum substantiam) debebit subsistentiam habere: ut scilicet Baronis Regni Viduæ 100. subditi, & non simplices inquilini: Insignioris alicujus Magnatis; 50. & Nobilis Viduæ; 25. circiter assignentur *Com. Syst. hic. & prax.* Id, quod procedit etiam in casu, quo aliquis bona Mariti quocunque sub Titulo impetraret: Uxorem enim illius iniisdem, sensu hujus Tituli, tolerare deberet. Quia *res cum onere procedit*: Et *Collatio, non nisi deductis Ære, & Jure alieno, accipitur.*

§. 5. Secus est de illis, qui multa habent, atque possident *Castra* pro loco habitationis deputata. Nam hoc casu etiam mulieri *Castrum* deputari poterit habitandum. A)

De divisione rerum mobilium mariti inter Relictam, & Libros, ac Fratres ejusdem.

TITULUS 99.

UBI autem maritus decedens filios, & filias simul cum uxore, nec non fratribus indivisis in domo sua post obitum suum reliquerit; tunc primum portio defuncti a portionibus fratrum indivisorum superextantium in cunctis rebus mobilibus dividi, ac sequestrari debet. B)

§. 1. Deinde vero omnes res mobiles ipsius mariti præmortui, quocunque nomine censeantur, inter uxorem, ac filios, & filias ejus communiter dividuntur: & in tot partes, quot personæ sunt in domo nondum divisæ, vel emaritatæ, sequestrantur, ac unicuique portio sua restituitur: c) dempto eo, quod equos curriferos, & vestem potiorem mariti defuncti Domina relicta illius pro se tollet.

§. 2.

A) De *Dotalitiis*, & earum Excessibus: De restituendis per eas literalibus instrumentis: De illarum e-bonis maritalibus amotione, aliisque his affinibus; Vid. a. 61. 1618. a. 67. 1622. a. 105. 1647. & art. 25. 1655.

B) Ita, ut *Fratres* indivisi, in Capita: *Relicta* vero, & ejus *Liberi* in stirpem succedant *Jure repræsentationis.*

c) p. 1. t. 40.

§. 2. Arma vero militaria A) sine divisione filiis, aut fratribus indivisis cedent.

§. 3. Illis autem omnino deficientibus, non solum ea, sed & omnia bona mobilia (prout jam B) præmissum est) in ejus Relictam) nisi forsitan super eisdem maritus testamentum C) fecerit) devolvuntur.

§. 4. Filios autem hoc in loco cum patre defuncto nondum divisos; filias vero de bonis suis nondum nuptui traditas, & emaritatas intellige. Nam post divisionem, filii, & post connubium filiæ D) portionem de hujusmodi rebus, & bonis mobilibus paternis habere non possunt. E)

De Paraphernis, & rebus cum sponsa; ac tempore nuptiarum sponsæ datis.

TITULUS 100.

NOtandum tamen est, quod vestes, & aliæ quælibet res cum sponsa per parentes, vel fratres, aut alios quospiam tempore (ut prænotatum est) solennitatis nuptiarum, aut desponsationis, vel subarrhationis ejus datæ (quas nos res *Paraphernales* dicimus) mortuo marito sine liberis, eidem sponsæ; hoc est, uxori (si quæ ex

A) Argento, auro, aut qualitercunque ornata? Item *sonipedes*, eorumque *apparatus*, quantumvis pretiosi, nec non *Libri*; Filiis, & his non existentibus; Fratribus indivisis ex æquo cedunt. *Com. Syst. hic. & prax.* B) Sup. tit. 98. C) d. 11. 1687. D) Inf. tit. 101. E) Conf. Kirt. Dub. 45. ac. 46. & *Com. Syst. hic.* citatam in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.

illis reſtabunt) ſimul cum Dote ſua ſalvæ manebunt, reſtituique debebunt: Nec tempore diviſionis aliarum rerum mobilium, hujusmodi res ſecum traditæ, diviſioni ſubjacebunt.

§. 1. Imo, ſi etiam liberos, filios videlicet, & filias habuerit, & ad ſecundas nuptias forſitan ſe mulier ipſa tranſtulerit, vel aliter cum iisdem liberis ſuis cohabitare noluerit; libere res illas pro ſe retinebit.

§. 2. Sponſa vero ſine liberis, & teſtamento defuncta; res ipſas parentes ejus, vel fratres propinquiores recuperare, ſibique vendicare poſſunt. A)

§. 3. Liberos tamen, ſi poſt ſe reliquerit; ad illos devolventur.

§. 4. Res autem per ſponſum ſponſæ aut pro honore nuptiarum, aut pro ſubarrhatione traditæ, decedente (antequam convenirent) ſponſa; nunquam per ſponſum recuperari poterunt: Verumtamen poſt copulam carnalem, ſi ſine liberis, & inteſtata (nam teſtamentum ſuper illis facere poteſt) ab hoc ſeculo decederet; apud maritum manebunt.

De

A) Jam maritus; aut Fiſcus ſuccedit. a. 11. 1687. & a. 26. 1715. Mutua tamen Conjugum ſucceſſio, ob amorem conjugalem introducta, ceſſat in Conjuge, cujus culpa Divortium pronuntiatum eſt. *Com. Syſt. hic.*

De equis equatialibus defuncti ad quinquagenarium usque numerum.

TITULUS 101.

ITEM hoc quoque advertendum est; quod, si maritus *equos gregales* (quos *equatiales* dicimus) infra quinquagenarium numerum habuerit, stante, & durante conjugio suæ uxoris aggregatos, vel emptos; æqualiter inter eos dividuntur.

§. 1. Imo, si etiam ante conjugium ad manus mariti equi hujusmodi equatiales devenissent, dummodo numerum quinquagenarium non attigissent; pariter dividi, & communes esse debebunt.

§. 2. Si tamen eundem numerum attigerunt, vel excesserunt; tunc maritus poterit de eisdem, tanquam rebus per eum acquisitis, testari: Sed si super eisdem intestatus decesserit, circa hæreditates filiorum computabuntur. Verumtamen si aviti fuerit; tunc testatio quoque de eisdem non tenebit, neque locum habebit, nisi quantum ad portionem mariti testantis cederet, quod de Jure fieri permittitur.

§. 3. Reliqui tamen cum Juribus possessionariis pariter ad filios, vel fratres indivisos, & alios successores legitimos derivabuntur, atque pertinebunt: cum quibus solutio Dotalitiorum, & Quartalitiorum fieri debebit: Ne prætextu ejuscemodi solutionis cogantur successores hæredi-

ditates suas alienare: Qui & alioquin filias de Juribus paternis emaritare, nuptuique tradere tenebuntur.

§. 4. Et hoc; si filiæ portiones de rebus mobilibus paternis post ejus obitum non tulerunt: A) Nam hoc modo portiones hujusmodi ad maritationem cedent; insuper & Quartalitia sua rehabebunt.

De Juribus possessionariis mariti, durante conjugio uxoris, comparatis.

TITULUS 102.

ITEM ulterius sciendum, quod, si etiam durante conjugio, maritus quispiam possessiones, & Jura possessionaria pretio comparaverit, & nomen conjugis in literis Fassionalibus inseri non fecerit; tunc de talibus possessionibus, ac Juribus possessionariis (etsi emptitiis) B) mulier ipsa pro se portionem habere non poterit

§. 1. Verum, si voluerit, & nomem, titulumque mariti sui præmortui gesserit; semper vita sua comite in bonis, ac Juribus possessionariis filiorum, ac *filiarum* residere, permanereque libere valebit. Sub conditione tamen superius in articulo *(quomodo fœminæ de bonis maritorum ejici possint?)* plane declarata C) Dico autem *filiarum*; si bona illa Jus quoque fœmineum secuta fuerint.

§. 2.

A) Sup. t. 99.
B) Perennali titulo; ut patet ex §. *Verum si Jura.*
C) p. 1. t. 98.

§. 2. Ubi vero ad secundas nuptias mulier se transtulerit; restituta Dote sua de illis per eum, cui competet, ejici, & excludi poterit. *Qui* enim *per Jura hæreditaria uxori suæ cupit complacere; studeat nomen ejus in emptionis, & Fassionis serie ponere.*

§. 3. Verum, si Jura impignoratitia A) maritus ipse defunctus quocunque tempore, ante scilicet conjugium, vel in conjugio sibi obligata, post obitum suum reliquerit, etiamsi nomen uxoris, seu uterque sexus hæredum in literis Obligatoriis, & impignoratitiis non contineatur; *æqualiter* B) tamen inter *conjugem* C) filios, filiasque, vel fratres indivisos, instar aliarum rerum mobilium dividentur.

§. 4. Quoniam Jura impignoratitia redemptibilia sunt, quæ post redemptionem in pecunias convertentur: *Pecuniæ* autem *inter bona mobilia computantur.* Et hoc, si hujusmodi Jura impignoratitia postea in hæreditates conversa non fuerint. D)

A) p. I. t. 48. §. fin.
B) Excepto, liquidato prævie Jure coacquisitionis. Sensu art. 67. 1622.
C) Intelligе Matrem, & non Novercam.
D) Dispositio hujus Tituli procedit de Personis Nobilibus: Nam inter Rusticos observatur tit. 29. p. 3. Conf. Kirt. Dub. 47.

Quod mulier de bonis mariti, etiam pignori pereum obligatis, Dotem suam rehabere possit.

TITULUS 103.

SCiendum deinde est, quod, si maritus mulieris necessitate forte ingruente (prout sæpenumero fieri solet) Jura sua possessionaria alteri cuipiam impignoraverit, maxime absque uxoris suæ consensu; tunc mortuo marito, poterit mulier ipsa Dotem suam ab eo, qui Jura hujusmodi possessionaria pignori tenet, requirere pariter, & rehabere. a) Quoniam *impignoratio non excludit proprietatem, & perpetuitatem Jurium* ipsorum *possessionariorum.*

§. 1. Alioquin enim, si mulier ipsa redemptionem illorum expectaret, nec prius Dotem suam assequi posset; interim forsitan, quoad redemptio fieret, ex humanis decederet, & sic Dote sua fraudaretur.

§. 2. Attamen tempore redemptionis eorundem Jurium possessionariorum ille, ad quem redemptio ipsorum spectabit; non solum super capitali summa, pro qua utpote impignorata fuerant, sed etiam super solutione ejuscemodi restitutæ Dotis satisfactionem impendere tenebitur.

Quod Dotalitium uxoris pro maleficio mariti non amittitur.

TITULUS 104.

PRæterea si Jura possessionaria mariti pro ejus maleficio, aut etiam per notam aliquam in-

a) p. 2. t. 60. §. fin.

infidelitatis ejusdem A) juridice occupabuntur (etiam maritus capite plecteretur) uxor ipsa nihilominus Dotem suam ab eo, qui Jura ipsa possessionaria possidet, semper recuperare valebit. B)

Quod mulier in adulterio deprehensa perdit Dotalitium, sed non res Paraphernales.

TITULUS 105.

ADvertendum insuper est, quod, si mulier violata fide, qua marito suo tenetur, adulterium commiserit, & in adulterio deprehensa divortium tandem subsecutum fuerit; perdit ipsa Dotem suam, sed non res Paraphernales, hoc est; res secum tempore nuptiarum per parentes, aut fratres, vel virum suum, sive etiam alios quospiam datas, vel etiam per virum suum traditas. C)

§. 1. Verum, si post adulterium maritus mores ejus scienter approbaverit, cum ipsa cohabitando, & concumbendo; tunc etiam Dotem suam recuperabit: & postea neque necem illi propter adulterium (si etiam secundo peccaverit) maritus inferre valebit: Quam prima fronte, ubi scilicet ad notitiam ejus adulterium devenit libere, Jureque inferendi habet fatultatem. D)

A) Vel etiam ob crimen læsæ Majestatis. a. 9. 1715.
B) a. 9. 1723. §. fin. & Matt. 6. a. 27. §. fin.
C) Sup. t. 100.
D) Arg. S. Lad. l. 1. c. 13. & Ulad: D. 7. a. 47. Conf. Kitt. c. 4. q. 24. §. Octava. & Dubb. 48. 49. & 50.

§. 2. Ubi autem ipsa mulier ob hujusmodi adulterium juridice extremo suplicio mulctata fuerit; fratres ejus solummodo res Paraphernales, A) & non Dotalitium ejus recuperare poterunt. Et hoc; si liberos non habuerit, aut testamentum de illis non fecerit: Nam hoc modo, ad liberos suos devolventur, vel testamentariis ipsis cedent.

De matrimonio inter consanguineos scienter, vel ignoranter contracto.

TITULUS 106.

ITEM, si inter virum, & uxorem propter *consanguinitatem*, vel *affinitatem ignoratam*, divortium factum fuerit; tunc fœmina tam Dotem, quam res Paraphernales a viro rehabebit: Soboles etiam ipsorum (stante conjugio) procreatæ, in bonis, & Juribus utrorumque parentum possessionariis, Jure successorio permanebunt.

§. 1. Per hoc tamen non est intelligendum, quod uterque sexus æque succederet: Sed si bona ipsa Juri solummodo masculino deserviunt, ad filios duntaxat spectabunt: Si vero utrumque sexum sequuntur; tunc & filii, & filiæ æqualiter succedunt.

§. 2.

A) Nec obstant hic a. 11. 1687. & a. 26. 1715. Cum illi mutuam successionem stabiliant ob unionem conjugalem; & non loquantur de causa illatæ mortis ob hanc unionem violentam, sed de morte naturali, ut ex contextu patet.

§. 2. Attamen A) si scienter, & contra prohibitionem fratrum, vel eis succedere debentium, matrimonium contractum, & tandem divortium secutum, vel non secutum fuerit, soboles durante matrimonio generatæ in bonis, & Juribus possessionariis eorum parentum succedere non possunt: Sed ad fratres generationales, vel alios succedere debentes, eo facto devolvuntur. Quas, etiamsi Papa legitimaret; tamen ad successionem bonorum) quæ ad fratres generationales, illis non existentibus, Regiam Majestatem respiciunt) ipsa legitimatio locum non haberet: Mulier præterea Dote sua carebit: Res Paraphernales solummodo suas a marito suo rehabere valebit.

Quomodo noscitur matrimonium inter consanguineos scienter contractum?

TITULUS 107.

SCientia autem conjugum apparebit ex hoc; si matrimonium illud reclamantibus, & contradicentibus fratribus, vel alias, ad quos successio spe-

A) Qui in gradu consanguinitatis, vel affinitatis ab Ecclesia Rom. Cath. prohito, scienter matrimonium contrahit, & consummat, si quidem in 1. vel 2. gradu; tunc pœna mortis: Si vero in 3. vel 4. tunc pœna carceris ad tres, vel duos annos puniendus est art. 11. & 12. 1723, idque non obstante Religionis diversitate: cum Leges patriæ æquáliter omnes cives ligent, & tenet praxis. Judicandas autem esse causas matrimoniales, etiam in hac patria, juxta SS. Ca-

non-

ſpectat: aut in tali propinquo gradu conſanguinitatis fuerit contractum; quod eorum utrisque notoria fuiſſet:

§. 1. Conſanguinitas enim A) ſecundum ſacros Canones, & Regni quoque noſtri Legem, *uſque ad quartum gradum incluſive connubium prohibet, atque vetat.*

Quod ignorantia legitimas; ſcientia vero illegitimas proles inter conſanguineos generet.

TITULUS 108.

INde ſequitur, quod ignorantia in hac parte legitimas; ſcientia vero illegitimas ad ſucceſſionem bonorum immobilium utrorumque parentum proles generat, atque producit, & illegitimas proles quantum ad ſucceſſionem prædictam

§. 1. Neque Summus (ut præfertur) Pontifex, neque etiam noſter Princeps in præjudicium, & contra voluntatem filiorum legitimorum, & aliorum de Jure ſuccedentium, legitimare poteſt. Niſi in caſu, quo filiis, aut fratribus non exiſtentibus, ſucceſſio directe ad Principem noſtrum ſpectaret. Nam in hoc caſu, cuicunque, & qualitercunque voluerit ipſe Princeps,

nonum, & Conciliorum Decreta; patet ex S. Stephano l. 1, c. 2. Item a. 22. 1553. a. 27. 1562. a. 25. 1567. a. 70. 1618. a. 29. 1723. a. 31. 1638.

A) Et affinitas. Cætera porro impedimenta, matrimonium dirimentia, aut ſolum impedientia, petenda ſunt ex Canoniſtis, aut Theologis Moralibus.

ceps, liberam super illis bonis, & Juribus possessionariis disponendi habet potestatem.

Qualiter uxor Dotalitium suum marito suo relaxare possit?

TITULUS 109.

ITEM, quanquam durante matrimonio, uxor Dotem suam marito (ut communiter) triplici de causa relaxare soleat: *Primo*, si maritus bona suæ conjugis, quorum successio non respicit, neque cadit in virum suum, ampliaverit, & augmentaverit: *Secundo*, si expensas, necessarias etiam alio modo, in bonis illis vir fecerit: *Tertio*, si uxor marito suo, ut prætextu Dotalitii sui, ipsa decedente, saluti animæ suæ consulat, commiserit, aliter super illo disponendum ordinaverit; tamen juxta modernorum consuetudinem, etiam præmissis causis cessantibus, poterit mulier ipsa viro Dotalitium, maxime in mortis articulo, quando de metu, & timore viri suspicio tollitur, relaxare.

§. 1. Secus est tamen, si uxor in humanis agens, & sana existens, per maritum metu & terrore ad relaxandum sibi cogeretur: Nam in tali casu facta per mulierem super ea re legitima reclamatione, atque retractatione; relaxatio hujusmodi, & Fassio quoque inde celebrata, locum non habebit.

Quo-

Quomodo maritus uxori, & e contra consors viro suo super bonis suis Fassionem facere potest?

TITULUS 110.

CÆterum, quamvis opinione multorum, maritus uxori, & e contra uxor marito super bonis, & Juribus suis possessionariis (aut ob immensum, & eximium erga conjugem viri amorem, aut mulieris a marito timorem) nec perennali, neque impignoratitio Jure Fassionem facere queat; de veteri tamen, & approbata Lege hujus Regni nostri tam maritus uxori, quam etiam uxor viro, de & super cunctis Juribus suis possessionariis, potissimum per sese acquisitis, vel aliter obtentis (quibus videlicet etiam alteri ignoto, vel alienigenæ de Jure, sub conditionibusque de venditionibus, & alienationibus bonorum superius expressis, & declaratis, disponere, Fassionemque facere posset) liberam disponendi, & perennalem Fassionem celebrandi, atque faciendi habet facultatem.

§. 1. Dummodo Fassio hujusmodi non sit in præjudicium filiorum, vel fratrum manifeste vergens.

§. 2. Neque sit coacte, & violenter, vel timore celebrata: Nam his modis; facta per mulierem legitima super ea re reclamatione, nullius erit firmitatis.

§. 3. TITULO autem, vel Jure impignoratitio Fassio inter conjuges simpliciter non ad-

admittitur: Nisi manifesta, evidentique ex causa, & ratione celebretur. Puta; uxor aut de paternis, aut prioris mariti laribus, & domo paratas pecunias, sive jocalia, gemmas, & monilia, vel res aureas, aut argenteas, palam, & ad notitiam multorum ad maritum attulit, maritusque illas, & illa, aut ad bonorum emptionem, vel redemptionem, aut piscinarum, vel molendinorum constructionem, sive domorum ædificationem manifeste convertit: Isto, & alio consimili (*si* scilicet *abfuerit dolus omnis*) casu; Impignoratio, & Inscriptio ipsa admittenda censetur.

§. 4. Nam si simpliciter admittenda foret; maritus ob amorem, & favorem consortis suæ bona sua tanta pecuniarum sæpe summa involveret (si præsertim erga suos successores odio duceretur) ut vix, eo decedentes successores ipsi ea bona prænotata de manibus uxoris, vel cui illa tandem inscriberet, eliberare possent.

§. 5. Et idem est ex parte quoque uxoris ad virum (si rationabilis, & evidens causa, casusque occurrit) intelligendum,

De legitima, & illegitima puerorum ætate; A) *& procuratoria eorum constitutione.*

TITULUS III.

QUoniam decedentibus, & ex hoc seculo migrantibus Dominis Baronibus, Magnatibusque, & Nobilibus, liberi, & pueri eorum, in

A) De *Tutela*, & *Curatela* agitur per 22. seqq. tit.

in tenera ſæpe, & illegitima ætate ſolent remanere, & in tutelam, educationemque, & defenſionem aliorum merito, de Jureque coguntur devenire; ideo ſuper ipſorum quoque puerorum tutela, & educatione tractare neceſſario congruit.

§. 1. Antequam tamen de ipſa tutela tractetur, de ætatibus eorundem puerorum aliquid differendum occurrit.

§. 2. Ubi ſciendum, quod liberorum alii ſunt *perfectæ* ætatis, alii *imperfectæ*. Perfectæ ætatis ſunt; maſculi *viginti quatuor annorum*. Fœminæ vero juxta modernorum conſuetudinem; *ſedecim annorum*.

§. 3. Imperfectæ autem ætatis ſunt, qui infra hujusmodi perfectæ ætatis annos vitam agunt. Et horum alii ſunt *legitimæ* ætatis, alii vero *illegitimæ*. Legitimæ ætatis (qui & pubères dicuntur) maſculi pariter, & fœmellæ noſtra hac tempeſtate; ſunt *duodecim annorum*.

§. 4. Licet de noſtra veteri conſuetudine maſculi decimo quarto; fœminæ autem, duodecimo eorum anno, dicantur eſſe legitimæ ætatis. A)

§. 5. Vocantur autem, vel dicuntur legitimæ ætatis pro eo; quod lites jam cum alio agere, & inſtituere poſſunt. Omnes autem alii in-

A) Hanc opinionem non eſſe ſequendam, monet *Com. Syſt. hic.* cum non ſit eadem ratio ætatis pro ineundo matrimonio requiſitæ, atque ætatis legitimæ: Nam ibi capacitas ad copulam carnalem; hic ad actiones juridicas ſpectatur: quæ ſi in puellis annorum 12. eſſe ſupponitur, cur non in maſculis ejusdem ætatis?

infra hos annos vitam agentes, illegitimæ ætatis nominantur.

§. 6. Quanquam igitur secundum antiquorum usum, & consuetudinem masculi *quarto decimo* ætatis eorum *anno* procuratores constituere cœperint, nostro tamen ævo, & juxta modernorum usum *anno* ætatis ipsorum *duodecimo* generaliter procuratores constituere: *anno* vero *decimo & sexto* super debitis, ac pignoris titulo: *anno* autem *decimo octavo* de auro, & argento, cæterisque rebus ipsorum mobilibus Fassiones facere possunt. *Anno* tandem *vigesimo quarto* universa bona, & quælibet Jura eorum possessionaria vendendi, permutandi, & quocunque titulo voluerint, alienandi plenariam habent facultatem. Conditionibus tamen super venditione, ac alienatione bonorum, & Jurium possessionariorum, superius conscriptis, per omnia semper observatis.

§. 7. PUELLÆ vero *anno* nativitatis earum consimiliter *duodecimo* procuratores constituere: *decimo quarto* de debitis, ac Juribus impignoratitiis, auroque, & argento, ac aliis rebus mobilibus respondere: *sexto decimo* vero *anno* super Quartalitiis, Dotibus, ac cunctis aliis earum Juribus, etiam possessionaria datione ipsas concernentibus, Fassiones (modo præallegato, & conditionibus sub prædeclaratis) facere, & prout libuerit, de eisdem disponere possunt.

§. 8. Dummodo puellæ in capillis existentes, & præcipue sub tutela alienorum constitutæ,

ad Fassionem aliquam ipso sexto decimo anno, vel etiam post, peragendam, violenta coactione non inducantur. Nam hoc modo, postquam nuptui traditæ fuerint, Fassionem hujus modi coactam simpliciter revocandi, & retractandi habent auctoritatem: cum potissime sui Juris tunc non fuisse dignoscantur, hoc est, non in potestate propria constitutæ.

Qui, vel quæ intelligantur sui Juris esse? Et de puerorum triplici Tutela.

TITULUS. 112.

SUi Juris autem dicuntur, *qui in nullius potestate consistunt.*

§. 1. Virgines autem, & puellas; quamdiu viro non nupserint, semper sub alterius tutela, & potestate persistere constat: Nam alitet carentes Tutore, ipsæ ex ingenii earum levitate facile seduci, decipique possent. Unde merito de tutela, & Tutoribus puerorum aliquid dicendum congruit.

§. 2. UBI NOTANDUM, quod triplex est tutela, scilicet *Legitima*, *Testamentaria*, & *Dativa*: Quæ licet, definitive, sit *potestas ad tuendum eum, qui ob imperfectam ætatem se defendere nequit, de Jure data, atque permissa;* tamen virtute sui vocabuli defensionem semper designat.

§. 3.

§. 3. Unde & Tutores auctoritatem solummodo defendendi, & non alienandi bona pupillorum habent. a)

De prima Tutela, quæ Legitima *nominatur.*

TITULUS 113.

TUtela igitur *Legitima* dicitur: *parentum pariter, & fratrum defensio.* Nam si patre præmortuo, & matre superstite, filius, vel filia illegitimæ ætatis in domo paterna remanserit, mater sua, quamdiu titulum, & nomen mariti sui præmortui gesserit, & ad secundas nuptias se non transtulerit, tutelam filii, & filiæ gerere, exercereque permittitur.

§. 1. Et e converso, si mater decesserit, patre superstite, si etiam de ignobili, ac rustica progenie pater ipse oriundus fuerit, & Jura possessionaria in filium, vel filiam, non paterno, sed materno Jure redacta extiterint, tutelam bonorum, atque etiam liberorum, pater, & nemo alter exercebit. *Major* namque *reputatur tutela personæ, quam bonorum conservatio.* Et hoc infra tempus illegitimæ ætatis puerorum. Licet puellas, etiam post tempora legitimæ ætatis, infra maritationis tempus sub tutela semper esse conveniat, prout immediate prænotatum est.

§. 2. Animadvertendum tamen est, quod, si *pater ignobilis* secundam uxorem duxerit, &

a) Conf. Kitt. Dub. 51. & 52.

bona pupillorum a prima uxore relicta dilapidare cœperit, hoc casu tutela ejus cessabit, & in alterum transibit.

§. 3. Verumtamen *pater nobilis* existens etiam nepotum suorum (filio decedente) tutelam, & provisionem, tanquam caput principale, supportabit.

§. 4. Nec id prætermittendum, quod si pupillorum *mater*, *separata matrimonia*, ipsam solam, & non maritum concernentia, habuerit; mortuo marito (si etiam ad secundas nuptias se transtulerit) a tutela filiorum, vel filiarum in ea parte mater excludi non debet: Ex quo *successio bonorum sit causa tutelarum*, & ipsa censeatur esse, quæ debet filios, & filias in hujusmodi bonis suis post se relinquere successores, & hæredes.

§. 5. Verumtamen si filius fratres habeat, ad quos successio, seu devolutio Jurium, & bonorum paternorum spectare videatur; curam, & tutelam eorundem bonorum paternorum *frater propinquior*, & non mater exercebit, sicuti de fratrum, & consanguineorum tutela infra clarius dicetur.

De secunda Tutela, quæ Testamentaria *appellatur.*

TITULUS 114.

SEcunda tutela dicitur *Testamentaria*, dum videlicet pater in agone constitutus, & filios,

lios, vel filias teneræ, legitimæque ætatis existentes; & fratrem (cui onus tutelæ congrueret) aut non haberet, aut quidem haberet, sed illum ad bona sua diripienda aspiraturum, & ex eo *suspectum Tutorem* futurum esse considerans, filios suos, vel etiam filias tutelæ, defensionique cognatorum, aut consanguineorum, vel sæpe amicorum suorum submittit

§. 1. Et hæc tutela non solum ad filios, vel filias superstites, sed etiam ad posthumos, & posthumas se extendit: Quæ (nisi fratrum carnalium, vel uxoris legitima, & justa præpediatur contradictione; & dummodo talibus personis, quæ ad tutelam secundum consuetudinem patriæ nostræ admitti consueverunt, testatio tutelæ fiat) semper tenet, atque valet.

De tertia Tutela, quæ Dativa *nuncupatur*

TITULUS 115.

TErtia tutela dicitur *Dativa, quia datur a Principe*: Quæ etiam *Principis, & Patronorum tutela nuncupatur.* a)

§. 1. Et habet fieri; quando tam Legitima, quam etiam Testamentaria tutela definit, & deficit, hoc est; si pater intestatus decesserit, & nec fratres, consanguineos (quibus tutela competeret) post se reliquerit.

a) Conf. a. 68. 1715. & artt. 24. 1655. 32. 1659. ibid. dilucidatos.

§. 2. Tutelæ datio ad Principem, & Patronum spectat. Quoniam deficientibus cunctis fratribus, qui vigore successionis bonorum onus tutelæ subire debeant, mox hujusmodi Jus successionis in Principem redundabit, qui tanquam legitimus, & verus ipsorum orphanorum, & pupillorum successor, ac patronus, de tutela ipsorum providere consuevit, & de facto ex susceptæ regiminis sui officio subvenire debet.

§. 3. UBI SCIENDUM, quod Princeps ipse noster, præmissis sic stantibus, tales Tutores orphanis, pupillis ipsis dare, designareque debet, quos intellexerit ad bona, & Jura illorum possessionaria non aspirare: Et in eo Comitatu habitare, ubi orphani ipsi quoque residentiam personalem habent: Et quod de alienatione, vel dilapidatione bonorum eorundem pupillorum per ipsos Tutores facienda, non timeatur.

§. 4. DEBENT autem hujusmodi *Dativi Tutores* coram Comite, vel Vice-Comite si fieri poterit, aliter autem coram uno, aut duobus Judicibus Nobilium illius Comitatus, in quo (ut præfertur) pupilli ipsi habitare dignoscuntur: Vel, si bona, & Jura possessionaria eorum multa, & magna, in diversisque Comitatibus sita fuerint, & posita, coram uno ex Judicibus Regni Ordinariis, vel eorum vices gerentibus (prout videlicet bonorum, ac Jurium ipsorum possessionariorum qualitas, & conditio requirit) super omnibus rebus, & bonis ipsorum orphanorum, *Inventarium*, & *Regestum facere*, ut expleta tu-

tutela, de omnibus rebus inventis, & manibus eorum assignatis, & fructibus quoque bonorum tempore medio perceptis, congruam rationem reddere queant.

§. 5. Quoniam de male dispensatis; *orphanis*, illis jam legitimam ætatem agentibus, *Tutores ipsi satisfacere tenentur*. Et non solum *Dativi*, verum etiam *Legitimi*, ac *Testamentarii* Tutores, ad præmissa facienda pariter obligantur.

§. 6. QUOD AUTEM *impuberes*, seu *illegitimæ ætatis* pupilli, & orphani sub tutela esse debeant, naturali Juri, rationique consonum, & conveniens videtur; ut illi, qui propter imperfectam ætatem sese defendere nequeunt, aliorum tutela, defensioneque gubernentur.

Qualiter virilis, *& qualiter* fœminei sexus fratres *in tutela succedant?* A)

TITULUS 116.

SEd ut præmissa clarius innotescant, sciendum est; quod quia *onus tutelæ eo ordine defertur*, & notatur, *quo bonorum successio*, seu Jurium possessionariorum devolutio, deficientibus igitur, & non existentibus testamentariis Tutoribus, ad fratres, & consanguineos defuncti hominis, in quos videlicet (eo hæredibus deficiente) bona sua devolvi deberent, tutela pupillorum defertur, & derivatur.

A) De successione in Tutoratu per 3. seqq. artt.

§. 1. *Fraternalis* autem *propagatio* duplicem per lineam, *virilem* scilicet, & *fœmineam* descendere consuevit. Fratres itaque per lineam virilis sexus, A) descendentes (qui & *agnati* nominantur) semper consanguineis, & fratribus muliebris sexus (qui etiam *cognati* dicuntur) in tutela subeunda præferuntur: Et isti fœminei sexus cognati non aliter, nisi deficientibus per omnia fratribus virilis sexus, sive agnatis, ad tutelam exercendam admittuntur.

§. 2. Et tunc quoque non aliter; nisi bona, & Jura possessionaria pupillorum, & orphanorum, utrumquè sexum, virilem scilicet, & fœmineum aperte concernere, manifesteque sequi dignoscantur.

§ 3. Nam si de bonorum, & Jurium possessionariorum successione, atque devolutione (utrum scilicet illa utrique sexui deserviant, vel certe sexum solummodo masculinum concernant) dubitatur; tunc *cognati ipsi* (etiam *agnatis non extantibus*) ad tutelam non admittuntur, ne bonorum ipsorum orphanorum Dominium, & possessionem sub hujusmodi tutelæ colore pro se vendicare videantur. Unde in hoc quoque casu Dativi magis Tutores a Principe postulantur.

Quid

A) Inf. t. 118.

Quid, si Jura possessionaria utrumque sexum concernant, de tutela faciendum sit?

TITULUS 117.

ADvertendum tamen est, quod, si Jura possessionaria pupillorum utrumque sexum aperte sequuntur, hoc est; si etiam fœminei sexus homines in illis Juribus possessionariis, vivente adhuc orphanorum ipsorum patre, reale Dominium habuerunt; tunc de tutela gerenda distinguendum erit.

§. 1. Aut enim *agnati*, & *cognati* unius, & ejusdem sunt ætatis? aut annis, & ætate inter se differunt? Si ejusdem ætatis, & tutelæ capaces fuerint, hoc est, viginti quatuor annorum extiterint; tunc *agnati* (prout immediate præmissum est) tutelam ipsam gerere debebunt. Si tamen *cognati* majores, & *agnati* minores annis fuerint; interea temporis, quoadusque agnati tutelæ capaces erunt, cognati sunt ad tutelam gerendam admittendi.

§. 2. Licet post tempus legitimæ ætatis, etiam infra perfectam puerorum ætatem, viginti quatuor annos modo anteleto repræsentantem, plerosque fratrum, & agnatorum, ad tutelam deputatos fuisse recolimus: In casu præcipue, quo matrem orphanorum ad secundas nuptias transisse, & per hoc bona eorum desolationi subjacuisse comperimus. Ejuscemodi quoque tutela in casu præmisso sustinetur.

§. 3. INTELLIGENDUM tamen semper est tam de *agnatis*, quam etiam *cognatis*, hoc est: fratribus virilis, & fœminei sexus, modo præhabito, onus, & exercitium tutelæ, qui in gradu lineæ consanguinitatis propinquiores orphanis, & proximiores, annisque, & ætate majores esse dignoscuntur.

Quid sit agnatio, & cognatio, vel agnatus, & cognatus?

TITULUS 118.

UBi breviter sciendum est, quod hoc *nomen agnationis* non est naturale, sed *civile* nomen: & inventum est *Jure civili* ad differentiam naturalis cognationis, ut per hoc diversitas originis masculorum, & fœminarum distingueretur.

§. 1. Ex quo claret, quod *omnes, qui sunt agnati, sunt etiam cognati, sed non e converso.* Quoniam agnatio species est cognationis, cognatio vero generale nomen est tam ad masculos, quam fœminas pertinens. Quamvis agnatio (sicut A) prætactum est) virilis duntaxat, & cognatio fœminei sexus homines hoc in loco designet.

Utrum Testamentaria tuitio destruat Legitimam, & e converso?

TITULUS 119.

SEd quæstio suboritur: Utrum Testamentaria tutela adimat Legitimam. vel e contra

a) Sup. titt. 116. & 117.

Le-

Legitima Teſtamentariam? Dicendum, quod Teſtamentaria rite, bonoque modo, & illis perſonis, quæ ad tutelam de Jure admittuntur, facta, auferat ſæpe Legitimam, ſed non ſemper.

§. 1. Pro cujus lucidiori notitia, & intelligentia advertendum eſt, quod ſi pater (etiam ſui Juris exiſtens) filios ſuos impuberes, & teneræ ætatis, talibus perſonis, quæ *perjuri*, vel *publici aucarii*, patria lingua *Ludas* nuncupati, aut aliter *infames*, ſive *proſcripti* eſſent, vel notam infidelitatis quovis modo incurriſſent (ſi etiam per virilis ſexus lineam de parentela ſua deſcendiſſent) tutandos committeret, quia per eorum hujusmodi infamiam, & notam a Jure ſucceſſionis deciderunt; ad tutelam in præjudicium fratrum de Jure ſuccedere debentium non admittuntur.

§. 2. SIMILITER, ſi pater filias ſuas (non exiſtentibus filiis) *cognatorum* cuipiam in teſtamento ſubmitteret defendendas, hujus quoque tutela in præjudicium, & periclitationem Jurium *agnatorum*, ſeu fratrum condiviſionalium, & in bonis rite ſuccedentium facta, non tenet, neque admittenda cenſetur: Ne ſub colore ejuscemodi tutelæ fratres ipſi juſtis eorum Juribus fraudari dignoſcantur.

§. 3. Sæpe namque pater filiis orbatum ſe cernens, amore filiarum captus, ne dum per tutelam, verum etiam aliis exquiſitis coloribus, & titulis, in bonis ſuis illas in fratrum ſuccedentium præjudicium hæreditare nititur.

§. 4.

§. 4. E CONTRARIO vero, ubi pater *fratrum*, sive *agnatorum* suorum quempiam ad bona sua novæ divisionis, vel alio titulo, & colore aspirare; vel defacto lites illum inde suscitare cognoverit; non obstante successionis, & consequenter legitimæ tutelæ Jure, filios suos, cui maluerit, protegendos, testando committere poterit.

§. 5. Non tamen *cognatis* ob rationem superius prædeclaratam. Nisi forte bona, & Jura possessionaria utrumque sexum manifeste sequantur, atque concernant; nam hoc casu etiam cognatis suis pupillos, & filios suos tutandos submittendi habet potestatem.

Corollaria notanda *de successione Tutoria.*

TITULUS 120.

EX præmissis itaque duo corollaria subinferuntur. PRIMUM quidem; quod *Tutores Testamentarii* rite constituti, cæteris Tutoribus, videlicet *Legitimis*, & *Dativis* præferuntur: ita, ut primo *Testamentarii*, deinde *Legitimi*, & ultimo loco *Dativi* ad tutelam exercendam admittantur.

§. 1. COROLLARIUM secundum; quod, quia tutela secundum bonorum (sicuti jam prædeclaratum est (devolutionem defertur, ideo etiam *fratres adoptivi*, ad quos bona, & Jura possessionaria cujuspiam, virtute alicujus contractus, vel Regii consensus derivanda sunt; eo

in

in femine masculino deficiente, & filias habente; ad gerendam tutelam, tanquam *agnati*, rite succedunt, & admittuntur: *Cognatorum* quorumcunque Jure, vel tutela non obstante.

De casibus, in quibus fratres ad tutelam non admittuntur.

TITULUS. 121.

SCiendum ulterius, quod quatuor sunt præcipue casus, in quibus agnati, seu fratres, sive carnales, sive uterini, sive condivisionales ad tutelam subeundam non admittuntur.

§. 1. PRIMUS; quando fratrum quispiam caput suum, & bona sua amittit: Prout sunt, qui in sententia capitali convincuntur. Quam diu enim frater ipse gravamini, & oneri hujusmodi sententiæ subjectus fuerit, tutelam exercere non permittitur.

§. 2. SECUNDUS casus; si villam (quæ ad successionem fratrum mutuo pertinebat) sine rationabili, & evidenti causa vendendo, vel aliter a se alienando, amiserit: Si etiam per hoc libertatem capitis retinuerit; tunc tutelæ officium amittitur. Nam etiam de dilapidandis, & alienandis orphanorum, ac pupillorum bonis, præsumptio pariter, & suspicio de illo per hoc habetur.

§. 3. TERTIUS casus; si quis fratrum, sive agnatorum alieno Juri, hoc est, potestati se subjece-

jecerit, vel subjici permiserit: *Qui* enim *Juris sui non est, alterius tutelam gerere non potest.*

§. 4. QUARTUS casus, quando quis notam infidelitatis incurrit, aut de perjurio convictus, vel aliter infamis effectus, sive proscriptus fuerit. *Prout* enim exinde *a Jure successionis cecidit; ita* per hoc *tutela quoque deperiit.*

Quot modis possint excusari Tutores ab onere Tuitionis?

TITULUS 122.

NOtandum deinde, quod Tutores, & præsertim *Dativi*, multis modis ab onere tutelæ sese excusare possunt.

§. 1. PRIMO; propter filiorum multitudinem, & loci distantiam: Quia variis negotiis incumbere nequeunt.

§. 2. SECUNDO, propter villarum, seu possessionum in diversis locis, & Comitatibus adjacentium multitudinem.

§. 3. ITEM, propter continua bella Principum, si fuerint milites, & actu, & opere militiam exercentes.

§. 4. ITEM, propter servitium Reipublicæ, & expeditionem negotiorum Principum, prout sunt Cancellarii, Oratores extra Regnum delegati, Magistri, Protonotarii, Provisores Curiarum, Administratores proventuum, Dispen-

ſpenſatores rerum, & pecuniarum, A) & alia conſimilia officia gerentes.

§. 5. ITEM, propter inſanabilem, & incurabilem infirmitatem: ſæpe etiam *ob literarum inſcientiam.*

§. 6. ITEM, propter capitalem inimicitiam, quam habuerunt adverſus patrem pupillorum, & itidem habent contra pupillos.

§. 7. ITEM, propter ſenium, quando videlicet ſunt ultra ſexaginta annos.

§. 8. ITEM, dum imperfectæ ætatis, ſeu minores viginti quatuor annis fuerint; *ab oneribus tutelarum gerendis, ſeſe (ſi volunt) excuſare poterunt.*

Quod Tutores teneantur gerere officium tutelæ. Et quot modis fiant ſuſpecti?

TITULUS 123.

CONſiderandum demum eſt, quod Tutores *fideliter*, B) & probe debent, tenenturque gerere pupillorum tutelam.

§. 1.

A) Univerſim, rationibus aliorum obnoxii, ad gerendam Tutelam ſunt incapaces: Nam ad neceſſariam gerendi Tutoratus habilitatem, facultas ſatisfaciendi Pupillo, tanquam fundamentum præſupponi debet: Et omnis Tutor tacitam hypothecam univerſorum bonorum ſuorum, uſque ad vires ſubſtantiæ pupillaris, præſtare cenſetur: Quam, dandis alienis rationibus obnoxii, veluti alteri obligati, dare poſſe non videntur. *Com. Syſt. hic.*

B) Si Tutor ex literalibus inſtrumentis, aut undecunque adverterit Jus dubium, aut nullum ad bona Pupillorum;

§. 1. Nam aliter, si comperti fuerint in suspicione, maleque, & sinistre tutelam gesserint; non solum removentur ab officio; & ad ministratione tutelæ, verum insuper (si in rebus, ac bonis pupilli temporalibus suspecti, deprehensi, & agniti fuerint) *ad duplum reddendum* pupillo condemnantur.

§. 2. Si autem in personam pupilli, vel causam ejus, prætextu Jurium suorum possessionariorum motam, contrarie, infideliterque egisse comperti extiterint; *infamia sempiterna* inde sequi debebit. De damnis præterea per hoc illatis, *ad duplum* (ut præfertur) *reddendis* sunt compellendi.

§. 3. TUTORES autem redduntur, fiuntque suspecti pluribus de causis. PRIMO, si bona eorum propria stulte consumunt.

§. 4. SECUNDO, si pupillis necessaria vitæ, victum scilicet, & amictum debite non administrant.

§. 5. ITEM, si nulla exigente causa rationabili, ipsos pupillos male tractant.

§. 6.

rum; illud prodere, aut bona pro se impetrare haud poterit: sed omni meliori modo, si fieri cum securitate potest, pro illis a Regia Majestate impetrare debebit. Si vero cum securitate talis impetratio fieri non posse videtur; semper in secreto servare, bonaque una cum literis, & literalibus instrumentis eisdem resignando, super hoc defectu pupillos admonere, & informare obligabitur. Et hoc etiam ad Vitricos, bona cum uxore, seu matre orphanorum apprehendentes intelligi debet. *Com. Syst. hic.*

§. 6. ITEM, si illos bonis moribus non eruditunt, vel ipsi Tutores malorum morum existunt.

§. 7. ITEM, si sunt nimium pauperes.

§. 8. ITEM, si fuerint capitales inimici patris pupillorum; aut eo decedente sunt jam vel esse volunt ipsis pupillis hostes manifesti.

§ 9. ITEM, si timetur, quod ad bona pupillorum sibiipsis vendicanda aspirant, & ea pro se usurpare contendunt.

Qualiter Tutores accusari possint? Et de pupillis furiosis.

TITULUS 124.

CÆterum advertendum est, quod hujus modi Tutores, sive Testamentarii, sive alterius generis existant, super præmissa suspicione, hoc est: *de crimine malæ dispensationis, & dilapidationis rerum, & bonorum orphanorum;* omnes indifferenter, sive sint viri, sive mulieres, extranei, consanguinei, & affines, accusare possunt: Si ob pietatis causam id faciunt.

§. 1. *Pupilli* tamen *illegitimæ ætatis per se. Tutores suos accusare nequeunt:* Verum adveniente, transactaque legitima ipsa ætate, ubi scilicet lites jam gerere, & instituere poterunt, si orphani sanæ mentis fuerint, Curatores suos ex consilio proximorum suorum accusare possunt.

§. 2. UBI sciendum, quod, postquam filii legitimæ ætatis annos transegerint, invitis, & non consentientibus eisdem, patres eorum Tutores illis in Testamento substituere non possunt: Cum illius jam sint ætatis, ut se processu Juris defendere queant.

§. 3. UBI autem volentibus, vel forsitan postulantibus filiis, post tempora pubertatis, per parentes ipsorum Tutores assignantur; illi jam non *Tutores*, sed potius *Curatores* appellantur: Quia Tutores impuberibus, & invitis; Curatores autem puberibus, & petentibus dantur.

§. 4. Et hoc; si petentes ipsi compotes sunt rationis: Nam alioquin, si filii amentes, furiosi, lunatici, vel mente capti fuerint; etiam post tempora legitimæ eorum ætatis, tutelæ *Testamentariorum*, aut illis non existentibus, *fratrum*, sive *agnatorum* suorum: & illis quoque deficientibus; *Dativorum*, a Principe scilicet, vel forsitan Judicibus Ordinariis, *in Judicio deputatorum* subjiciuntur: & illorum provisione, simul cum bonis, & Juribus eorum possessionariis gubernantur.

§. 5. Qui qudem Tutores in casu necessario, & præsertim ad sustentationem illorum cedenti, tam onera super se assumere, quam etiam de bonis eorum, prout necessitatis conditio postulabit, disponere possunt: Ea tamen alienare non possunt.

Quod Princeps, etiam extra terminos Judiciorum, de Tutore providere poteſt.

TITULUS 125.

CUm itaque onus tutelæ pium opus ſit; accuſatio Tutorum de ſuſpicione, etiam extra terminos Octavales, & Brevium Judiciorum ſemper, dum ſuſpicio occurrit, libere fieri, & ad Principem, ſive Regiam Majeſtatem deferri poterit: Ne bona pupillorum male, & inuti liter conſumantur.

§. 1. Et poſtquam aliquis Tutorum de ſuſpicione ipſa, hoc eſt: de crimine malæ diſpenſationis, & dilapidationis bonorum orphanorum accuſatus fuerit; mox illi adminiſtratio tutelæ, & omnium bonorum pupillorum per Principem interdicitur: Et infra deciſionem cauſæ ad manus communes illa dantur, & aſſignantur.

§. 2. UBI autem Tutor ipſe ſuſpectus, priusquam cognitio ſuſpicionis terminaretur, ab hac luce decederet; tunc conditio, pœnaque ſuſpicionis extinguitur quidem, attamen hæredes, & ſucceſſores ejusdem Tutoris rationem ſuper male diſpenſatis rebus dare tenentur, & ad ſatisfactionem compelluntur.

§. 3. Si vero Tutorum quispiam tutelam, & officium tutelæ fraudulenter gerere, & adminiſtrare deprehenſus fuerit; etiamſi ſatisfacturum, vel ſatis daturum ſe offerat, & ſuper ea re fidejuſſores etiam promittat, atque ponat; nihilominus tamen removendus eſt ab officio tu-

telæ, & alius per Principem bonæ famæ, & conditionis Tutor, loco illius assignandus, atque substituendus. *Oblatio* enim *satisfactionis* Tutoris *propositum malum non tollit, & animum iterato male agendi non evitat:* Quin potius voluntatem diutius grassandi in rebus, & bonis pupillorum præstat, atque demonstrat. Super his autem providere, remediumque adhibere, ad solum Principem spectat.

Quod Tutores in cunctis causis pupillorum procedere possunt.

TITULUS 126.

ITEM hoc quoque non prætermittendum est, quod, cum *tria* sint *genera Tutorum*, videlicet *Legitimi*, *Testamentarii*, & *Dativi*, super eorum tutela testimonium evidens in Judiciis produci debet.

§. 1. Quod postquam productum fuerit, & sese Tutores esse docuerint, in cunctis causis, differentiis & earum processibus, & aliis negotiis orphanorum, & pupillorum tam coram Judicibus Regni Ordinariis, quam etiam alias ubilibet, *vigore literarum Revisionalium*, usque ad tempora legitimæ ætatis eorum procedendi, & omnia rite expediendi habent auctoritatem.

§. 2. Sine quorum scitu, & consensu pupilli ipsi nec Procuratores (adveniente legitima ipsorum ætate) constituere debent: Nec etiam Fassiones aliquas infra tempus pupillaris ætatis

eo-

eorum facere possunt. Qui si Procuratores constituerint, aut Fassiones interea facerent; nullius erunt firmitatis omnino. A)

De ætatibus pupillorum revidendis, & literis inde Revisionalibus.

TITULUS 127.

ÆTates autem pupillorum per Judices Ordinarios Regni, vel eorum Protonotarios: aut in locis Testimonialibus, hoc est: Capitularibus, vel Conventualibus revideri, metiri, & discuti solent.

§. 1. Et hujusmodi revisioni (dummodo *literæ* super ea re *Revisionales* conficiantur) in omnibus Judiciis fides adhibetur. Et earundem literarum Revisionalium virtute, Tutores in personis orphanorum tam agere, & opponere, quam etiam ad objecta, & proposita respondere semper possunt.

§. 2. Imo, si in causæ cujuspiam processu pupillos convinci, & succumbere agnosceretur; pro utilitate pupillorum, non autem eorum destructione, plenariam cum adversa parte, nominibus, & in personis eorundem orphanorum concordandi, & in unionem (prout negotiorum qualitas exigit) deveniendi habent facultatem.

A) Kitt. Dub. 53.

Quid literæ Revisionales valeant? Et quomodo Fassiones, infra perfectam ætatem factæ, retractari debeant?

TITULUS 128.

CÆterum literæ Revisionales, quæ vim literarum Procuratoriarum in omnibus negotiis, & causis habent, etiam transacta, & *expirata pupillari ætate*, tantum juvant, & conferunt orphanis; ut, si ipsi muneribus forte corrupti, vel blandis sermonibus seducti, sive metu, & comminationibus aliquorum perculsi, atque coacti, Fassiones perennales super bonis, & juribus eorum possessionariis, infra, & usque perfectam ipsorum ætatem, viginti quatuor scilicet annorum spatio, cuicunque, quandocunque, & ubicunque facerent, conspectis postea solummodo literis Revisionalibus, poterunt hujusmodi Fassiones per orphanos retractari, & in irritum revocari.

§. 1. ITA tamen; si orphani Fassiones illas inconsulte sese feciisse perpendentes, antequam tempus perfectæ ætatis eorum expleatur, easdem coram Judicibus Ordinariis Regni, vel Magistris illorum Protonotariis, aut in Locis Testimonialibus, ore proprio revocabunt, atque retractabunt.

§. 2. Et ejuscemodi revocatio non solum ibi, vel coram eo, coram quo Fassio facta fuit; sed etiam in conspectu aliorum Judicum, & Testi-

ſtimoniorum, infra præfixi termini, perfectæ videlicet ætatis ipſorum ſpatium; rite ſemper fieri valebit.

§. 3. Si tamen interea Faſſiones hujusmodi revocare, & retractare non curabunt; poſtea Faſſiones ipſæ perpetuæ firmitatis robur obtinebunt, ſemperque locum habebunt: Conditionibus tamen, in poſſeſſionaria venditione requirendis, ſuperius prænotatis, ſemper ſalvis.

§. 4. Facta vero præmiſſa revocatione, & retractione ejuscemodi Faſſionis; revocans ipſe ſemper *infra tempus præſcriptionis*, *triginta* videlicet *duorum annorum* ſpatium, lites, & cauſas, prætextu ipſius revocatæ Faſſionis, ſuſcitandi habet facultatem.

Quod orphani, in cauſis contra eos tempore pupillaris ætatis ipſorum motis, reſpondere non tenentur. A)

TITULUS 129.

HINC eſt etiam, quod orphani durante pupillari eorum ætate, ſolummodo per productionem, & oſtenſionem Literarum Reviſionalium, ab omni cauſa, & lite tempore pupillaris ætatis ipſorum, contra eos mota liberantur.

A) An, & quando pupilli teneantur Juri ſtare; habetur per 4. ſeqq. *titt.* ſuper quo, uti & univerſi n de Tutela, & Curatela; conſuli poteſt *Tyror. Juris. Uug.* & citatæ illic, Exceiſæ *Com. Syſt.* opiniones.

§. 1. Nec coguntur ad instantiam alicujus in processu cujusvis causæ, vel litis, sive ratione Jurium possessionariorum, aut Dotalitiorum, vel Quartalitiorum, sive actuum potentiariorum, vel damnorum, aut etiam aliorum quorumcunque negotiorum, adversus eos in ipsa pupillari, seu illegitima eorum ætate subortæ, & suscitatæ *(demptis tamen causis tempore patris ipsorum inchoatis)* infra tempus legitimæ ætatis eorum respondere.

§. 2. Verumtamen, si occasione Jurium possessionariorum, stante adhuc, & durante pupillari, & illegitima ipsa ætate, causa aliqua per longum litis processum terminari solita, contra pupillos exoriretur; tunc tenebit quidem processus usque ad responsionis terminum, sed in ipso responsionis termino virtute Literarum Revisionalium pupillaris, vel illegitima ætas orphanorum allegari, & causa ipsa per hoc ad primum annum legitimæ ætatis, hoc est: ad duodecimum annum orphanorum integrum, quando videlicet jam primo Procuratores constituere incipient, prorogari, differrique debebit.

§. 3. Nam aliter, si prius respondere cogerentur, vel etiam ex imperitia sponte responderent, talis responsio non tenebit, sed simpliciter, & de plano retractari valebit.

Quod

Quod pupilli, in causis tempore patris eorum inchoatis, respondere coguntur.

TITULUS 130.

SUperius autem clausulam hanc: *Demptis causis tempore patris orphanorum inchoatis*, non frustra posui: Quoniam isto casu pupilli, quantumcunque parvuli, ad omnes causas vivente patre eorum, contra se motas, & suscitatas respondere, & debitum finem in illis, facta responsione consequi, & habere tenentur.

§. 1. Et si in processibus ejuscemodi causarum, juramentum forte per aliquem pupillorum præstandum judicaretur, depositio ejusdem juramenti ad primum annum legitimæ ætatis ipsius pupilli prorogabitur: Prout hac de re limpidius in serie juramentalium depositionum, in secunda parte A) hujus opusculi tractabitur.

Casus quidam, in quo pupilli etiam illegitimæ ætatis respondere tenentur.

TITULUS 131.

PRætera reperitur etiam *alter casus*, in quo pupilli, non obstante illegitima, & pupillari eorum ætate, per Tutores suos respondere, & prosecutioni causarum in ipsa eadem ætate motarum, superintendere tenentur; quando videlicet *Introductioni*, & *Statutioni*, vel *metali Reambulationi* aliquorum Juriumpossessionariorum,

A) Tit. 37;

rum, per quoscunque factæ, nominibus, & in personis ipsorum orphanorum *contradictionis velamine obviatur*: Et ob hujusmodi *contradictoriam inhibitionem*, pupilli ad Octavales terminos evocantur.

§. 1. Nam isto quoque casu; more, & instar aliorum legitimæ ætatis hominum, processu juridico observato, respondere, & rationem contradictionis eorum reddere debebunt. Et RATIO est: quia sponte, & proprio eorum motu causæ hujusmodi sese ingerunt. Et quamvis ad alterius instantiam evocentur; tamen ipsi magis videntur Actores, quam in causam tracti tunc existere, qui conantur Juribus alterius partis manifeste resistere.

§. 2. Nisi enim Statutioni, vel Reambulationi, & per consequens Juribus partis alterius sponte contradicerent; nusquam eos in litem attraherent. Et ideo contra eos, quin potius per eos causa in hac parte suscitari videtur.

§. 3. SECUS tamen est, si Statutio, vel Reambulatio metarum per quempiam in Dominium talium terrarum, aut bonorum, & Jurium possessionariorum facta fuerit; quæ pacifice præ manibus orphanorum habentur: Nam hoc casu, velint, nolint, ipsi Statutioni, vel etiam Reambulationi contradicere debebunt.

§. 4. Aliter enim per taciturnitatem de Dominio illorum, aut illarum excluderentur: Et idcirco respondere in hac parte, sicut in prænarra-

ratis cæteris causis, infra tempus legitimæ ætatis eorum, non tenebuntur.

§. 5. In causis vero ratione bonorum per defectum seminis aliquorum decedentium, a Principe impetratorum; vel vigore contractuum in quempiam derivatorum motis; processus, & ordo superius A) exinde conscriptus, atque declaratus observari debebit.

Quod Evocatores pupillorum in homagiis eorum convincantur.

TITULUS 132.

SCiendum postremo, quod, ex quo pupilli usque ad tempora legitimæ eorum ætatis (quando scilicet ab omni tutela liberantur) nec cum scitu, nec sine scitu Tutorum aliquid facere possunt: quia sui Juris non sunt.

§. 1. Ideo si qui tales orphanos, occasione actuum potentiariorum (asserendo per ipsos, aut de eorum commissione, ejusmodi actus potentiarios fuisse patratos) in causam convenerint, & attraxerint; mox in homagio illorum (quemad modum super Evocationum conditionibus) in ipsa secunda parte declarabitur) convincuntur.

Quid sit, & qualiter fiat bonorum mobilium & immobilium æstimatio?

TITULUS 133.

QUoniam autem ad nonnullorum negotiorum expeditionem perneceſſaria eſt bonorum

A) p. 1. titt. 64. 65. 66. &c. B) p. 2. t. 23.

rum æstimatio; A) ideo series, ac modus ejus hic merito subnecti debet.

§. 1. UNDE notandum est, quod juxta veterem, & approbatam hujus Regni nostri consuetudinem æstimatio dicitur: *Bonorum mobilium, & immobilium, competentis valoris, limitata quædam, ac statuta taxatio.*

§. 2. Vel aliter; æstimatio: *Est rei mobilis, & immobilis, secundum sui æquivalentiam, vel valorem, taxata quædam limitatio.*

§. 3. Et DUPLEX æstimatio, scilicet *Perennalis*, & *Communis*. Æstimatio *Perennalis*, quæ in Juribus duntaxat possessionariis, & non rebus mobilibus fieri solet, *decies tantum* facit, quantum Communis.

§. 4. In æstimatione namque Communi una Sessio Jobagionalis populosa pro una Marca, seu ad *unam Marcam quatuor florenos* facientem: In perennali vero æstimatione ad decem Mar-

A) Præter æstimationem *Forensem* statuerunt Veteres nostri æstimationem *Legalem*: Ut pro certis casibus in Lege expressis haberent rerum valorem in fixo limitatum. Et quidem fixa hæc, & specialis Regula in similibus servanda, confecta fuit; in quibusdam rebus non attento, forensi pretio, aut respectu immobilium; eorundem proventu. Res vero isthic non limitatas; ad *valorem condignum* relegarunt. Unde licet hic solum mentio fiat, *Communis*, & *Perennalis* æstimationis; *Condigna* tamen *æstimatio* (quæ justo, ac competenti pretio res taxat) huc merito revocari potest. Et sic, *Communis* æstimatio, prout a *Condigna* discrepans, recte vocabitur *Specialis*.

Marcas, quadraginta florenos continentes computatur.

§. 5. Quæ *Perennalis æstimatio* paucis in rebus, ac causis committitur, sed universus fere cœtus Dominorum Prælatorum, ac Baronum, Magnatumque, & Nobilium *æstimatione Communi* (ut plurimum) utitur. Nisi enim in Fassionibus, vel obligaminibus quorumpiam æstimatio Perennalis claro sermone declarata, aut in Constitutionibus Regni publicis expressa fuerit, ejus usus raro admittitur. Cujus quidem æstimationis A) series hoc modo sequitur:

§. 6. Castrum lapideum æstimatur ad Marcas B) Centum.

§. 7. ITEM, *Monasterium*, sive *Clausirum*, *sepulturam* patronorum, c) & aliorum specialium Nobilium habens; æstimatur ad M. 100.

§. 8. ECCLESIA cum duobus pinnaculis, ad modum Monasterii fundata; æstimatur ad M. 50.

§. 9. ECCLESIA cum duabus turribus, seu duobus pinnaculis, non penes Monasterium existens,

A) Scilicet *Communis*.

B) *Marcæ*, quæ hic numerantur: omnes sunt *gravis ponderis*, nempe florenos 4. facientes. Vid. plura de diversis Marcis in *Tyroc. Jur. Ung. p. 1. t. 2.*

c) Sapientet censet *Com. Syst.* ex hac serie, seu æstimationum syllabo expungendas esse *Ecclesias*, *Monasteria*, *Crypras*, *Cemeteria*: & alias *Res sacras*, velut extra Commercium humanum positas.

stens, vel non per modum Monasterii fundata; ad M. 25.

§. 10. Omnes aliæ Ecclesiæ *matronæ*, A) cum una turri, sepulturam habentes, æstimantur ad M. 15.

§. 11. Sine turri autem constructæ, tamen cum sepultura, ad M. 10.

§. 12. CAPELLA lignea, seu Sacellum non lapideum, sepulturam tamen continens, ad M. 5.

§. 13. Absque sepultura vero ad M. 3.

§. 14. ECCLESIÆ autem, & Capellæ extra Matronam Ecclesiam B) fundatæ, non ponuntur in serie æstimationis.

§. 15. ITEM Sessio, seu Curia Nobilitaris populosa; ad M. 3.

§. 16. Habitatore vero carens, ad M. unam cum media.

§. 17. Ædificiis autem omnino destituta: ad M. 1.

§. 18. ITEM Sessio Jobagionalis populosa; ad M. 1.

§. 19. Deserta vero, sed ædificia habens; ad M. mediam.

§. 20. Ædificiis autem penitus carens, tamen in ordine aliarum Sessionum sita, ad quartam

A) Id est *Matrices*: Aut, ut Lex videtur intelligere; *Parochiales* quæcunque licet sint *Filiales* peculiari Pastore destitutæ sed vicino duntaxat adscriptæ.

B) Nempe, si in eadem possessione plures sint Ecclesiæ, aut Capellæ; cæteræ, præter Matricem, non ingrediuntur seriem æstimationis.

tam partem unius, Marcæ, videlicet denarios 100.

Extra ordinem siquidem aliarum Sessionum posita, pro campo reputatur, & in ordine æstimationis non computatur.

§. 21. ITEM Pomarium Nobilium adultis fructiferis arboribus consitum, in uno jugero terræ Regalis mensuræ adjacens; ad M. 3.

§. 22. In Insula tamen *Csallókőz* quælibet arbor adulta, & fructifera æstimatur ad centum Denarios, usque ad numerum duodecim arborum: ultra vero duodenarium ipsum numerum; quotquot sunt arbores, simul tamen computatæ; æstimantur ad M. 3.

§. 23. POMARIUM vero Jobagionale extra villam habitum; ad M. 1.

Retro autem, seu penes Sessionem existens, non ponitur in æstimationis serie.

§. 24. ITEM Terra communis, vel arabilis, ad unum aratrum Regalis mensuræ sufficiens, ad M. 3.

§. 25. ITEM Silva *communis*, de qua decima porcorum, vel tributum generaliter non exigitur, nec habet aliquem certum proventum; æstimatur sicut terra communis, ad unum aratrum videlicet Regalis mensuræ adjacens; ad M. 3.

§. 26. De Rubetis etiam, & Virgultis idem est sentiendum.

§. 27. ITEM, Silva magna, quæ alias *permissoria* A) dicitur, pro communi opere, & labore apta; intra quantitatem trium aratrorum Regalis mensuræ existens, quodlibet aratrum; ad M. 10.

§. 28. Ultra vero tria aratra adjacens, non æstimatur: Sed ad ipsa solummodo tria aratra reducitur æstimanda.

§. 29. Item Silva major, puta, *dolabrosa*, & *glandifera*, seu sub dolabro; & venatione existens, ac pro quolibet opere, & artificio valens; in spatio, vel quantitate trium aratrorum Regalis mensuræ adjacens; quodlibet aratrum, æstimatur ad M. 50.

§. 30. Si vero proventus ejus annualis bene potest computari, signanter si fuerit *glandinosa*; tunc pro decies tanto æstimatur, quantum facit proventus suus annualis. Ultra vero ipsa tria aratra (prout *permissoria*) non æstimatur.

§. 31. ITEM, si terra arabilis non extendit se ad unum, vel medium aratrum Regale, i ta videlicet, ut si fuerint quinque, aut sex, vel decem, &c. jugera; tunc (opinione non nullorum) quodlibet jugerum æstimabitur ad Denarios quadraginta. Et de silva quoque *permissionali*, ac nemore, idem dicunt esse tenendum.

§. 32. Verumtamen hæc limitatio pro communi æstimatione accepta, respectu præce-

den-

A) *Szabad erdő.*

dentis, justa, & recta esse non videtur, sed omnino abjicienda censetur: Nam si terram, vel silvam communem ad unum aratrum Regale sufficientem ad tres Marcas æstimabis, & aratrum ipsum ad centum, ac quinquaginta jugera Regalis mensuræ sequestrabis; tunc si bene computabis, non plures, quam duodecim Denarii ad quodlibet jugerum terræ cedent, & quatuor tantum jugera inæstimata manebunt, quæ ad quinquaginta Denarios se extendunt. Quinquaginta autem Denarii ad centum, & quinquaginta obulos, seu quadrantes commode dividi non possunt? Ideo quatuor illa jugera, consideratione majoris partis, ut inæstimata maneant, necesse erit.

§. 33. In supputatione siquidem silvæ permissoriæ, vel nemoris, pro communi (ut præfertur) opere valentis, ad unum aratrum se extendentis, quod ad Marcas decem æstimatur, quodlibet jugerum ad Denarios 26. cum obulo taxari, vel æstimari debebit, & pro superfluo, seu residuitate, Denarios viginti quinque habebit. Si vero aliter ad Marcas summam ipse dividere volueris; tunc quodlibet jugerum ad Denarios 27. æstimabitur, & tu Denarios 7. superaddere debebis. De prænarrata quoque terra, idem (si volueris) cum superadditione facere valebis.

§. 34. Item, Pratum, seu fœnetum, ad unam falcem sufficiens, vel alias in uno jugero

terræ Regalis menſuræ adjacens; ad unum quartale: videlicet Denarios 100.

§. 35. FOENETA autem in campeſtribus, quæ falcari quidem poſſunt, raro tamen, vel nunquam defalcantur; in ordine æſtimationis non ponuntur.

§. 36. ITEM, Molendinum ſubtus, vel deſuper currens, & tempore æſtus non deficiens; ad M. 10.

Deficiens autem; ad M. 6.

§. 37. MOLENDINUM. deſuper volvens, & tempore ſiccitatis non deficiens; ad M. 5.

Deficiens autem; ad M. 3.

§. 38. Locus Molendini deſerti, ſubtus currentis; ad M. 3.

Deſuper autem volventis; ad M. unam cum media.

§. 39. ITEM, Fons ſcaturiens, ſeu puteus effluens, & non deficiens, in quacunque poſſeſſione, de quo populus portare ſolet; ad M. duas cum media. Si autem plures fuerint, non æſtimantur, ſed ad unum ſolum includuntur omnes, quoniam *ad uſum unius villæ ſufficit puteus unus.*

§. 40. ITEM, Piſcina effluens, & non deficiens; ad M. 10.

Non effluens autem, & tempore ſiccitatis deficiens; ad M. 5.

§. 41. PISCINA magna cum clauſura exiſtens, *Gyalmos - tó*, vel etiam *Moró - tova-*

di-

dicta, nec non alia piscatura Danubialis, vel Thicialis, sive Szavæ, aut Dravæ, *Thanya* nuncupata, si habet deputatum proventum annualem; decies tantum æstimatur, quantum facit proventus ejus annualis. Si vero computatum proventum non habuerit (prout nos generaliter utimur) æstimatur; ad M. 50.

§. 42. ITEM, loco sagenarum, *Wész* appellata usque ad Denarium numerum, pro singulis Marcis: ultra vero decem, usque centum, vel amplius; ad M. 10.

§. 43. ITEM, Clausura, quæ fit tempore inundationis aquarum, *Rekesz* dicta, specialem, vel singularem proventum habens, quælibet ad Denarios 100.

§. 44. ITEM, Tributum tam super aquis, quam in terris rite exigi consuetum; decies tanto æstimatur, quantum facit proventus ejus annualis.

§. 45. ITEM, Tributum promontorii, seu montis vinearum, quod computatum, & notabilem proventum annuatim Domino suo terrestri ministrat, similiter ad decies tantum æstimatur: Sed hoc in Perenni duntaxat æstimatione locum habere censeo. Nam vineæ generaliter, tanquam rubeta, & virgulta de Regni nostri antiqua consuetudine æstimari solent, ex eo, quod ubi, & postquam cultores vinearum aut defuerint, aut earum labores prætermiserint, vineæ cito, de facilique in rubeta, & vepres convertentur.

§. 46. VERUM, si rusticum quempiam, vel etiam Nobilem in teritorio alterius vineam habentem, Dominus terrestris de ipisa vinea ejicere, & excludere voluerit; authoritatem quidem ejiciendi habet: A) Attamen non æstimatione illa communi, quæ de virgulto, & rubeto immediate prænotata est; sed *competentem valorem*, seu *condignum pretium* ejus, juxta æquam rectamque limitationem, & taxationem Judicis, ac juratorum civium ejus loci, ad quem ipsum promontorium pertinet, illi refundere tenetur.

§. 47. *Ista Mensura* 48*ties sumpta, facit unam Mensuram, sive Ulnam Regalem.*

48. ITEM, unum jugerum terræ arabilis, aut silvæ Regalis mensuræ, continet in sua longitudine septuaginta duas; in latitudine vero duodecim Mensuras, seu Ulnas Regales.

§. 49. ITEM, unum aratrum continet in se centum, & quinquaginta jugera terrarum Regalis mensuræ, in æstimatione rerum.

DE JUMENTORUM ÆSTIMATIONE.

§. 50. Notandum, quod unus bos non claudus, vel aliter non destructus; ad M. I. §. 41.

A) De æstimatione Vinearum; Vid. *Trip. Jur. Ung. Tyroc. ad h. t. §. 7.*

§. 51. Duæ vaccæ sine vitulis; ad M. 1.
§. 52. Una vacca cum vitulo; ad M. 1.
§. 53. Quatuor oves; ad M. 1.
§. 54. Quatuor porci; ad M. 1.
§. 55. Cabella sine poledro; A) ad M. 1.
§. 56. Cum poledro masculo; ad M. 1.
§. 57. Cum poledro fœmineo; ad M. 1. cum media.

§. 58. Equus sellatus secundum valorem ejus B) æstimatur.

Quot modis, & quibus respectibus æstimationes Bonorum, & Rerum fiant?

TITULUS 134.

SCiendum ulterius, quod præmissa bonorum mobilium, & immobilium æstimatio diversis modis, diversisque respectibus fieri consuevit.

§. 1. PRIMO quidem: ad solutionem *onerum judicialium*, quæ communi, & usitato vocabulo *Birsagia* nuncupantur. Et in illis tam jumenta, quam etiam terræ, & Jura possessionaria juxta limitationam præscriptam æstimari pariter, & acceptari debent.

A) Vox Italica *Hinnulum* significans.
B) Est autem valor alius *intrinsecus*, alius *extrinsecus:* Ubi etiam *pretium affectionis* non raro subingreditur contra id, quod dicitur *l. si servus* 33. *ff. ad Legem Aquil.* Sed de his Vid. Civilistas *ad Leg. cit. & alibi.*

§. 2. SECUNDO, in Quartalitiorum, & Jurium impignoratitiorum solutione, ac bonorum per Sententiam capitalem, vel emendæ capitis occupandorum redemptione. In qua (jumentis exclusis) tam Castra, ac Curiæ Nobilitares, & Sessiones Jobagionales populosæ, desertæque, & prædiales; quam etiam terræ, silvæ, virgulta, prata, piscinæ, molendina, fontes, *Claustra*, *Monasteria*, & *Ecclesiæ*: nec non tributa, pomaria, sagenarumque, & clausularum loca: & generaliter omnes pertinentiæ Jurium possessionariorum æstimandorum, modo prædeclarato taxantur. Terræ tamen arabiles, & prata, ad Sessiones Jobagionales populosas spectantes, & pertinentia (demptis terris, & pratis extirpatitiis, quæ colonos proprie concernunt, & non ad Sessiones pertinent) non æstimantur. Et tandem secundum hujusmodi æstimationis quantitatem, solutio Quartalitiorum, & Jurium impignoratitiorum fieri debebit. Et hoc idem est etiam de Juribus possessionariis, in præjudicium fratrum, vel aliter indebite venditis, intelligendum, atque tenendum.

§. 3. TERTIO, in Dotalitiorum restitutione. In qua solummodo Curiæ Nobilitares, ac Sessiones Jobagionales populosæ, & desertæ, atque prædiales, in ordine aliarum Sessionum sitæ æstimantur, & extra corpus possessionis nulla in hac parte æstimatio admittitur. Et demum juxta ejuscemodi possessionariæ æstimationis seriem, restitutio Dotalitiorum partim pecuniis

niis paratis; partim vero rebus mobilibus (etiam jumentis inclusis) fieri solet juxta verum pretium illarum. Prout videlicet in foro vendi possent, acceptari debebunt.

§. 4. Hoc tamen advertendum est, quod, siqua mulierum, mortuo marito suo, in bonis, ac Juribus ejusdem mariti possessionariis titulum, & nomen ipsius ferendo, vita sibi comite, permanere voluerit, & filius, vel frater, aut alter successor ejusdem mariti legitimus, ipsi mulieri ad quantitatem, & valorem Dotalitii sui, Jura aliqua possessionaria, vita ejusdem durante possidenda, & utenda sequestrare, excindereque, & dare decreverit, tunc in tali casu non solum Curiæ Nobilitares, Sessionesque Jobagionales populosæ, & desertæ, ac prædiales, sed etiam extra villam, terræ, silvæ, pomaria, ac fœnilia, & molendina, quæ mulieri dabuntur, prout in Quartalitiorum solutione æstimabuntur: Et tantum duntaxat sibi de Juribus illis possessionariis, quantum se ad valorem ipsius Dotalitii sui extendet, deputabitur utendum, atque possidendum.

§. 5. QUARTO in solutione debitorum, & refusione damnorum summarie computatorum, vel specifice denotatorum. Præterea in depositione oneris Facti calumniæ, ac emendæ linguæ, & violationis Sedis Judiciariæ Regiæ Majestatis, ac Comitum Parochialium quorumlibet Comitatuum, & aliis ejuscemodi causis, ac casibus, in quibus pari modo res mobiles, & ve-

nales, juxta verum earum valorem, & non secundum limitationem præexpressam, acceptantur.

§. 6. QUINTO, & ultimo; in metarum Reambulationibus, rectificationibus, æstimatio communis fieri solet. Hoc tamen ultimo modo, eo solum respectu æstimatio celebrari consuevit, ut terræ, silvæ, virgultaque, vel prata, aut promontoria, quæ inter causantes in lite manebunt, ad quot Marcas sese extendere videbuntur, cum tot Nobilibus, hujusmodi terras, silvas, virgulta, prataque, vel promontoria, ille, cui juramentum per Judicem præstandum deponendumque adjudicabitur, pro se, & Juri suo appropriare, vendicareque valeat, atque possit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

DE SECUNDA PARTE JURIUM, ET CONSUETUDINUM INCLYTI REGNI HUNGARIÆ, IN GENERALI.

TITULUS I.

POstquam favente DEO, de principalibus rebus, Jurium scilicet possessionariorum Donationibus, earumque speciebus: nec non bonorum Divisionibus: Venditionibus: Impignorationibus: Metarum distinctionibus: Dotalitiorum, & Quartalitiorum solutionibus, & aliis ad ea spectantibus, & annexis; quibus utpote omniumDominorum Prælatorum, ac Baronum, Magnatumque, & Nobilium fundatur exordium, fulciturque Dominium, succincte dictum est; in hac jam SECUNDA patre hujus Opusculi, de causarum, & litium processibus, & executionibus, ac sententiarum super his ferendarum serie differendum restat.

§. 1. Sed antequam ad materiam specialem hujus Partis explanandam veniam, quia constitutio Regni hujus plerumque interseri debebit; ideo in generali, qualiter constitutio, seu Generale Decretum Principis, & Regni interpretari debeat? Præterea unde Consuetudo nostra,

ſtra, ſeu Lex non ſcripta (qua hoc tempore communiter utimur) initium, & originem ſumat? breviter præmittam.

Quot modis Generale Decretum intelligatur?

TITULUS 2.

CONſtitutiones A) igitur Principum, ſeu Decreta Regni quatuor B) modis (prout occurrit) conſiderari poſſunt.

§. 1. Quædam enim Conſtitutiones ſunt ex toto per poſteriores abrogatæ, ſimpliciterque revocatæ.

§. 2. Aliæ vero partim abolitæ, partim approbatæ.

§. 3. Quædam autem ſilentio præteritæ.

§. 4. Et quædam introductæ.

§. 5. In his igitur Conſtitutionibus, quæ ex toto ſunt deletæ (ſicut *Judicium Palatinale*, *proclamata Congregatio*, *Judicium Duelli*, & *Trineforenſis Proclamatio*) attendendum eſt tempus abolitionis. Quia futuris, & non præteritis cauſis, ac negotiis videntur Legem imponere, ita quod de cætero non fiant hujusmodi Judicia Palatinalia, C) & Duellorum dimicationes, D) neque proclamatæ Congregationes, E) &

A) De Conſtitutionibus agitur per 4. ſeqq. titt.
B) Vid. Kitt. c. 1. q. 15.
C) Matt. D. 6. a. 1. Ulad. D. 1. a. 35.
D) Matt. D. 6. a. 18. & Ulad. D. 1. a. 37.
E) Matt. D. 6. a. 2. Ulad. D. 1. a. 36.

& Trineſorenſes Proclamationes A) celebrentur.

§. 6. In cauſis tamen vigore earundem inchoatis, ſervari debet modus priſtinus, quo ipſæ cauſæ inchoatæ fuiſſe dignoſcuntur, non quantum ad earum iterum celebrationem, ſed quoad proceſſuum ipſarum obſervationem.

§. 7. Secus eſſet, ſi per verba in eadem Conſtitutione poſita, & conſcripta, Leges, & Conſtitutiones hujusmodi traherentur etiam ad præterita. Nam ſimpliciter *Conſtitutiones* (ut immediate prætactum eſt) *non ad præterita, ſed futura ligant.* B)

§. 8. SECUNDO vero, quando ſcilicet partim ſunt approbatæ, partim vero abolitæ; innitendum, & incumbendum eſt formis verborum in ipſis Conſtitutionibus, & Decretis poſitorum, ut approbata ſerventur, abolita autem rejiciantur, & non obſerventur.

§. 9. TERTIO, quando priores Leges, vel Conſtitutiones fuerunt ſilentio prætermiſſæ, ſic quod nulla mentio habeatur de prioribus, per poſteriores, ſuper variatione, vel immutatione earundem; tunc priores Leges vigorem habere dignoſcuntur: Si contrarius uſus populi illis non præjudicaverit. C) Nam *uſus realis*, & *continuus ſæpe Legem tollit.*

§. 10.

A) Matt. D. 6. a. 17. & Ulad D. 1. a. 38. Sed hæc, & ſimilia, Vid. uberius in *Tyroc. Fur. Ung. ad h. t.*

B) Conſonat Matt. D. 6. a. 70.

C) Hujus rei Exempla de Judicio *Candentis Ferri*, & *Ferventis Aquæ*, Vide apud Kitt. c. 1. q. 15.

§. 10. QUARTO vero, dum videlicet novæ Leges fuerint introductæ; A) tunc secundum illas oportebit judicare, sive sint efficaces sive mitiores prioribus. Jam enim non poterit judicari, quod bene, vel male fuissent constitutæ, sed secundum ipsas oportebit judicare.

Qui possint condere Leges, & Statuta?

TITULUS 3.

SEd quæstio occurrit pertractanda: Utrum Princeps per se possit condere Leges, ac Statuta; an opus sit, ut populi quoque accedat consensus?

§. 1. Unde advertendum, quod quamvis olim populus iste Hungarorum, dum adhuc ritu viveret gentilium, & non Regem, sed Ducem, ac Capitaneos haberet Directores; omnis potestas condendæ Legis, & Constitutionis apud eos fuerit. B)

§. 2. Verum posteaquam *ad Fidem Catholicam* sunt conversi, & Regem sponte sibiipsis elegerunt, tam *condendæ Legis*, quam etiam cujuslibet *possessionariæ collationis*, atque omnis *judiciariæ potestatis* facultas, in jurisdictionem sacræ Regni hujus Coronæ, qua cuncti Re-

A) Exempla novarum Legum introductarum affatim suppeditant artt. Ann. 1715. & 1723. ut de erectis 4. Tabulis Distrikt. De Testamentis. De successione Regia quoad sexum fœmineum, &c. &c.

B) Vid. Bonf. Decad. 1. lib. 2. & 9.

Reges Hungariæ coronari solent, & subsequenter Principem, A) ac Regem nostrum legitime constitutum, simul cum Imperio, & Regimine B) translata est. Et sic postea Reges ipsi, convocato, interrogatoque populo Constitutiones facere cœperunt: prout & temporibus nostris fieri consuevit.

§. 3. Attamen Princeps proprio motu, & absolute, potissimum super rebus Juri Divino, & naturali præjudicantibus, atque etiam vetustæ libertati totius Hungaricæ gentis derogantibus; Constitutiones facere non potest: Sed accersito, interrogatoque populo: *Si eis tales Leges placeant, an ne?* Qui cum respoderint, quod *sic*; tales postea sanctiones (salvo semper Divino, naturalique Jure) pro Legibus observantur.

§. 4. Plerumque autem & populus ipse nonnulla, quæ ad publicum bonum conducere arbitratur, unanimi consensu decernit: in scriptisque Principi porrigit, supplicans super illis, Leges sibi statui. Et si Princeps ipse ejuscemodi sanctiones acceptaverit, & approbaverit; tunc vim

A) Proinde & *Reginam*; ad quam Jure hæreditario, vel electivo, Regnum devolutum est.

B) Potestas condendi Leges, a populo in Regem translata est, non *privative*, seu *exclusive*, verum *cumulative*, seu *copulative*: Cum populus sibi potestatem reservaverit Leges conscribendi, quas Regi offerat pro ratificatione. Id quod in Comitiis Regni Generalibus fieri assolet: De quorum celebrandorum ritu, ac requisitis; Vid. *Tyrot. Jur. Ung. ad h. t.*

vim Legis A) pari modo sortiuntur, & de facto pro Legibus reputantur.

§. 5. Quæ tamen omnia, specialiter *Principis*, B) *& non populi Statuta* nuncupantur; eo quod, nisi utroque modo Principis accederet consensus, & confirmatio, nullius censeretur firmitatis ipsa Constitutio. Verum generali nomine, Constitutiones ipsæ, sæpenumero *Regni Decreta* vocitantur.

Qui nomine Populi, & qui nomine Plebis intelligantur.

TITULUS 4.

NOmine autem, & appellatione populi, hoc in loco intellige, solummodo Dominos Prælatos, Barones, & alios Magnates, atque quoslibet Nobiles; C) sed non ignobiles.

§. 1. Licet autem iste terminus *Populus*, includat omnes Nobiles, & ignobiles pariter; de ignobilibus tamen (qui *plebis nomine* intelliguntur) in hac parte D) nihil est ad propositum.

§. 2.

A) Consonat a. 18. 1635.

B) Cum ille habeat potestatem, ex oblatis sibi per Populum articulis aliquos, ut libuerit, acceptandi, & pro Legibus promulgandi: alios rejiciendi, & abolendi. Quamquam si novos addat, iterum Populum interrogare debeat, an eis placeant? §. *Attamen Princeps h. t.* Patet id maxime ex actis Diætalibus An. 1729.

C) Adde Reg. ac Lib. Civitates, ex dictamine a. 1. 1608. *Post Coron.*

D) Ubi nempe de *Potestate Legislativa* sermo est.

§. 2. Populus enim eo differt a. A) plebe, quo genus a specie. Nam appellatione populi, universi Nobiles, tam Magnates, quam inferiores, etiam ignobilibus computatis, significantur: Plebis autem nominatione soli ignobiles intelliguntur. B)

Quos ligant Constitutiones, & Statuta?

TITULUS 5.

ULterius si quæratur: Quos ligent Constitutiones, & Decreta? Sciendum, quod *primo* ligent ipsum Principem, C) qui eas populo postulante edidit. Juxta illud: *Patere Legem, quam tuleris ipse.* Secus est de Summo Pontifice, & Romanorum Imperatore sentiendum, de quibus nulla in hac parte notatur mentio.

§. 1. DEINDE ligant omnes jurisdictioni Principis subjectos. D)

§. 2.

A) Plebs a Populo eo differt, quo species a genere: Nam appellatione, Populi universi Cives significantur, connumeratis etiam Patritiis, & Senatoribus: Plebis autem appellatione, sine Patritiis, & Senatoribus cæteri Cives significantur. *Ita Justinianus Imp. in* §. 4. *Inst. de I. N. G. & C.*

B) a. 36. 1543.

C) Non solum ex æquitate naturali, sed etiam ex jurata promissione Vide *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.* Atque etiam Kitt. Dub. 54.

D) Proportione accommoda; quoad Transylvanos, Sclavones, Croatas, Dalmatas, &c.

§. 2. Et non solum illos, sed etiam quoscunque *Forenses* a) in hoc Regno degentes.

§. 3. Verum, si Constitutio generalis *tenderet ad pœnam, vel damnum*; tunc Forensibus dantur inducia *trium mensium*, ut hoc tempus sit eis pro publicatione Statutorum. Verbi gratia, si decerneretur, & constitueretur; quod nemo *Viennensium*, aut *Wratislaviensium*, vel aliorum Forensium (sub amissione capitis, & omnium bonorum suorum) ad nundinas in hoc Regno Hungariæ celebrari consuetas, cum mercibus suis venire; vel oves, boves, & equos gregatim de Regno expellere, & abigere auderet; tunc infra trium mensium spatium, si etiam deprehenderetur talis Forensis, de Jure plecti, vel rebus suis spoliari non posset: Quia ipsum *ignorantia*, & non publicatio Statutorum *excusaret*.

§. 4. Si autem non esset pœnalis, vel damnosa, sed *Juris alicujus*, aut *Judicii medela*, vel *prosecutionis causæ modus?* tunc Forensibus *unicus mensis* assignatur.

§. 5. Interius vero cujuscunque status, dignitatis, & conditionis existant; sufficit tempus promulgationis Statutorum. Et hoc modo nec *Intranei*, nec *Forenses* excusantur. Namque: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more.*

Unde

a) Idem cum proportione sentiendum *de vagis*, seu qui nuspiam Domicilium habent.

Unde traxerit originem Consuetudo nostra, in Judiciis observanda.

TITULUS 6.

SCiendum *secundo*, quod, quamquam omnia fere *Jura Regni hujus originaliter ex Pontificii, Cæsareique Juris fontibus progressum habeant*; A) municipalis tamen hæc nostra Consuetudo, qua in Judiciis modo generaliter utimur, ex tribus fundamentis constat.

§. 1. PRIMO ex Constitutionibus, & Decretis publicis.

§. 2. SECUNDO autem, ex Principum privilegiis.

§. 3. TERTIO vero, ex Judicum Ordinariorum Regni Sententiis.

§. 4. PRIMO (inquam) ex Constitutionibus publicis. Cujus rei ut origo altius repetatur, advertendum est, quod primus omnium glorioſus ille Rex, & Apostolus noster, Beatus STEPHANUS (primitias Regum Hungariæ qui tulit, quique ad sacræ Fidei lumen gentem Hungaricam convertit) præclaras edidit Constitutiones,

A) Hinc colligé *utilitatem*; imò respectu multarum Causarum, Lege nostra indecisarum, etiam *necessitatem*, his quoque Juribus operam aliquam navandi. Unde laudanda (& cunctis quoad fieri potest) suadenda est eorum praxis, qui curriculum Philosophiæ emensi, ad minus unum, alterumve annum, his Juribus condiscendis tribuunt, priusquam ad *Patavias* digrediantur.

nes, Fidei tamen magis rudimenta, quam litium fomenta præseferentes, & declarantes.

§. 5. Deinde Sanctissimus Rex, & Confessor noster LADISLAUS, qui gladio suo Dalmatiam, partesque maritimas Regno Hungariæ subjecit: quique gentem Tartaricam, fines Hungarorum crebris incursionibus invadere consuetam, aperto Marte sæpe conterens, ab hujus Regni finibus procul amovit, pedemque longe referre coegit; Leges optimas constituit. a)

§. 6. Invictissimus postea Rex ANDREAS, tertii BELÆ Regis filius, ac Beatæ ELISABETH viduæ genitor (quem nos *Hier solymitanum* vocitamus) post felicem, ab expeditione Hierosolymitana, quam pro sacræ Fidei Catholicæ defensione adversus Saracenos ingenti Hungarorum cum exercitu susceperat, reditum, super Nobilium præsertim immunitate, & prærogativis, ac libertatibus egregias Sanctiones, præclaraque Decreta stabilivit: *Quæ usque in præsentem diem Gens Hungarica, tanquam sacra Decreta, ad usque sidera tollit.*

§. 7. Demum Excellentissimi Principes, Domini LUDOVICUS, SIGISMUNDUS, ALBERTUS, & MATHIAS, Reges Hungariæ, temporibus suis certas pari modo Constitutiones fecerunt.

§. 8. Novissime etiam Serenissimus Dominus noster modernus Rex ULADISLAUS, non minus cæteris, præstantes Leges condidit: Cujus me-

a) Cur omittit COLOMANUM, a quo *duos Libros Decretorum* habemus?

memoria laudabilis apud Hungaros in benedictione semper erit.

§. 9. Et licet hujusmodi Constitutiones, ac Leges, præsertim Sanctorum STEPHANI, & LADISLAI a) Regum, qui catalogo Sanctorum adscribi digne meruerunt, vetustate nimia jam pene b) sint oblitæ: Qui cum & alioquin magis de Divina, quam humana Lege tractasse dignoscuntur, reliquorumque subsequentium Regum Decreta in certis clausulis, & articulis mutata, variataque habeantur, tamen ex omnium fere ipsorum Divorum Regum Constitutionibus, per longum usum aliquid Legis c) in Consuetudinem nostram, plus quam per centum annos jam approbatam, derivatum, traductumque esse dignoscitur.

§. 10. SECUNDO, ex Principum privilegiis Consuetudo nostra processit. Quæ cum sæpe rebus ita expoſcenitibus, in Judicio producta legerentur, & honeste, justeque (dictante ratione) edita, & confecta fuisse approbarentur, longum per ejuscemodi judiciarium exercitium, certa pars nostræ Consuetudinis progressum habuit.

a) Adde: COLOMANI.

b) Bene addit *pene*: sunt enim aliqua ex his non solum usu retenta, sed & per Leges posteriores confirmata.

c) Per *Consuetudinem* intelligit h. t. Werbőczius maxime *Processum Judiciarium*, qui ante ejus tempora magis Consuetudine, quam Lege scripta erat regulatus.

§. 11. TERTIO vero, & ultimo; ex Judicum Ordinariorum Regni Sententiis, Literisque Adjudicatoriis iteratis, imo *pluribus vicibus* A) *uno & eodem ordine*, ac modo, processuque *latis, & confectis*, ac executione juridica roboratis, Consuetudo ipsa emanavit.

§. 12. Verumtamen processus iste judiciarius, & usus processuum, quem *in causis inchoandis, prosequendis, discutiendis, & terminandis* observamus, regnante ipso Domino CAROLO Rege, prædicti LUDOVICI Regis genitore, per eundem *ex Galliarum finibus*, in hoc Regnum inductus fuisse perhibetur. B) Qui ad hæc usque tempora (variatis solummodo per publicas Constitutiones quibusdam terminis) inviolabiliter semper extitit observatus: C) *Observandusque est etiam* D) *in futurum semper.*

§. 13.

A) Censuit *Com. Syst. ad h. t.* tres sententias, per tria diversa sibi subordinata Fora Judiciaria latas, sufficere ad Consuetudinem Processualem introducendam Vide etiam Kitt. c. 1. q. 9. §. 3.

B) Scilicet quoad terminos judiciarios, quibus gradatim ad decisionem Litis proceditur, ut sunt: Citatio, Levata, Parium petitio, &c. Et quoad Remedia Juridica, saltem potiora. Et hæc quidem nos Gallis; Galli fere Justiniano Imp. debent. Quæ potissimum ad eliminanda Judicia *Ferri candentis*, & *Aquæ ferventis*, Carolus. I. invexit. Kitt. c. 1. q. 9.

C) *Processus Libellaticus*, quem longe ante tempora Caroli I. Bella III. instituit, *prout narrat Synoptica Regum Historia, Corpori Juris nostri inserta, & Bonf. Dec. 2. l. 7. pag. mihi* 270. qualis reipsa fuerit; aut quamdiu duraverit: non satis constat.

D) Non contenti Regnicolæ *Tripartito* hoc *Werbo*-

czia-

§. 13. Nam aliter, *totius Nobilitatis Regni Hungariæ Jura, novarum Legum per inductionem* (quoadusque illæ addiscerentur, inusumque communem traherentur) *ut in nihillum redigerentur, necesse foret.*

Quid sit Privilegium A) *diffinitive? & quotuplex sit Privilegium?*

TITULUS 7.

ITEM, ex quo Consuetudo nostra in quadam sui parte ex Principum (ut præmissum est) B) privilegiis sumitur; hinc de privilegio aliqua dicenda statui.

§. 1. Unde sciendum, quod privilegium dicitur, quasi *Lex privata, & singularis, quæ ad unum, vel ad paucos pertinet.*

§. 2. Aliter autem privilegium dicitur; *prærogativa, aut honor singularis.* Et est; *Principis beneficium, sæpe contra commune Jus indultum.*

§. 3. DUPLEX est autem privilegium; scilicet generale, & speciale. *Generale* est, *quod Universitati, vel Collegio*, prout Civitati, aut Capitulo, vel Conventui *conceditur.* Et illud est perpetuum.

cziano; *Opus Quadripartitum* haud longo post tempore procuderunt. Sed ita Superis visum, ut hoc Suppresso: Werbőczius hodiedum triumpharet. Vide *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

A) De Privilegiis agitur per 6. seqq. titt.

B) Tit. priori.

§. 4. *Speciale* autem est *; quod personæ duntaxat donatur.* Et illud cum persona extinguitur. Nisi forte in eo caveatur, quod virtus Privilegii etiam ad hæredes, & successores ipsius privilegiati derivetur. Nam hoc modo etiam hæredibus, ac successoribus ejus suffragari dignoscitur.

Utrum Decretum tollatur per Privilegium, & e contra?

TITULUS 8.

SEd quæri potest (prout ipse quoque sæpe quæsitum audivi) utrum Decretum, seu Jus commune tollatur per Privilegium? & e contra, an Privilegium tollatur per Decretum?

§. 1. Quamquam multi multa dicant, aliterque, & aliter sentiant, & pro utraque parte probationes nonnullæ in medium afferri queant, Nos tamen generaliter omnium, & omnia Privilegia per Jus commune, seu Decretum tolli, & invalidari tenemus: In casibus illis, quibus *expresse facta* fuerit in generali Constitutione *mentio.*

§. 2. Prout habetur in Decreto moderni Domini Nostri Regis, libertatis A) Civitatis Wis-

A) A Mathia Corvino concessæ: Ut nimirum nemo Civium Wissegradiensium propter quemcunque excessum, sed nec propter debita cuipiam Juri stare teneatur. Et hæc libertas aboletur, *Ulad. Decr. 1. a. 102. Et ejusdem Decr. 3. a. 39.*

Wiſſegradenſis, abolitio: Nonarum a Civitatibus liberis exactio: & alia hujusmodi.

§. 3. Quæ etſi Privilegia ſuper eorum libertate, atque Nonarum exemptione, & non ſolutione, pro ipſarum parte dudum habeant confecta; tamen non Privilegium, ſed Decretum, ac generalis Conſtitutio in hac parte obſervatur.

§. 4. Privilegium autem, *cui non fuerit expreſſe* A) *derogatum* per Legem contrariam, vel generale Decretum, non invalidatur: Prout ſuperius B) de conſideratione, & intelligentia Decreti latius habes.

Quod Privilegium dupliciter poteſt attendi, & emanari. Et primo; legitime.

TITULUS 9.

DUplex eſt autem Privilegii conſideratio: ſcilicet in quantum ex mera Principis authoritate, riteque, & legitime procedit: Et in quantum non; ſed in damnum aliorum vergit, vel alias Conſtitutioni communi derogare videtur.

§. 1. In quantum igitur Privilegium ex mera Principis authoritate procedit, prout Jurium poſſeſſionariorum Donatio: A tributaria, triceſimarumque ſolutione exemptio: Fororum liberorum, ac Nundinarum generalium, Vado-

A) *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.* ut habet Reg. 195. ff. de Div. Reg. Reg. Jur. B) p. 2. t. 2.

rumque & Tributorum collatio, *quæ ad solum Principem spectat*; semper observari debet: Dummodo Juribus aliorum manifeste non præjudicet.

§. 2. Et propterea in calce hujusmodi Privilegiorum clausula ista semper apponi, inseriqueſolet. SALVO JURE ALIENO. A)

§. 3. Nam si Princeps ipse *quempiam hominem ruralem*, B) vel civitatem a solutione tributorum de præsenti eximeret, & libertate donaret, prius tamen tributariam exactionem juste fiendam, alicui fidelium suorum contulisset; tunc per illud posterius *privilegium*, scilicet *exemptionale*, quia priori Privilegio, super tributo confecto palam præjudicaret; primum invalidare, & hujusmodi tributariam exactionem tollere non potest.

§. 4. Verum in bonis, & tributis propriis Principis, qui Privilegium donavit, exemptio ipsa tenebit, atque locum habebit.

Quod

A) Hæc clausula, etsi forte omitteretur, inesse nihilominus censeretur; quia Princeps, quamvis maxime velit aliquid alteri, in præjudicium tertii, tribuere, ac largiri non potest. Nam, *ad Reges quidem potestas omnium pertinet, ad singulos vero proprietas; Rex omnia possidet imperio, singuli dominio*: ut eleganter ait Seneca *l. 7. c. 4. de Benefic.*

B) Hinc collige; quod, si Rex cujuspiam subditum, & Jobagionem libertate, ac Nobilitate donet; ne legitimo ejus Domino præjudicium inferatur, debere hunc satisfactione pecuniaria per Donatarium Regium contentari. Vid. *Tyroc. Jur. Ung. ad t. 4. p. 1.*

Quod Privilegium duobus modis intelligitur Juribus aliorum præjudicare.

TITULUS 10.

ITEM, de conceſſionibus quoque *Fororum*, *Nundinarum*, & *Vadorum* idem eſt ſentiendum; quod Privilegia ſuper eisdem edita, ſemper ſunt ſervanda, ſi in præjudicium Jurium aliorum non fuerunt collata. Quæ duobus modis poſſunt Juribus aliorum præjudicare.

§. 1. PRIMO, *ratione temporis*, prout dictum eſt *immediate*. A) Quia prius emanavit Privilegium alterius, B) quod non poteſt tolli per poſterius, etiam cum *clauſula derogatoria*. C)

§ 2. SECUNDO, *ratione loci*: Quia vectigalia fluviorum, ſeu Vada, concedi de Jure

A) p. 2. t. 9.

B) Unde, qui reſcit, Privilegium Juribus ſuis præjudicans, per quempiam a Principe eſſe impetratum, debet, præſertim tempore publicationis illius, ſolenni contradictione, & proteſtatione interpoſita, eidem obviare; Ne ſecus conſenſiſſe arguatur, per *Reg. 43. in 6. Qui tacet, conſentire videtur.* Si tamen in loco publicationis, quacunque de cauſa, neglecta fuiſſet contradictio; poterit eadem etiam in loco authentico, & credibili interponi: Extractis ſuperinde dein Literis Teſtimonialibus. *Prax.*

C) Nec obſtat tritum Brochardicon: *Priora per poſteriora tolluntur.* Illud enim, de claro noſtro Jure, tunc duntaxat locum habet *in materia Privilegiorum*, quando priori alterius Juri manifeſte non præjudicatur. Qualiter autem *in materia Legum* ſubſiſtat; Vid. ſup. p. 2. t. 2. & 8.

non possunt, nisi ea loca (ad quæ concedunt) sint ab aliorum locis (ad quæ videlicet prius fuere concessa) in distantia *ad minus unius milliaris.*

§. 3. Licet possint etiam propinquius concedi, si destructionem priorum, vel illis notabile damnum, concessio ipsa non esset allatura,

§. 4. Fora etiam hebdomadalia, ac Nundinæ generales, *per tantam distantiam*, & ad loca quoque propinquiora conceduntur, concedique poterunt, dummodo una, & eadem die, aut uno tempore, cum Prioribus Nundinis, seu Foris hebdomadalibus, noviter concessa non celebrentur, & alias nova, manifeste priora non destruant.

Privilegium secundo modo formatur illegitime.

TITULUS 11.

ALio modo potest considerari Privilegium, in quantum ex mera Principis authoritate procedit, hoc est: quod Princeps non habet justam, legitimamque facultatem concedendi tale Privilegium; *quia vergit in præjudicium aliorum*, vel *quod Juri communi, ac Constitutioni generali præjudicare dignoscitur.*

§. 1. Et hujusmodi privilegium non valet. Prout exempli gratia, in Decreto communi continetur; quod transumptis literarum extra terminos Octavales confectis, in Judiciis fides non adhibeatur. Princeps autem, si cujuspiam Privilegium simpliciter transumi faceret

cum

cum clausula derogatoria, videlicet *Non obstante Lege, vel Decreto Regni nostri, hujusmodi transumpto volumus fidem adhiberi, &c.* Aut statutorias literas cum gratia concederet, quod scilicet: *Non obstante annuali revolutione jam tansacta, Donationem aliquam executioni demandare teneantur.* Quia Juri, & Consuetudini Regni hujus aperte derogari videtur; ideo non observatur, neque observandum censetur.

§. 2. Idem est sentiendum super illis Privilegiis, si quibus super eo concessa fuerunt, vel in futurum concederentur, quod in Sedibus Judiciariis Comunitatum, coram Comitibus Parochialibus, ad cujusvis instantiam respondere non teneantur, A) neque in præsentiam aliorum Judicum Regni Ordinariorum, nisi in præsentiam solius Mejestatis Regiæ, vel personalis præsentiæ suæ, in causam conveniri possint.

§. 3. PRÆTEREA, si juramentum cuipiam Dominorum, vel Nobilium præstandum adjudicaretur, & Privilegium inde produceretur; quod non ipse reus in persona sua, sed officialis suus illud deponere teneretur, & hujusmodi, &c. Quia generali Consuetudini totius Regni, olim ap-

A) Vid a. 15. 1495. Ubi tale quorumdam Privilegium expresse aboletur. Quamquam id necesse haud fuerit: Cum Privilegium generali Constitutioni Regni præjudicans, etiamsi nulla revocatio subsecuta, aut contradictio interposita fuerit, nullum tamen effectum, aut robur sortiatur firmitatis.

approbatæ, tale Privilegium præjudicat; nusquam tenetur. A)

§. 4. Omnes enim Domini, & Nobiles, tam scilicet spirituales, quam seculares; cæteri etiam possessionati, utriusque sexus homines, qui in hoc Regno Hungariæ bona, ac Jura possessionaria gubernant; pari Lege, unaque, & eadem Consuetudine, in ipsorum Jurium possessionariorum conservatione, atque cunctarum causarum inde *emergendarum* prosecutione, uti debent: Prout in prima quoque parte B) prænotatum habetur.

Quot modis carebit Privilegium sua firmitate?

TITULUS. 12.

NOtandum ulterius, quod Privilegium multis modis suo carebit vigore.

§. 1. PRIMO enim perditur, & invalidum erit Privilegium; *quando quis fecerit contra Privilegium sibi concessum*, aut *male* eo *utitur*. Quia *meretur Privilegium amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.* c) Quemadmodum ille; qui super malefactorum in territorio suo deprehensorum punitione Privilegium Principis habet, & capto fure, vel prædone, non eum suspendit, vel palo affigit, sed pactatam

A) Huc refera. 78. 1655. B) Tit. 2.

c) Prout dicitur *can. Ubi* 7. *dist.* 74. Non semper tamen *per abusum* ipso facto amittitur Privilegium; sed primo post definitivam Judicis sententiam.

tam pecuniæ ſummam ab eo extorquendo dimittit. Talis Privilegio ſuo abutitur: A) Quia Princeps malefactores non dimittendi, ſed juxta eorum demerita feriendi, mulctandique præſtitit authoritatem.

§. 2. SECUNDO amittitur Privilegium, *dumquis tempore debito non utitur Privilegio* ſibi dato, atque conceſſo. B) Verbi gratia: Si cuipiam Regia Majeſtas Caſtrum, vel quodcunque Jus aliud poſſeſſionarium donaret, & ille Donatarius Literas ſuas Donationales infra anni revolutionem per Regium, aut Palatinalem, & alicujus loci teſtimoniales homines executioni non demandaret; tunc peracta revolutione ipſa annuali, hujusmodi Donatio omni firmitate carebit. C) Neque etiam cum Literis Statutoriis per gratiam) prout immediate D) præmiſſ) confectis reſtaurari valebit: ſed nova Donatio ipſa fieri, conficique debebit: Si interea alter quispiam Jus illud Poſſeſſionarium pro ſe non impetraverit.

§. 3. In hoc facto etiam Fororum hebdomadalium, Nundinarumque, & Vadorum, idem eſt ſentiendum. Ut ſi Princeps alicui Forum, aut Nundinas, vel Vada conceſſerit; ille infra an-

A) Conf. p. 3. t. 32. §. fin. & Sigiſ. Decr. 6. art. 7. cal. 4. Nec non Kitt. Dub. 55. Demum a. 48. 1715.

B) Huc refer *Privilegia obſoleta*, ſenſu a. 17. 1622. & a. 45. 1649. De quibus Vid. *Tyroc. Jur. Ung. ad p. 2. t. 11. ſub fin.*

C) p. 1. t. 32. D) p. 2. §. 11.

anni revolutionem A) Donatione, & Privilegio hujusmodi utatur, B) & uti incipiat: Nam aliter anno transacto, virtus ejus exspirabit. C)

§. 4. Hic tamen adverrendum est, quod, si peracta infra dictam annualem revolutionem executione ipsius Statuti, error aliquis, aut in literis super ea re Relatoriis, aut in processu ejusdem executionis, vitio, vel negligentia hominis Regii, & Testimonii, vel etiam Capituli, aut Conventus, commissus fuisse deprehendetur; tunc in tali casu Donatio efficax manebit: Et ejuscemodi executio, prout casus rei se obtulerit, reformari poterit, D) atque debebit.

§. 5. Verumtamen, si simpliciter executio ipsa neglecta, vel aliter error aliquis per Donatarium in ea commissus fuerit; reformari nusquam poterit, sed de novo (ut prætactum est) Castrum, vel Jus illud possessionarium impetrari debet. E)

§. 6.

A) A *Dato* Literarum Privilegialium computando.

B) Id est: solito modo in Congregatione Comitatus; Privilegium suum publicari faciat: Quamvis nullum præterea illius usum intra annum exerceat.

C) Quamvis de Literis *Armalibus*, & *Telonialibus* expressa isthic mentio non fiat; huc tamen easdem, ob paritatem rationis, revocandas esse censent JCti Patriæ nostræ.

D) Penes *Mandatum Correctorium*: Idque intra annum a cognitione erroris: ut monet *Com. Syst. hic*

E) Huic Legis §. non præjudicat §. *Præterea quicunque*, *Decr.* 1. *Sigis. Reg.* De quo Vid. *Tyrocin. Jur. Ung. ad h. t.*

§. 6. TERTIO, perditur Privilegium in casu, quo quis *incurrit crimen læsæ Majestatis*, vel *notam infidelitatis*: Et hoc modo non solum Privilegium, sed etiam caput, & quælibet bona perdit. A)

§. 7. QUARTO, *si Privilegium in alterius enorme damnum redundet*: B) Sicuti jam hunc modum prædeclaratum habes: C) Quia & alioquin *non est verisimile Principem* concedentem, *Jus alterius* præsens, vel futurum graviter *velle lædere*.

§. 8. QUINTO, *si Princeps*, *vel* alter *Judex Regni Ordinarius*, ex certa scientia videns, & agnoscens Privilegium non valere *multis judicaverit contra illud*. D) Secus tamen est; si aliquando contra Privilegium per errorem fuisset judicatum: Nam isto casu poterit error ipse, & ex consequenti Privilegii tenor, *per novum Judicium*, servatis de Jure servandis, reformari.

§. 9. SEXTO, per *expressam*, vel etiam *tacitam renunciationem* ipsius Privilegii. Per *expressam*, sic; quod publice renunciaverit quis Pri-

A) p. 1. t. 14.

B) Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri lucupleriorem, suumque commodum augere. *l. 206. ff. de R. I.*

C) p. 2. t. 11.

D) Congruit *cap. Suborta 21. de sentent. & re Judic.* Et talis sententia Judiciaria supponit defectum Privilegii, vel in actu, vel in Jure Qui si non subsit; poterit error Judicum Ordinariorum via novi Judicii reformari, & vigor Privilegii resuscitari.

Privilegio suo. A) Per *tacitam* autem, sic; quod publice actum sit contra illud Privilegium, ipso sciente, & non contradicente, sed per omnia subticente: Quæ taciturnitas cum sit in sui præjudicium, inducit contra se quandam renunciationem. B)

§. 10. SEPTIMO, *per posterius, derogatorium priori:* Quando videlicet utrumque confectum est, vel emanavit ad unam, & eandem personam, aut communitatem, tunc primum cassabitur, C) & secundum obsarvabitur.

§. 11. OCTAVO, & ultimo perditur Privilegium, *per expressam revocationem concedentis* D) *Principis:* Idque ex causis rationabili bus, in revocatione hujusmodi clare declarandis: Nam si causæ rationabiles revocationem non firmaverint, sed *simpliciter* factam fuisse, literæ revocatoriæ, denotaverint, ipsa revocatio locum non habebit. Alias enim incommoda multa sequerentur. Et quilibet de Privilegio suo

A) Nempe *personæ suæ*; non autem *Communitati*, cujus membrum est; aut *Dignitati*, quam gerit, concesso. Huic enim renunciare nequit. Vid. *Tyroc. Jur. Ung. hic.* §. 18.

B) Qui tacet, consentire videtur *Reg. 43. in 6*

C) Integre, vel in parte. Debet autem super *abrogatione*, vel *derogatione* prioris Privilegii, in posteriori contineri expressa mentio. *cap. 1. & 6. de Rescript.* Secus enim, posterius censebitur ema natum ad siniſtram informationem.

D) Hic Juris § intelligi non debet de Donationibus Regiis, & Palatinalibus, quibus sen. *tit* 37. *p.* 1. nec ipse Princeps refragari valet; sed de aliis Privilegiis, hoc titulo recensitis. *Com. Syst. hic.*

ſuo dietim deſperare cogeretur. Et hæc de Privilegiis dicta ſufficiant. A)

Quid ſit Sigillum deſcriptive? Et quod duplex ſit Sigillum?

TITULUS 13.

VErum, quia omnia Privilegia Sigillis roborari, communirique ſolent; ideo ſuper Sigillis quoque in hac parte aliquid dicendum convenit.

§. 1. UBI ſciendum, quod Sigillum eſt *notorium ſignum auro, vel alteri metallo, velceræ impreſſum, corroborans omne factum.*

§. 2. ET DUPLEX EST SIGILLUM, ſcilicet *authenticum*, & *non authenticum.* AUTHENTICUM dicitur; quaſi authoritatem tenens, cui credi debeat: Et eſt proprie Principum, B) ac Ordinariorum Judicum Regni, nec non Capitulorum, & Conventuum. Et hujusmodi

Werbőcz. illuſtr. T Si-

A) Plures modos, quibus Privilegia ceſſant; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. hic. §. 28. & ſeqq.*

B) Et quidem Princeps noſter variis utitur Sigillis: Nempe *Bulla aurea*, quæ eſt Sigillum auro impreſſum: *Duplici*, quod eſt cera utrinque impreſſum, & Privilegiis appendi ſolitum. Utriusque autem hujus Taxa eſt duplex *a.* 73. 1609. Et aſſervatur utrumque apud D. Archi-Epiſcopum Strigon. velut ſummum Cancellarium, & Secretarium. Item *Secreto*, quo utitur in novo Judicio extradando. a. 73. 1609. præcipuisque aliis negotiis *Judiciali*, quod D. Perſonalis apud ſe habet, & ſub eo expedit *Ulad. Decr. 6. a. 4.* Demum *Annulari*, quod Rex pro privato ſuo uſu conſervat.

Sigillum authenticum, literis appositum, confirmat A) omne factum, in ipsis literis expressum, atque declaratum.

§. 3. HABENT præterea etiam Civitates, & Oppida Sigilla authentica per Reges, & Principes ipsis concessa: Quæ in factis, & rebus coram eis, & in medio eorum vertentibus, ac *emergendis*, robur sortiuntur firmitatis.

§. 4. NON Authentica vero sunt, privatarum personarum Sigilla: Et talia nihil perpetuitatis sub se continere possunt.

§. 5. Quorum multa sunt genera: Alia enim sunt Dominorum Prælatorum, nec non Comitum Perpetuorum, & aliorum Baronum, officia Baronatuum pro honore tenentium: Et alia ab eisdem Baronibus propagatorum: Alia vero Nobilium, & Procerum Regni, veris, & peculiaribus *armorum insignibus* exsculpta, effigiata. B)

§. 6. Sciendum tamen, quod Prælati, ut Archi-Episcopi, & Episcopi: Nec non Prior Auranæ: ac Comites Liberi, & Perpetui D) Regni: Etiam Rasciæ Despotus; per literas eorum proprias, & notoriis Sigillis ipsorum robora-

A) De hoc Vid. *Tyroc. Juris. Ung. ad h. t.* §. 8.

B) Horum Sigilla *nihil perpetuitatis in se continere possunt*; respectu scilicet Authenticorum: Nam alias faciunt firmitatem, etiam in Judicio, sensu *a.* 52. *§. literæ etiam. An.* 1655.

C) Non tamen Titulares. *Com. Syst. hic.*

D) Scilicet *Posonienſis*, & *Temesienſis*, non tamen alii. *Com. Syst. hic.* Et sic decisum etiam in Octavis Anni 1700.

ratas, *Procuratores constituendi* A) *facultatem habent.*

§. 7. Cæteri autem Barones, & Magnates, atque Nobiles, coram ipsis Judicibus Regni Ordinariis, ac in Locis Testimonialibus, Capitulis scilicet, & Conventibus; & Procuratores constituere, & aliás Fassiones (ut verbo domestico utar) facere tenentur.

§. 8. Judices siquidem Regni Ordinarii, ac ipsa Loca Testimonialia, Sigilla authentica habentes, & habentia; sub eorum Sigillis tam Procuratores constituendi, quam etiam cunctas alias Fassiones (rite tamen, & legitime) faciendi habent authoritatem. B)

Quorum Regum Privilegia serventur, & quorum non?

TITULUS 14.

ITEM, habita jam Privilegiorum, & Sigillorum declaratione, necesse est videre, quorum Regum, & Principum hujus Regni Privilegia observentur, & quorum in Judiciis rejiciantur, nulliusque vigoris, & firmitatis esse censeantur.

§. 1. UBI SCIENDUM, quod universæ literæ Sanctissimorum STEPHANI, & LADISLAI Regum: Præterea Sereniſſimorum Primi ANDREÆ genitoris SALAMONIS, nec non Primi

A) Non tamen Fassiones perennales excipiendi, aut Testamenta authenticandi, &c.

B) Conf. art. 41. 1723.

BELÆ Patris; & Primi GEYZÆ, fratris ipsius Beati LADISLAI Regis, ac COLOMANI, filii dicti GEYZÆ: Qui primus Episcopus Waradiensis fuit, a) sed per dispensationem Apostolicam, deficiente hærede Regio, Regni gubernacula suscepit. Et ideo Hungarico idomate: *Könyves Kálmány*, in hunc usque diem appellatur.

§. 2. ITEM, STEPHANI secundi filii ejusdem COLOMANI.

§. 3. Atque secundi BELÆ, qui *Cæcus* appellatus, est, filii videlicet Ducis Almi.

§. 4. Et GEYZÆ, æque secundi, filii ejusdem BELÆ Cæci.

§. 5. Nec non tertii STEPHANI, filii ipsius secundi GEYZÆ.

§. 6. DEMUM BELÆ tertii, ejusdem GEYZÆ secundi filii, fratris scilicet præfati tertii STEPHANI. Et hic est ille BELA, qui fures, & latrones persequutus est, atque de Regno extirpavit.

§. 7. TANDEM EMERICI, filii ejusdem tertii BELÆ *Regum* (qui quidem EMERICUS Ecclesiam Waradiensem, certis Donationibus decorasse pariter, & ampliasse perhibetur) *literæ servantur.*

§. 8. Et secundum aliquos, iste EMERICUS alio, quasi corrupto vocabulo, HEINRICUS appel-

a) Negat Turóczi, *in Ungaria sua, Compendio data, pag.* 145. Colomanum, unquam Ecclesiæ Waradinensi præfuisse: Idque non improbabiliter.

pellatur, atque scribitur: Non tamen Hungarorum, sed Germanorum potius usu sic intitulatur.

§. 9. Nec erat necessarium, nomina Regum istorum connumerare, sed poterat hæc commemoratio brevius perstringi, pariter & annotari. Ex quo tamen Nobiles Regni Hungariæ, super eorum Nobilitate, simul, & libertate, pauca admodum Privilegia temporibus horum Regum (qui potius incremento Ecclesiarum DEI, & populo Christiano hoc in Regno quasi noviter plantato curam salutis impendere studuerunt (condonata habent; & alias certi fuerunt Principes, inter hos pro Regibus nominati, quorum literæ in irritum transiere; puta; PETRUS Theutonus: ABA Hungarus: SALOMON filius Primi ANDREÆ: & STEPHANUS quartus, filius dicti Regis BELÆ Cæci, qui quinque duntaxat mensibus corona, sceprroque potitus, de Regno turpiter fuit expulsus: Nec non LADISLAUS tertius, filius prælibati EMERICI, sive HEINRICI, qui sex solummodo mensibus regnavit; propterea ut nomina pariter, & Privilegia Regum ipsorum lucidius agnosci queant, ea prolixe posui.

§. 10. ULTERIUS advertendum; quod infra scriptorum quoque Regum; & Principum literæ, ac Privilegia in quovis facto, & negotio observentur. Sed eorum nomina seorsim propterea notavi; quoniam tempore hujus glorioſi Principis secundi ANDREÆ filii (ut prænotatum est) tertii BELÆ Regis, qui *primus erit in ordine Regum subsequentium*; laudabilis, præclaraque

libertatis prærogativa Nobilium (qua generaliter usque modo fungimur, & gaudemus) in scriptis declarata, per modumque Decreti, & Constitutionis generalis roborata extitit.

§. 11. Quamvis autem regnante Sanctissimo ipso Proto-Rege Nostro STEPHANO, & aliorum quoque succedentium Regum temporibus multi fuerunt in hoc Regno Nobiles; *conditionaria tamen quadam servitute*, A) collectarumque *ex parte colonorum* B) suorum solutione, *Regibus ipsis obnoxii erant*, atque tenebantur: A qua primum per hunc ANDREAM Regem ipsi Nobiles, qui eo tunc *Servientes* C) dicebantur, exempti fuerunt, atque immunes.

§. 12. Et propterea cuncti Reges usque in præsens tempus D) sibi succedentes, sacro (sicuti prænarratum est) priusquam Diademate coronarentur, super observando Decreto, E) ac Constitutionibus ejusdem Domini ANDREÆ Regis; Prælatis, ac Baronibus, & Magnatibus, Proceribusque, & Nobilibus Regni hujus, juramentum præstare consueverunt.

§. 13. Hujus ANDREÆ REGIS Privilegium in monte *Thábor* (ubi Dominus, & Salva-

A) Id est: Conditioni seu statui Nobilitari convenientibus obsequiis, & servitiis.
B) Non vero ex parte Personarum suarum, aut Fundorum Nobilitarium
C) Servientes Regis, ac velut ejusdem Aulæ familiares.
D) Observatur id etiam hodie: ut videre est a. 2. 1715.
E) Excepta clausula: *Quodsi vero nos*, &c. a. 31. Andr. II. cujus declarationem Vid. a. 4. 1687.

vator noſter transfiguratus fuerat) ſuper quadam poſſeſſionaria collatione emanatum, & confectum, in Comitatu Honthenſi habetur hac etiam tempeſtate.

§. 14. Ad proſecutionem itaque cœptæ materiæ redeundo; prænotati ſecundi ANDREÆ: Nec non quarti BELÆ, ejusdem ANDREÆ filii, cujus tempeſtate Hungaria per Tartaros devaſtata fuit.

§. 15. Præterea quinti STEPHANI, filii ipſius quarti BELÆ, demptis literis tempore Ducatus ejusdem STEPHANI (qui ſe *Juniorem Regem Hungariæ, & Ducem Tranſylvanienſem* tunc intitulare ſolebat, confectis, & emanatis: Nam tales literæ ſuæ non ſervantur, niſi forſitan ipſo poſtea Regni gubernacula juſte ſuſcipiente, pariter & poſſidente, per eum fuiſſent confirmatæ.

§. 16. ITEM, quarti LADISLAI, filii ipſius quinti STEPHANI, qui *Kún Láſzló* nominatus extitit; *Regum Privilegia valent, & obſervantur.*

§. 17. ITEM, literæ tertii ANDREÆ Regis, qui *Venetus* cognominatus eſt, non ſervantur: Exceptis illis, ſi quæ per Dominum CAROLUM Regem, immediatum ſuum Succeſſorem, annulari ſigillo ſuo, in cera rubea (in qua habetur litera K. a) circa imaginem a parte dextera)

a) Id eſt: *Karolus*, ita enim tunc ſcribebatur: ut patet ex vetuſtis Diplomatibus.

pro signo confirmationis appositio, fuissent confirmatæ; nam tales observantur.

§. 18. ITEM, Rex CAROLUS tria Sigilla habuit, quorum duo priora per eundem fuerunt revocata, & Privilegia sub illis emanata, non servantur, nisi per tertium posterius fuissent roborata. Quod quidem tertium si agnoscitur; ut ex duabus partibus clypei, in area Sigilli exsculpti (in quo videlicet clypeo duplicata crux continetur) sint duæ figuræ draconis.

§. 19. ITEM, LUDOVICUS Rex ipsius CAROLI filius duo Sigilla habuit, quorum *primum* in partibus *Wzuræ* A) deperditum, & Reverendissimo Domino Nicolao Archi-Episcopo Strigoniensi, Cancellario suo, subtractum; non tenetur, nisi per *secundum novum* fuissent literæ sub priori sigillo editæ, postea confirmatæ. Sub quo novo Sigillo tam literæ ejusdem Regis LUDOVICI, sub ipso priori Sigillo suo confectæ, quam etiam prædictæ Domini CAROLI Regis, Patris sui sub duobus prioribus Sigillis cassatis, annullatis, emanatæ; per appensionem ejusdem novi, seu *secundi Sigilli* fuerunt tandem confirmatæ: B) Et tales ubilibet servantur.

§. 20. Breviter itaque Privilegia ipsius Domini LUDOVICI Regis, ab Anno Domini *trecentesimo sexagesimo quarto supra millesimum*, usu-

A) Aut, ut quidam scribunt; *Usuræ*, i. e. Bosniæ. Vid. *Bonf. Deca. 2. lib. 10. pag. 348.*

B) Exemplum talis Confirmationis habes in Corpore Juris, præmissum Decretis hujus Ludovici: Quod hic subnexo correspondet.

usque ad obitum suum, videlicet Annum Salutis *millesimum trecentesimum octuagesimum secundum* confecta, robur sortiuntur firmitatis. Sed priora non valent, nisi fuissent modo antelato postea confirmata.

§. 21. Quæ ut lucidius intelligantur, clausulam per eundem LUDOVICUM Regem ad confirmandas tales literas suas apponi solitam & per me ex ejuscemodi literis suis confirmatis, quarum plures in specie vidi, atque perlegi, exceptam, verbotenus interserendam statui, quæ sic incipit

§. 22. „ AD PERPETUAM REI MEMORIAM, „ Nos LUDOVICUS *Rex præfatus, universis* „ *declaramus; quod, ubi in Regno nostro* „ *BOSNIÆ*, innumerabilis multitudo hæ„ reticorum, & Patarenorum pululasset, in „ errorem Fidei Orthodoxæ, ad extirpandos „ quoque de ipso Regno nostro eosdem, ex una „ parte Nos personaliter instaurato valido exer„ citu proficiscebamur: Ex alia vero parte Ve„ nerabilem in Christo Patrem, Dominum„ Nicolaum Archi-Episcopum Strigoniensem „ nostrum Cancellarium (penes quem utrum„ que par Sigilli nostri authentici habebatur) „ & Virum Magnificum, Dominum Nicolaum „ Palatinum, cum cæteris Prælatis, Baronibus, „ & Regni nostri Proceribus *Wzuram* a) desti„ naramus: Quidam familiares ipsius Domini „ Archi-Episcopi, pro custodia deputati, utrum-

a) Aliqua exemplaria habent: *in Usuram*

„ que par dicti Sigilli noſtri authentici, præ-
„ concepta malitia ſubtraxerunt.

§. 23. „ Nos itaque præcaventes, ne ex hu-
„ jusmodi Sigilli noſtri deperditione, Regnicolis,
„ noſtris in eorum Juribus ſucceſſive periculum
„ poſſit imminere; *Sigillum novum* in duobus
„ paribus fecimus pro nobis ſculpi, quod omnia
„ ad Privilegia noſtra, & quondam Domini
„ CAROLI Regis, Patris noſtri, ſub priori Si-
„ gillo ejusdem, tempore ſuæ Coronationis
„ ſculpto, & demum per eundem (eo, quod
„ ſub ipſo plurimæ infidelitates perpetratæ ex-
„ titerant) permactato, ac ſub alio Sigillo ipſius,
„ in partibus Transalpinis caſualiter deperdito,
„ confecta, juxta dicta tria Sigilla decrevimus
„ fore apponendum.

§. 24. „ Ad quæcunque vero Privilegia pa-
„ terna, dictis duobus prioribus Sigillis ſuis
„ conſignata, quæ per eundem Patrem no-
„ ſtrum per Sigilla ejusdem poſteriora, vel per
„ Nos, cum Sigillo, modo præmiſſo, deperdito,
„ confirmata non haberentur; & ad ipſa Privi-
„ legia ipſum *novum Sigillum noſtrum* non ap-
„ penderetur; vel quæcunque patent literæ
„ non confirmarentur: ea Privilegia, & literæ,
„ ſicut per eundem Patrem noſtrum fuerunt
„ revocatæ, & annullatæ; ſic & nos ipſas, ſeu
„ ipſa, commiſimus viribus caritura, nullam
„ quoque roboris obtentura firmitatem.

§. 25. „ Inter quæ præſens Privilegium no-
„ ſtrum omni prorſus ſuſpicione deſtitutum,

„ &

„ & omnia in eo ſuperius contenta, & expreſſa,
„ pro eodem T. ſuisque hæredibus, & ſucceſſo-
„ ribus, dicti Sigilli noſtri novi, duplicis, &
„ authentici appenſione, renovavimus, & per-
„ petuo confirmavimus. Datum per manus
„ ejusdem Domini Nicolai Archi-Epiſcopi, Can-
„ cellarii noſtri, decimo Calendas menſis T.
„ Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexage-
„ ſimo quarto, Regni autem *noſtri anno vige-*
„ *ſimo tertio.* A)

§. 26. ITEM, LITERÆ DOMINI SIGISMUNDI REGIS, & IMPERATORIS, ante annum Domini *milleſimum quadringenteſimum ſextum* emanatæ, non ſervantur, exeo; quod quidem SIGISMUNDUS Rex, de Conſilio Dominorum Prælatorum, & Baronum, Regnique ſui Nobilium, per modum generalis Decreti ſanxerat, ut a Feſto B. Georgii Martyris in Anno Domini *quadringenteſimo quinto ſupra milleſimum*, uſque ad aliud Feſtum ipſius B. Georgii Martyris, in prætacto Anno gratiæ, *milleſimo quadringenteſimo ſexto* tunc venturum, jam vero tranſactum, univerſæ literæ Donationales, & aliæ Privilegiales præfati quondam Domini LUDOVICI Regis ſub ipſius *ſecreto* duntaxat *Sigillo* emanatæ, ac Dominarum ELISABETH relictæ, & MARIÆ filiæ ejusdem Lu-

A) Obſervat *Com. Syſt. adh. 1.* quod Privilegia Regum (non tamen Gabrielis Deák de Zömlény) hoc Titulo denotata, vim, & firmitatem Privilegii non habentia, quamvis in Jure quoad ſui validitatem nullum effectum ſortiantur; ad probandum nihilominus factum in iis declaratum, vim Teſtimonii habeant.

LUDOVICI Regis Hungariæ, scilicet Reginarum necnon ipsius SIGISMUNDI Regis, ante illa tempora qualitercunque confecta, ad confirmationem importarentur, alioquin inefficaces, viribusque per omnia destitutæ relinquerentur.

§. 27. Post hæc autem tempora, literæ ejusdem Domini SIGISMUNDI Regis, & Imperatoris, usque in diem obitus sui, *Annum* videlicet gratiæ *quadringentesimum tricesimum septimum supra millesimum* editæ, semper valent, & observantur.

§. 28. Ut autem hujus rei notitia pro tollendo dubio cunctis pateat; formam, ac continentiam quarundam literarum Donationalium ejusdem Domini SIGISMUNDI Regis super præmissis confectarum, & in Judicio contradictorio dudum productarum, sensu in nulla parte mutato adjeci, hujusmodi sub tenore. A)

§. 29. „ Nos SIGISMUNDUS *DEI gratia* „ *Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c.* „ *Marchioque Brandenburg.* &c. *Sacri Ro-* „ *mani Imperii Vicarius Generalis, & Regni* „ *Bohemiæ Gubernator*, memoriæ commenda- „ mus per præsentes; quod cum Nos Prælato- „ rum, & Baronum, ac Regni nostri Proce- „ rum, sana deliberatione exinde subsequuta, „ pro bono, utili, & tranquillo statu, Regnico- „ larum nostrorum, omnes, & singulas literas, „ quondam Excellentissimi Principis, Domini „ Lu-

A) Hæ eædem Donationales habentur in Corpore Juris, ante Decreta Sigismundi.

„ LUDOVICI Dei gatia Inclyti Regis Hungariæ,
„ Patris, & Soceri noſtri chariſſimi, ſub ipſius
„ ſecreto Sigillo tantummodo; ac illuſtriſſima-
„ rum Principum, Dominarum ELISABETH Ma-
„ tris; & MARIÆ conthoralis, noſtrarum cha-
„ riſſimarum, Reginarum dicti Regni Hunga-
„ riæ, felicium recordationum; nec non No-
„ ſtras, ſub ipſarum, atque ſimiliter noſtris, tam
„ majoribus, quam minoribus Sigillis, ſuper
„ factis quibusvis, & præſertim poſſeſſionariis,
„ confectas, & emanatas, quibuscunque perſo-
„ nis, dignitate quavis fungentibus, ad to len-
„ dum omne dubium, removendum ſcandalum,
„ & ad evitandam ulta, atque varia incommoda,
„ quæ propter Sigillorum ipſarum Dominarum,
„ atque Noſtrorum deperditionem, ac Noſtri
„ majoris, videlicet duplicis, ex cauſis, & ra-
„ tionibus legitimis confractionem, multorum
„ Juribus, & præſertim poſſeſſionariis, uti po-
„ tuiſſent, derogare; a Feſto Beati Georgii
„ Martyris, in Anno Domini milleſimo quadrin-
„ genteſimo quinto proxime præterito, uſque
„ ad annualem ejusdem revolutionem, ſub pœ-
„ na revocationis, annullationis, & caſſationis
„ earundem (ſi non producerentur) per Nos
„ videndæ, & examinandæ, & ſi opus fuiſſet,
„ ſub præſenti moderno novo noſtro authen-
„ tico duplici Sigillo confirmandæ, & appro-
„ bandæ; Noſtræ Claritati exhibendas decre-
„ viſſemus, & præſentandas: Tandemque ela-
„ pſo hujusmodi Decreti, & Statuti noſtri ter-

„ mi-

„ mino, pro examinandis, & relegendis hujus-
„ modi literis coram nobis productis, vel non
„ productis, per Nosque, cum præscripto nostro
„ moderno majori duplici Sigillo confirmatis,
„ & non confirmatis, in singulis dicti Regni
„ nostri Comitatibus, per Comites Nostros
„ Provinciales, Congregationes jussimus cele-
„ brari generales.

§. 30. „ Demum, quia T. & T. Nobiles,
„ Comitatus T. literas suas super Donatione
„ portionis possessionariæ, in possessione. T.
„ vocata, in Comitatu. T. prædicto, existente
„ habita, dudum per nostram Majestatem, dic-
„ to. T. & filio. T. patri ipsorum, & per conse-
„ quens eisdem T. & T. ipsorumque hæredi-
„ bus facta, Confirmationales, coram Nobis,
„ seu homine nostro, in Nostra personali præ-
„ sentia ad id specialiter deputato, nec non ju-
„ ratis Assessoribus hujusmodi Congregationis
„ generalis, prædicti Comitatus T. producere
„ nequierunt, seu non potuerunt; ideo Nos,
„ præmisso nostro Decreto, juxta vigorem ejus
„ dem satisfacere volentes, ipsumque robur per-
„ petuæ firmitatis obtinere volentes, præmissas
„ literas Donationales pro annotatis. T. filio T.
„ & per consequens ipsis. T. & T. ipsorumque
„ hæredibus, super Donatione dictæ portionis
„ possessionariæ, per Nos modo, quo supra, da-
„ tas, per ipsosque præscripto authentico du-
„ plici nostro Sigillo confirmare non procuratas,
„ seriatim, & verbotenus revocantes, cassan-

„ tes,

„ tes, ac suis viribus prorsus carituras decer-
„ nentes, & relinquentes, eandem, portionem
„ possessionariam rursum nostris Regiis mani-
„ bus annectentes, memoratis. T. & T. ac
„ ipsorum hæredibus, & posteritatibus univer-
„ sis, occasione, & prætextu præscriptæ por-
„ tionis possessionariæ, in dicta possessione T.
„ existentibus, ac cunctis earundem utilitatum,
„ & pertinentiarum, perpetuum, & irrevoca-
„ bile silentium imponendum duximus, & im-
„ ponimus per præsentes.

§. 31. „ Nos siquidem, qui ex suscepto Re-
„ giæ Dignitatis officio, fidelium nostrorum
„ actus virtuosos, & merita (prout Regalem
„ decet Dignitatem) æquo libramine ponde-
„ rantes, unicuique juxta meritorum qualita-
„ tem, Regio favore occurrere debemus, con-
„ sideratis, & in memoriam nostræ Celsitudinis
„ revocatis, fidelitatis, & fidelium servitiorum
„ præclaris meritis, virtuosis gestis, & acceptis
„ complacentiis fidelium nostrorum dilectorum
„ Magnificorum Virorum T. & T. filiorum quon-
„ dam T. quibus iisdem, Nobis, & sacræ nostræ
„ Coronæ Regiæ, sub diversitate locorum, &
„ temporum, cum omni sinceritatis zelo, fide-
„ litatis fervore, devotionis constantia & soli-
„ citudine continua, labores in personis sub-
„ euntes, & expensas in rebus, cum adjectione
„ laudabilium operum, se studuerunt coram
„ oculis Nostræ Majestatis reddere gratos, uti-
„ que & acceptos.

§. 32. „ Volentes ob hoc eisdem pro præ-
„ missis ipsorum fidelium obsequiorum meritis
„ ad præsens aliquid nostro Regio favore occur-
„ rere; eandem portionem nostram Regiam
„ possessionariam, in dicta possessione T. voca-
„ ta, in antefato Comitatu T. existente habi-
„ tam, simul cum universis suis utilitatibus, &
„ pertinentiis, videlicet; terris arabilibus, cul-
„ tis, & incultis, pratis, fœnilibus, silvis, ne-
„ moribus, aquis, piscinis, molendinis, aqua-
„ rumque decursibus, montibus, vineis, &
„ genaraliter quibuslibet ejusdem portionis pos-
„ sessionariæ utilitatum integritatibus, quovis
„ nominis vocabulo vocitatis, sub eisdem veris
„ metis, & antiquis limitibus, quibus ea iem
„ per suos possessores rite tentata fuisset, & possessa,
„ memoratis T. & T. & per ipsos eorum hæ-
„ redibus, & posteritatibus universis ex certa
„ nostra scientia, ac Prælatorum, & Baronum
„ nostrorum consilio, de manibus nostris Regiis,
„ novæque nostræ Donationis titulo, & omni
„ eo Jure, quo prædicta portio possessionaria,
„ in prætacta T. habita, tam prævia, quam aliis
„ quibuscunque rationibus, seu de causis ad
„ nostram legitime spectat collationem; dedi-
„ mus, donavimus, contulimus: Imo damus,
„ donamus, & conferimus, perpetuo, & irre-
„ vocabiliter possidendam, tenendam, pariter
„ & habendam: *Salvo Jure alieno:* Assumen-
„ tes nostro, & nostrorum Successorum, Re-
„ gum scilicet Hungariæ, nominibus, & per-

„ so-

„ sonis, prælibatos T. & T. ipsorumque hæredes,
„ & quoslibet successores in pacifico Dominio,
„ & quieto, prædictæ portionis possessionariæ,
„ & quibuslibet ejus utilitatum, & pertinen-
„ tiarum præscriptarum, contra quoslibet Im-
„ petitores, Causidicos, & Actores, intra, vel
„ extra Judicium, semper, & ubique propriis
„ nostris, & eorundem nostrorum Successorum
„ laboribus, & expensis, indemnes, & illæsos
„ protegere, expedire, ac conservare, harum
„ nostrarum vigore, & *testimonio literarum*
„ *mediante. Quas, dum Nobis in specie re-*
„ *portatæ fuerint, in formam nostri Privilegii*
„ *redigi faciemus. Datum*, &c. *Anno Do-*
„ *mini millesimo quadringentesimo decimo.*

§. 33. ITEM, literæ Domini ALBERTI Regis, Successoris immediati dicti Domini SIGISMUNDI Imperatoris, valent, & servantur.

§. 34. ITEM, omnes Donationes, & aliæ quælibet concessiones quondam Dominæ ELISABETH, filiæ ipsius Domini SIGISMUNDI Regis, Relictæ scilicet dicti quondam ALBERTI Regis: Nec non Domini ULADISLAI Poloni (qui non vera, sacraque Regni hujus Corona, sed Reliquiarum Capitis S. STEPHANI Regis ornamento insignitus fuerat) quique in partibus *Romaniæ*, juxta oppidum *Warnæ*, marina prope ad littora, per AMURATEM TURCARUM Cæsarem, circa Festum B. Martini Episcopi, & Confessoris, in anno gratiæ quadringentesimo quadragesimo quarto supra millesimum debellatus occubuit; pro quorum-

cunque parte, & quibuscunque ac quavis ratione, vel titulo factæ; per omnia cassatæ, revocatæ, & viribus destitutæ sunt. Quæ nunquam tenentur; excepta duntaxat Donatione ac Eleemosynaria largitione, per ipsam Dominam ELISABETH Ecclesiæ Albensis Regalis facta.

§. 35. ITEM, literæ Dominorum Prælatorum, Baronum, Procerumque Nobilium Regni Hungariæ universorum, sub eorum Sigillo in quo duplicata crux, ad instar Signeti gentis Hungaricæ continetur, emanatæ, in quantum processus juridicos, nec non Fassiones, Judiciaque concernunt; veluti literæ unius Judicis Ordinarii observantur. Quantum vero ad Donationes, annuentias, vel consensuum adhibitiones; nihil valent: Prout ex tenore Privilegii ipsorum, in civitate Pesthiensi, secundo die Festi Ascensionis Domini, quæ septima die Maji fuit, in anno ejusdemquadringentesimo quadragesimo quinto supra millesimum, inter cætera super ea re editi claresçit, quod (quia multa continet in se capitula, pluresque complectitur articulos, proposito nostro non correspondentes) verbotenus inserere tædiosum existimavi. Super ipsius tamen Sigilli sculptura, & virtute, articulum in eisdem literis positum, sub eadem forma verborum, qua ibi scriptum vidi, atque legi, hic annectere curavi, qui sic sequitur. A

§. 36.

A) Articulus iste refertur etiam in Corpore Juris immediate ante Decreta Ladislai posthumi.

§. 36. ITEM, *quod ex nunc disponatur unum Sigillum, in quo sit signetum crucis, sicut signum Regni Hungariæ, & illud Sigillum servetur in civitate Budensi, ut querulantes habeant sub ipso Sigillo literas necessarias, & commemoriales, & procedatur Justitia mediante, secundum quod decet, usque ad Coronationem Regis.* Ecce clare describitur, illud Sigilium ad Judicia solummodo celebranda, Justitiamque ministrandam fuisse institutum, atque fabricatum.

§. 37. Clausulam autem extremam ipsius articuli, super Sigillo prætacto conscripti (videlicet; *usque ad Coronationem Regis*) noli accipere, neque interpretari; quod tunc in proximo novus quispiam Rex debuisset coronari: Nam illustris Princeps LADISLAUS, filius dicti quondam ALBERTI Regis, dudum prius in anno scilicet Dominicæ Incarnationis quadringentesimo quadragesimo supra millesimum coronatus fuerat: Sed intelligenda est per clausulam illam; jurisdictionis sacræ Coronæ Regni, ac plenariæ potestatis Regiæ, quam tunc, puerulus iste existens, regere, & gubernare non poterat, inmanus, & authoritatem ipsius Domini LADISLAI Regis, perfecta in proximo assignatio.

§. 38. Post obitum autem prælibati Domini LADISLAI Poloniæ Regis, usque ad electionem JOANNIS de Hunyad in Gubernatorem Regni hujus Hungariæ; *Nicolaus de Wylak*, a)

a) Sive *Ujlak*, in Syrmio, supra Petrovaradinum,

alias Wayvoda Transylvanus, in *Capitaneum* ejusdem *Regni* deputatus erat, & proinde *Vicarium* quoque *Regni Hungariæ* intitulari se faciebat. A)

§. 39. ITEM, universæ Donationes, & Literæ Donationales ipsius Domini *Joannis de Hunyad Gubernatoris*, gubernaminis sui duntaxat officio durante, & non prius, neque posterius, *usque ad numerum triginta duarum Sessionum Jobagionalium*, sed non amplius, factæ, & confectæ observantur.

§. 40. UNDE infertur, quod quælibet Donationes, ac annuentiæ, & consensuum adhibitiones per eundem JOANNEM Gubernatorem, ultra numerum prætactarum triginta duarum Sessionum Jobagionalium cuipiam factæ, vel collatæ, non valent, neque tenent.

§. 41. ITEM, consensuum quoque super quovis contractu, vel alio negotio per eundem adhibitiones, post exitum suæ gubernationis (quia tales omnes conditionales fuerunt) locum non habent. Exempli gratia; si cuipiam annuisset, ut decedente, & hæredibus deficiente tali Nobili, bona sua in talem hominem devolvantur: Si hujusmodi annuentia, vel consensus, numerumpræscriptarum triginta duarum Sessionum Jobagionalium non excessisset, & ille Nobilis, stante adhuc gubernaminis sui officio, de-

te-

A) Et hujus Privilegia, si quæ tamen elargitus erat, velut authoritate ad hoc sufficiente destituti, utique non servantur.

feciſſet; tunc talis conſenſus rite locum habiſſet: ſed ſi in præſentiarum deficeret, regnante vero, & legitimo Jam Rege, locumque non haberet: Quia Gubernator ipſe metas authoritatis ſibi traditæ tranſcendere nequivit; Authoritas autem ſibi ad ulteritora, majoraque data non fuit, neque dari commode potuit: Ex quo præfatus Dominus LADISLAUS, ALBERTI Regis filius, licet teneræ adhuc ætatis, dudum tamen (ut præfertur) coronatus, ad quem plenaria jurisdictio ſacræ coronæ ſpectabat, tunc in humanis agebat.

§. 42. Et ne quispiam aliter ſentiat, & temerarie contrarium objiciat; articulos ſuper authoritate in conferendis bonis, ac Juribus poſſeſſionariis, prædicto Gubernatori data, & attributa, confectos, & ex ſerie literarum prænotatorum Dominorum, Prælatorum, Baronum, Nobiliumque, & Procerum Regni Hungariæ univerſorum, Budæ in Feſto Annunciationis Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, anno Virginei partus ejusdem quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo ſupra milleſimum, editarum, & confectarum, & articulos quoque in generali eorum Congregatione in civitate Peſthienſi circa Feſtum Pentecoſtes tunc proxime (in anno videlicet Salutis quadringenteſimo quadrageſimo ſexto ſupra milleſimum) præteritum, quando nimirum idem JOANNES Hunyadinus in Gubernatorem Regni electus, & ſublimatus fuerat, decretatos, atque formatos, in ſe ſeriatim con-

tinentium, per Me verbotenus excerptos, absque omni variatione, pro tollenda omni in hac parte ambiguitate, appoſui, atque adjunxi. Qui quidem articuli (dimiſſis aliis ipſarum literarum continentiis) hujusmodi verborum ſequuntur ſub tenore. A) „ ITEM, ipſe Dominus Guber- „ nator, his, qui fideliter ſacræ Regni Coronæ „ ſerviverint, de illis poſſeſſionibus, quæ deinde „ ad ſacram Coronam, pure, legitimeque, ſine „ cujuspiam alterius Jure, per defectum ſemi- „ nis: ITEM, propter delationem falſarum lite- „ rarum: propter cuſionem falſarum moneta- „ rum, B) & fabricationem falſi Sigilli: Nec „ non propter inductionem extraneæ potentiæ „ in hoc Regnum, ac poſitionem ignis, in eo- „ dem; fuerint devolutæ, in quibus ſcilicet „ poſſeſſionibus *triginta duæ Seſſiones* C) & non „ plures fuerint, vel fieri poterint; & etiam in „ quibus infra eundem numerum triginta dua- „ rum Seſſionum fuerint, vel fieri poterunt; „ facere valeat Donationes.

§. 43. „ Si vero civitates, oppida, & poſ- „ ſeſſiones ultra numerum præſcriptarum tri- „ ginta duarum Seſſionum, etiam præſcriptis „ modis ad ſacram Coronam fuerint devolutæ; „ illas partiri; ſeu dividere, in triginta duas „ Seſſiones non valeat, & ſub nomine triginta „ duarum Seſſionum de illis facere cuipiam Do- „ na-

A) Habetur etiam iſtud Decretum in Corpore Juris ante Decreta Ladislai poſthumi. B) p. 1. t. 14.
C) Conf. a. 33. 1715. & a. 4. 1723.

„ nationem; ſed hujusmodi omnes civitates
„ oppida, & poſſeſſiones indiviſæ, ipſi Coronæ
„ reſerventur.

§. 44. „ ITEM, Dominus Gubernator, ſi
„ cui Donationem præmiſſo modo ſemel fecerit;
„ amplius eidem donare non valeat: Et cum
„ Donationes caſtrorum, civitatum, oppido-
„ rum, ac poſſeſſionum, & ſimilium, ad Jus
„ Regium duntaxat ſpectare dignoſcantur; igi-
„ tur ipſi, quibuscunque Donationem fecerit,
„ tempore ſuo teneantur accedere ad Domi-
„ num Regem, pro confirmatione obtinenda.

§. 45. „ ITEM, poſſeſſiones eorundem,
„ quorum propter delationem falſarum litera-
„ rum, aut cuſionem falſarum monetarum,
„ aut aliquo modo ſuperius expreſſo, ad Coro-
„ nam fuerint devolutæ; quouſque illi per Ju-
„ dices ſuos competentes, judicialiter, *ſecun-*
„ *dum antiquam, & approbatam Regni Con-*
„ *ſuetudinem, ſententiati non fuerint; occu-*
„ *pare, & de eis Donationem facere non va-*
„ *leant quovis modo.*„ Reliquos autem lite-
rarum ipſarum articulos, quia huic rei non
quadrant, prætermittendos duxi.

§. 46. ITEM, literæ prædicti LADISLAI filii
antefati ALBERTI Regis, ab anno Domini qua-
dringenteſimo quinquageſimo ſecundo ſupra
milleſimum, quo ipſe Gubernator officio ſui gu-
bernaminis (quod ſeptem per annos feliciter
geſſerat) ceſſit; ad obitus uſque ſui diem, an-
num, ut puta, ſalutis quadringenteſimum quin-

quageſimum ſeptimum ſupra milleſimum emanatæ; ſervantur. A) Licet ſequenti anno, ceſſionis prænotati gubernaminis, videlicet quadringenteſimo quinquageſimo tertio ſupra milleſimum, quo ipſe LADISLAUS Rex circa Feſtum Purificationis Virginis glorioſæ, *de Vienna ad Budam* reductus; bonorum collationes, conſenſuumque adhibitiones, & aliarum rerum expeditiones, facere cœpiſſe dignoſcatur. B)

§. 47. ITEM, Privilegia Invictiſſimi Principis quondam DominiMATHIÆ Regis, laudandæ recordationis, a tempore felicis ſuæ Coronationis, anno videlicet Domini quadringenteſimo ſexageſimo quarto ſupra milleſimum, in die Cœnæ Domini factæ, uſque ad mortis ipſius diem, feriam ſcilicet tertiam poſt Dominicam Palmarum, in anno Incarnationis Dominicæ quadringenteſimo nonageſimo ſupra milleſimum, præteritam, emanata ſervantur. Ante vero Coronationem ſuam confecta; non tenentur: Niſi poſtea fuiſſent per eum confirmata.

§. 48. ITEM, literæ moderni, & quidem Gratioſiſſimi Domini Noſtri ULADISLAI Regis, a die Dominico proximo, poſt Feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis, in ipſo anno gratiæ quadringenteſimo nonageſimo ſupra milleſimum transacto, die ſcilicet felicis Coronationis ſuæ, uſque mo-

A) Conf. Math. Reg. Decr. 2. a. 23.

B) De Privilegiis *Michaelis Szilágyi de Horogſzeg*, Regni Hungariæ ſub hæc tempora Gubernatoris, quid ſentiendum ſit; Vide in Compendio actorum, ejusdem Decreto præfixorum in Corp. Jur.

modo confectæ & in futurum quoque *emanandæ* rite, & legitime semper servantur.

§. 49. ITEM, quia disturbiorum temporibus, signanter vero post obitum memoratorum SIGISMUNDI Imperatoris, & ALBERTI Regis, plurimæ literæ, multaque Privilegia diversis sub coloribus, & sigillis *nequitiose*, fraudulenter, que reperiuntur *fulminata*, atque fabricata; quæ licet omnia vix in lucem prodierint, & omnia defficulter sciri, vel cognosci possint; ut tamen aliquarum inique editarum (saltem inparticulari, si non in generali) literarum notitia habeatur; copiam, seu tenorem cujusdam Privilegii præfatorum Dominorum, Prælatorum, Baronum, Nobiliumque, & Procerum Regni Hungariæ, super complurimis ejuscemodi *nequiter fulminatis literis* confecti, & in *Judicio contradictorio* etiam coram Me, cum Sigillo eorum prædeclarato producti, de verbo ad verbum apponere, inserereque dignum duxi. Cujus quidem Privilegii continentia verbalis, tenorque hoc sequitur modo.

§. 50. „ Nos Prælati, Barones, Nobiles, &
„ Proceres Regni Hungariæ universi, memoriæ
„ commendamus per præsentes; quod ortis
„ *guerris* A) in hoc Regno nostro, post mortem
„ quondam Domini ALBERTI Regis, & eis diu-
„ tius agitatis, demum DEO concedente, hu-
„ jusmodi guerris inter Nos sopitis, & in unum
„ Principem, atque Dominum, videlicet Illu-

 „ strem

A) Id est: *Bellis*, *disturbiis*.

„ ſtem Dominum LADISLAUM filium dictiquon-
„ dam Domini ALBERTI Regis, velut i Dominum
„ noſtrum naturalem, nobis ſimul concordan-
„ tibus, cum Judicia pro *mutuæ*, & *durandæ*
„ inter nos *pacis* amplexu facere, & Juſtitiam
„ oppreſſis miniſtrare inchoaſſemus, plures hinc
„ inde falſæ literæ coram Nobis, in Judiciis per
„ cauſantes exhibebantur.

§. 51. „ Cumque ſuper hujusmodi *fabri-*
„ *catione falſi*, cunctari cœpiſſemus, quen-
„ dam *Gabrielem literatum*, *de Zömlén*, a)
„ cuſorem hujuscemodi deteſtandæ peſtis com-
„ perimus. Quo pro meritis ſui ſceleris, in
„ manus ſuorum Judicum competentium inci-
„ dente, hujuscemodi ſcelus ſuum, ante mor-
„ tem ejusdem, ad puritatem ſuæ conſcientiæ
„ tum verbis, tumque ſcriptis, ſuis propriis
„ manibus confectis (quorum ſeriem, & con-
„ tinentiam, præſentibus taxandam duximus)
„ palam, publice confeſſus fuit. Quorum ſci-
„ licet ſcriptorum ſuorum ſeries, & continen-
„ tia hæc eſt:

§. 52. „ UNA litera cum Regio conſenſu;
„ litera ſcilicet quondam Domini SIGISMUNDI
„ Regis, pro parte Dominorum filiorum *Kom-*
„ *polth* emanata: Quod, ſi ſemen quondam
„ LADISLAI de *Solmos* deficeret, tunc eadem
„ *Sólmos* (& non aliæ poſſeſſiones) in ipſos
„ filios *Kompolth* reflecti deberet. Sed iſta

„ li-

a) *Zömlényi Gábor Deák.*

„ litera non fuit de scitu ipsorum Dominorum
„ filiorum *Kompolth emanata.*

§. 53. ITEM, libertas sub Sigillo Domini
„ SIGISMUNDI Regis Privilegialis, cum medio
„ capite aquilæ Civitati *Gyöngyös* facta.

§. 54. „ ITEM, duæ literæ, una videlicet
„ quondam SICISMUNDI Regis sub secreto Si-
„ gillo suo, cum medio capite aquilæ, & alia
„ litera Statutoria, sub Sigillo Capituli Buden-
„ sis, privilegialiter confectæ, super prælectio-
„ ne filiæ in filium, hic Budæ, consorti Petri
„ *Polyák* sartoris, datæ.

§. 55. „ ITEM, una litera Fassionalis sub Si-
„ gillo Capituli Agriensis, privilegialiter ad Fas-
„ sionem Dominorum quondam *Petri Episco-*
„ *pi*, & Stephani de *Rozgon*, ac Joannis,
„ filii ejusdem; pro parte Ladislai *de Széchén*
„ confecta.

§. 56. „ ITEM, una litera, super libertate
„ possessionis *Szabathka*, sub Sigillo SIGISMUN-
„ DI Regis secreto, cum medio capite aquilæ
„ facta.

§. 57. „ ITEM, literæ sub Sigillo Capituli
„ Agriensis, privilegialiter, & majori Sigillo
„ Domini SIGISMUNDI Regis patenter; super
„ possessione *Abon*, filiis *Orros* factæ, con-
„ tra Dominos *de Gara.*

§. 58. „ ITEM, una litera privilegialis, sub
„ secreto Sigillo quondam Domini SIGISMUN-
„ DI Regis, cum medio capite aquilæ, ad
„ supplicationem Dominorum, quondam La-

„ dis-

„ dislai, & Henrici filiorum Wayvodæ *Thamásy*: In eo scilicet; quod, si ipsos sine-hæredibus decedere contingeret, tunc eorum bona, „ & possessiones tam hæreditariæ, quam acquisititiæ in filios *Herczeg* condescendant.

§. 59. „ ITEM, una litera gratiosa, patenter, sub Sigillo quondam D. SIGISMUNDI „ Regis, cum medio capite, pro parte Emerici *de Debreö*: Super eo; ut idem Dominus „ Rex, capiti, & bonis gratiam fecisset specialem, confecta.

§. 60. „ ITEM, una litera, privilegialiter, „ sub Sigillo Capituli Ecclesiæ Waradienſis, „ Ecclesiæ *de Telky*, in facto *Kerepes*, est emanata.

§. 61. „ ITEM, duæ literæ; una videlicet „ Fassionalis, & alia Statutoria super impignoratione Castri *Bacha*, scilicet Domini Despoti, sub Sigillo Capituli Budensis; quondam Ladislao filio Michaelis *de Gezth* factæ.

§. 62. „ ITEM, aliæ duæ literæ Imperiales „ patentes, in pargameno, Fassionales; contra „ filios *Sulyok*, in facto possessionis *Kölöd*, eidem Ladislao filio Michaelis factæ.

§. 63. „ ITEM, Ladislao *de Majsay*, Nobili-„ Comitatus de Zaránd: Sigismundo *de Puka*, „ Nobili Comitatus de Bodrog: Ladislao *de* „ *Pachay*, & aliis *quinque civitatibus de Maromorosio*; sub Sigillo Domini ULADISLAI „ Regis sunt literæ, in eo; ut patibula in faciebus possessionum suarum erigi possint.

§. 64.

§. 64. „ ITEM, una litera, ſub Sigillo Capituli Waradinenſis, privilegialis: Et alia, „ quondam Domini ALBERTI Regis, ſimiliter „ privilegialis confirmatoria; ſuper præfectione „ filiæ in filium, Magnifico Domino Franciſco „ *de Chák* factæ.

§. 65. „ ITEM, una litera privilegialis, ſub „ Sigillo Imperiali, ſcilicet ſecreto, cum duo„ bus capitibus aquilæ, ſuper gratia quondam „ Ladislao, filio quondam Jacobi Wayvodæ „ facta, in facto omnium bonorum ſuorum „ confecta, nunc erga Georgium filium Davidis „ *Bani* habita. Et quamvis in inferiori margine „ ejusdem literæ, ſcriptura Domini Mathiæ „ Epiſcopi, alias Cancellarii, habeatur: Quia „ æſtimans commiſſionem propriam Domini „ Imperatoris, manu mea propria in ſuperiori „ margine ejusdem literæ ſcriptam fore ſuam: „ tamen eſt falſa.

§. 66. „ ITEM, duæ literæ, ſub Sigillis Ca„ pituli Agrienſis, privilegiales, Una, ſuper „ metarum erectione; alia vero ſuper ſpirituali „ adoptione fraternali, cum quondam Andræa „ *Pobárnok*; Sandrino, & Mathiæ factæ.

§. 67. „ ITEM, quibusdam Comanis; ſci„ licet Petro *Sily*, ſub Sigillo Domini Regis „ ULADISLAI: Et Matthæo *Beſeg*, ſub Sigillo „ Dominæ ELISABETH Reginæ, ſuper Liberta„ tibus privilegialiter factæ.

§. 68. „ ITEM, cuidam *Joſa*, *in Jobbágy-* „ *Szent-György* commoranti, una litera Faſ-

„ ſio-

„ sionalis, per fratres ejusdem hominis, per „ eundem Josam interfecti; quod eundem Jo„ sam expeditum commisissent: Sub Sigil o Im„ periali confecta, patenter in pargameno.

§. 69. „ ITEM, sub Sigillo Domini Regis „ ULADISLAI, super libertate, privilegialiter, „ cuidam Joanni, filio Ægidii, nunc in *Madaras* „ commoranti, litera facta est.

§. 70. „ ITEM, una litera, sub majori Si„ gillo quondam Domini SIGISMUNDI Regis, in „ pargameno, Sigillum a tergo positum habens „ super eo; quod universæ possessiones quon„ dam Ladislai, & Henrici filii Wayvodæ, scili„ cet hæreditariæ duntaxat, si semen deficeret; „ in filios *Herczeg* condescendant.

§. 71 „ ITEM, duæ literæ, una Statutoria „ sub Sigillo Capituli Budensis, & alia gratiosa „ Domini ULADISLAI Regis, super prætectione „ filiæ in filium, privilegialiter factæ; cuidam „ Dominæ, filiæ scilicet Nobilis *de Kóka*, quæ „ scilicet conjux Ladislai *de Marczonka* fuisset.

§. 72. „ ITEM, una litera patens Imperialis, „ super consensu Regio, Domino Georgio *de* „ *Erdőd*, Canonico Bacsiensi data.

§. 73. „ ITEM, uua litera, cuidam Coma„ no, scilicet Gregorio filio Pauli, super eo; „ ut in possessione consortis suæ, quæ est Hun„ gara, adinstar Regni Nobilium commorari „ posset: Sub Sigillo Domini ULADISLAI Regis, „ privilegialiter est facta. Sed nondum ad suas „ manus *deventa est*, & ignoro, ubi sit.

§. 74

§. 74. „ ITEM, una litera gratiosa, Judæis „ facta, sub Sigillo quondam Domini SIGIS„ MUNDI Regis, cum medio capite aquilæ, „ privilegialiter factæ; ut ipsi *mercantias* face„ re valeant.

§. 95. „ ITEM, litera SIGISMUNDI Regis „ gratiosa, pro parte LADISLAI *de Szécsén*, præ„ decessoribus ejusdem facta; quod possessiones „ eorundem, propter notam infidelitatis non „ veniant in manus Regias, sed in fratres pro„ pinquiores condescendant: Sub secreto Sigil„ lo ejusdem privilegialiter emanata. Est etiam „ gratiosa litera super mineras auri, & argenti.

§. 76. ITEM, litera super consensu Regio, „ pro parte Georgii, filii Leorandi de *Nemphty*, „ super eo; ut ubi Joannem filium Henrici *de* „ *Thamásy* hæredibus deficere contingeret, „ tunc Castra, & universa jura possessionaria „ in ipsum Georgium devolverentur: Sub se„ creto Sigillo Domini SIGISMUNDI Regis, pri„ vilegialis.

§. 77. ITEM, litera Capituli Ecclesiæ Wa„ radinensis, privilegialis; super decimis, con„ tra idem Capitulum, pro parte Episcopi ejus„ dem emanata.

§. 78. „ ITEM, litera, super præfectione „ filiæ in filium, ad Fassionem Stephani *de* „ *Báthor*, cum consensu Regio, sub Sigillo „ Domini SIGISMUNDI Regis secreto, pro par„ te filiorum quondam Thomæ *de eadem Báthor* „ confecta.

§. 79.

§. 79. „ ITEM, litera sub Sigillo Domini „ ALBERTI Regis privilegialis; super libertate „ civitatibus in Marmorolio habitis, confecta.

§. 80. „ ITEM, una litera, sub Sigillo Domini LUDOVICI Regis Annulari; super libertatibus civitatum Pesthienſis, & Budenſis facta. Sed civibus Pesthienſibus per me assignata.

§. 81. „ ITEM, omnia præmissa per neminem sunt facta, præterquam per *Me Gabrielem.* Et omnibus notum sit, quod ista omnia, quibus data sunt, & assignata, non, quod ipsi per me ea fraudulenter facere procurassent; sed per me facta sunt siniſtre: Et semper hi iidem, easdem crediderunt esse veras, & justo modo emanatas. Ergo nullus debet suspicari, quod isti essent culpabiles in præmissis, quia non est de ipsorum *fraudulentiis*, sed ex meis.

§. 82. „ Nos itaque attentis tantis, damnosis, atque pestiferis actibus ipsius Gabrielis, quæ maligna opera nedum ad sui corporis, & animæ, sed & aliorum sunt vergentia, corporum, & animarum pericula plurimorum; volentes hujusmodi morbo pestifero, opportuno remedio occurrere, decrevimus: Ut omnes, & singulæ literæ, quæ in prætactis manuscriptis suis, præsentibus suo modo insertis, sunt nominatim designatæ, tanquam de falso fabricatæ; inanes, & apud omnes Judices, intra, & extra Judicium, rejectæ,

„ re-

„ reprobatæ, & viribus exutæ semper habeantur. Quas & Nos sic cassamus, reprobamus, „ & damnamus præsentium per vigorem. „ DATUM in nostra Generali Congregatione „ Pesthiensi, feria secunda, proxima post Festum Sacratissimi Corporis Christi. Anno „ ejus millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo. a)

X De

a) Ab Uladislao, sub quo Werbőczius hæc scripsit, *Tredecim Coronata Capita* adoravit Hungaria. Eorum Proin Donationes, & Privilegia, an, & quomodo, in Judiciis, & extra subsistant; isthic placuit annotare. Itaque LUDOVICI II Literæ, ac Privilegia servantur. Imo etiam Relictæ ejusdem, *Mariæ Reginæ*, post cladem Mohácsianam factæ Donationes in Judicio subsistunt. à 4. 1527.

JOANNIS Zápolya, Privilegia, modalitate *Artt.* 20. 21. 22. *Anni* 1552 in Judiciis subsistere possunt: Non tamen ISABELLÆ ejusdem Viduæ: aut Filii ejusdem, JOANNIS. a. 23. 1552.

FERDINANDI I. Privilegia servantur. De quibus Vid. a. 2. 1542. & artt. 20. 21. 22. 23. An. 1552.

MAXIMILIANI servantur: Etiam illa, quæ ante suam Coronationem largitus est modo post Coronationem ab eodem confirmata fuerint. a. 64. 1563.

Item RUDOLPHI, MATHIÆ II. & FERDINANDI II. servantur: Exceptis quibusdam Donationibus *Ferdinandi*, quæ per art. 7. An. 1622. in vigorosæ redduntur.

FERDINANDI III. servantur.

FERDINANDUS IV. Vivente Patre coronatus, & mortuus, nunquam Regno præfuit: Hinc nulla etiam Privilegia concessit.

LEOPOLDI servantur.

JOSEPHI Privilegia, quæ post mortem Patris sui *Leopoldi* concessit, servantur.

CA-

De transſumptis Literarum, & Privilegiorum, quid ſit ſentiendum?

TITULUS 15.

ITEM, ultra prænarratas, *nequitioſe* confectas literas, ſunt etiam aliæ literæ, quæ etſi *malitioſe* non ſunt *fulminatæ*, tamen in Judiciis non ſervantur, neque locum habent: Prout omnes *Tranſumptionales*, quæ *ſimpliciter & abſolute*, in locis Capitularibus, aut Conventualibus, ſive coram Judicibus Ordinariis Regni A) ſunt, vel fuerunt tranſumptæ: Et tales non ſine notabili cauſa, per Conſtitutionem generalem, exſtiterunt in irritum revocatæ, atque invalidatæ. B) Niſi forte originales literæ, ex quibus ſcilicet tranſumptæ proceſſerunt, in ſpecie valeant exhiberi. Nam hoc modo ſi originalia Privilegia rite, bonoque ordine, & modo confecta fuiſſe dignoſcantur; etiam tranſumpta literarum locum habent.

§. 1.

CAROLI III. Hungariæ Regis, & Rom. Imperatoris VI. velut legitimi hæreditarii, Regis Noſtri Clementiſſimi Privilegia, rite, bonoque ordine confecta, & extradata ſervantur; & poſthac in perpetuum ſervanda erunt.

A) Conf. *p.* 1. *t.* 42. §. *Filiæ vero.*

B) Ulad. D. 1. a. 96. Cui articulo derogat. §. *fin. h. t.* velut poſterior: Juxta quem valent Tranſumptionales etiam in Judicio; quæ per ea *Mandatum Requiſitorium*, authentice ex Capitulis, vel Conventibus extrahuntur, licet Originales non producantur, ut docet præter praxim quotidianam etiam art. 42. 1723. §. *Imo & tales.*

§. 1. TRANSUMPTIO autem *est alicujus Privilegii, non sensualis, sed verbalis, in aliud Privilegium translatio.*

§. 2. Unde transumptiones literarum, aut in Tabula, aut Sede Judiciaria Regiæ Majestatis, in Judicio contradictorio inter litigantes: Aut coram Judicibus Ordinariis Regni, in terminis Octavalibus, per legitimam citationem facie ad faciem fiendam: Et item, inter fratres, quando bonorum divisio inter eos sequitur, vel aliter de literarum, & Privilegiorum ipsorum conservatione agitur; coram eisdem Judicibus juxta morem, & consuetudinem modernorum, & non aliter fieri possunt: Ut per Judices Regni bene discutiantur, examinenturque, & diligenter ruminentur, originalia Privilegia, vel aliæ literæ primordiales, si rite, & debite, justoque modo, & non nequitiose, aut fraudulenter sunt confectæ, vel emanatæ, & sic tandem transumantur, in literasque, & Privilegia sine dolo, fraudeque redigantur. Et talia postea transumpta servantur. A)

§. 3. Secus tamen est de literis, & Privilegiis, in Capitulis, aut Conventibus per literas Requisitionarias inventis, aut inveniendis: Quia tales semper observantur: Dummodo originales ipsæ literæ non sint modo prælegato in se

A) Adeo, ut quamvis Originales, seu primordiales literæ, quocunque casu amissæ fuerint; sic tamen transumptis plena fides semper habeatur in Judicio, & extra: prout notat *Opus Quadrip. p. 1. t. 45.* & praxis confirmat.

transumptionales, quæ) ut præfertur) non valent. A)

Super Privilegiis cum clausula: De cujus, vel quorum notitia, *confectis*: *Et de Larvis, seu fictitiis personis.*

TITULUS 16.

CÆterum, universæ literæ, ac Privilegia quorumcunque Capitulorum, vel Conventuum, in quibus clausula ista continetur *De cujus, vel quorum notitia, Nos talis homo certificavit, aut assecuraverit*, &c. annullatæ, cassatæque, & invalidatæ habentur, neque in Judicio aliquando locum habere permittuntur.

§. 1. Ratio est; quia Fassio per quempiam hoc modo facta, non ad Capitulum, vel Conventum, sed illum, qui ipsum certificavit, & assecuravit, trahitur, atque refertur, ita, ut non Capitulum, vel Conventus, sed ille certificans videatur adstruere, & affirmare, quod talis Fassionem, vel aliam obligationem fecit. Notitia autem ejus, qui fatebitur, Capitulo, vel Conventui debet semper constare, ut eidem Capitulum, aut ipse Conventus, merito talem coram se constitutum fuisse, & hujusmodi Fassionem feciſse libere possit affirmare. Alioquin autem ad certificationem, aut assecurationem cujuspiam,

A) Multa de *Transumptione*, *Vidimatione*, *Authenticatione*, *Expeditione*, &c. Instrumentorum literalium; Vid. in *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t. & ad t.* 13. *p.* 2.

piam, non tenetur, neque poterit justas, & legitimas literas dare, vel rite Privilegia conficere.

§. 2. LICET nonnulli reperiantur *salutis, & honoris* eorum *immemores*, qui personas sæpe *Larvales*, & fictitias, coram Capitulo, vel Conventu; interdum autem coram Judicibus quoque Regni Ordinariis sistere, statuereque, & iniquas Fassiones per eas pro sese fieri procurant: Nihilominus tamen Capitulum, vel Conventus, aut Judices Ordinarii, qui ad Fassiones talium personarum ignoranter literas, & Privilegia dant per hoc non peccant; quia ipsi non *Larvas*, neque fictitias personas, sed eos, quos illi sese nominant, realiter existere putant.

§. 3. SECUS esset, si Capitula, vel Conventus, aut Judices Ordinarii, scienter, & studiose id facerent, vel aliter falsas, & iniquas literas conficerent; Nam hoc modo tanquam *falsarii*, & *perjuri* punientur: Et Capitula quidem, vel Conventus, in Sigillis: Illi vero, qui de membro Capituli, aut Conventus, tempore confectionis, & sigillationis hujusmodi falsarum literarum præsentes fuerint; in beneficiis suis: Judices vero Ordinarii seculares, in sententia Capitali, nec non perpetua bonorum, & Jurium possessionariorum suorum, ipsos proprie concernentium, ac Sigillorum pariter, & honoris eorum amissionem condemnentur.

§. 4. INSUPER, ut stigma Sigilli igniti frontibus, & faciebus Capitularium, vel Conventualium, qui (ut præmittitur) in confectione,

& sigillatione ipsarum iniquarum literarum interfuerint, ac participes extiterint, imprimatur, & inuratur; Decretum generale mandat. A)

Quid debeat attendi in cognitione falsarum literarum?

TITULUS 17.

ITEM, in examine, discussioneque falsarum literarum debet attendi per Judices; maxime *Datum* literarum, seu dies emanationis Privilegiorum, atque annorum positio: Nec non *Sigilli impressio*, vel appensio, ac *circumferentia*, & *superscriptio*.

§. 1. ITEM, Privilegiorum, ac literarum in *nominibus*, vel *cogitationibus Personarum*, aut *possessionum* in eisdem contentarum, & expressarum *abrasio*, aut *cancellatio*: B) Et his diligenter calculatis; D) facile apparebit literarum, sive

A) Ulad Decr. 1. a. 14. Quæ tamen pœna, velut in personas Ecclesiasticas, aut Religiosas constituta, executioni mancipari nequit: nisi per potestatem Ecclesiasticam, vel nisi præmissa degradatione (si delicti gravitas id exposcat) reus tradatur Curiæ Seculari. Abbates autem, & Præpositi Conventuum, si suos ob errorem, vel fraudem in expeditione literarum commissam, non puniant; beneficio privantur. Ulad. Decr. 1. a. 43. & 44.

B) Id est: deletio: Ex Italico; *cancellare*, delere.

C) Attendi etiam debet signum, v. g. *Leonis, Batri*, &c. chartæ, dum conficeretur impressum: Qua unica ratione, Procurator T. in causa multorum mill. f. instrumenti falsitatem nuper detexit, probando; tunc

sive Privilegiorum justa, vel injusta A) confectio.

§. 2. Privilegia autem bono, & justo modo cofecta, etiam destructis, & dirutis Sigillis B) semper observantur: Dummodo circumferentiæ C) Sigillorum, & scripturæ bene appareant, atque agnoscantur.

§. 3. Falsitas autem literarum, ad Fassionem prætactarum larvalium, & fictitiarum personarum inique emanatarum, ex hoc maxime apparebit; si ille, cujus nomine, & in persona, ejuscemodi Fassio facta extiterit, tempore emanationis, & confectionis ipsarum literarum, se in alio loco, & non ibi, ubi ipsa Fassio fraudulenter peracta est, constitutum fuisse, poterit bono testimonio D) comprobare.

§. 4. Postquam igitur quispiam Nobilium, nomine, & in persona sua Fassionem aliquam, modo antelato, factam intellexerit; mox

nondum cæpisse fieri chartam: cum insignibus Familiæ T. & T. Præterea attendatur; atramenti, aut characterum diversitas. Scriptura interlinearis: Novæ Scripturæ inter veterem insertio: Alienæ manus imitatio: In fine Instrumenti, solito modo *Correctæ* non appositio, &c.

A) Falsitas Instrumenti probari etiam potest per *Testes*, maxime tales. qui tempore confectionis literarum, vel conventionis de negotio in iis contento, præsentes erant. *Com. Syst. hic.*

B) Aut licet Sigilla, propter malam eorum impressionem, minus sint noscibilia.

C) Id est: Locus, & spatium chartæ, quod Sigillum jam deciduum, olim occupaverat, & maculaverat. *Prax.*

D) Id est: Virorum proborum, seu fide dignorum.

eidem contradicere, & contra eam reclamare ſtudeat. A) Quæ ſemper, & ubique Locorum Credibilium, ac Teſtimonialium rite fieri poterit; ubi hujusmodi falſitas ad notitiam ſui devenerit, atque deducta fuerit.

§. 5. Et hanc ſpeciem falſitatis, articulus ſuper delatione falſarum literarum, in ſerie Notarum Infidelitatis B) prædeclaratus, in ſe comprehendit.

PROSECUTIO SECUNDÆ PARTIS IN SPECIALI, ET PRIMO, DE EVOCATIONIBUS.

TITULUS 18.

ABſolutis itaque præmiſſis notabilibus; ad proſecutionem cœptæ materiæ hujus ſecundæ Partis revertendum eſt. c) Ubi primo; de Exor-

A) Et ſuperinde Literas Teſtimoniales extrahat, quibus ſuum non conſenſum; imo reclamationem, & contradictionem, ubivis locorum edocere poſſit.

B) p. 1. t. 14. Vigore cujus tales *Falſarii* olim incurrebant Notam Infidelitatis. Hodie pœna mortis plectuntur, ſi penes falſas literas, aut Sigilla, vitæ alterius; aut vitæ ſimul, & Bonis inſidientur: a. 11. 1723. Si vero ſolis Bonis; præter refuſionem damnorum; & expenſarum; infamia notantur. a. 12. 1723.

c) Per omnes *ſeqq. titt.* tractatur *de Actionibus*, ſeu de Proceſſu Judiciario.

Exordio Causarum, scilicet *Evocationibus* A) dicere statui.

§. 1. Unde sciendum, quod Evocatio non est aliud, quam *ad actionem, vel querimoniam, Judici Ordinario per quempiam, & adversus quempiam porrectam, in præsentiam ejusdem Judicis, legitima vocatio.* B)

§. 2. Quæ nostra hac tempestate plures habet species, multaque complectitur genera. Evocationum enim aliæ sunt *Simplices*, aliæ *Peremptoriales*, vel *Insinuationales*, aliæ *Admonitoriæ*, aliæ vero *Introductoriales*, & *Reambulatoriæ*.

§. 3. CAUSÆ itaque, in facto Jurium possessionariorum impignoratitiorum, Jurium Quartalitiorum, Dotum, & rerum Paraphernalium, Debitorum, Obligaminum, Divisionum inter fratres indivisos fiendarum, & Novorum Judiciorum per quemcunque impetrandorum; etiam *per simplicem Evocationem* motæ, eo præcise brevi termino, quo causæ per insinuationem intentatæ; levari, discutique, & terminari debent.

§. 4. RELIQUÆ vero Causæ per Admonitionem, vel aliam simplicem Evocationem, aut Statutionem, & Recaptivationem bonorum vel etiam metalem Reambulationem inchoatæ;

A) De Evocationibus agunt 9. seqq. titt.

B) Confer cum hoc titulo, & seqq. Kitt. c. 2. *de Citatione, & Evocatione.* Et *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.* Ex quibus phrases, & terminos, extra Hungariam nuspiam auditos, isthic coacervatos, facile intelliges

in quatuor terminis Octavalibus finaliter concludi solent.

§. 5. Si quis etiam ad præassumptam cautionem expeditoriam, in defensionem alicujus causæ; vel ad literas, & literalia instrumenta apud quempiam forsitan habita, aut occultata, qualicunque Evocatione fuerit vocatus; talis Evocatio semper unico termino (ubi videlicet principalis causa levata fuerit) decidi, & finiri consuevit.

§. 6. EVOCATIONES vero *cum insinuatione*, ratione quorumcunque actuum potentiariorum, terminos præscriptionis nondum *transcribentes*, rite semper decernuntur.

§. 7. In causis etiam longo litis processu motis, *tertiario* insinuationes, loco *Trinefrensis proclamationis* subsequuntur.

Qualiter, & per quos Evocationes fieri debeant?

TITULUS 19.

OMnis autem Evocatio per Regium, aut Palatinalem, & alicujus Loci Credibilis homines, a) de Juribus possessionariis, hæreditariis,

a) Math. Decr. 1. a. 1. Hodie vero per Juratum Tabulæ, vel per Judicem Nobilium, & Juratum Assessorem illius Com. in quo J. residet, aut Bona habet; Evocatoriæ exhibentur. Conf. a. 30. 1723. & *Typos. Jur. Ung. hic.* §. 15. & seq.

riis, vel impignoratitiis, A) atque etiam *Officiolatibus* eorum, qui sunt evocandi; fieri debet.

§. 1. De *Officiolatibus* autem esse verum intellige, si talis Evocatio, prætextu actuum potentiariorum in illo Officiolatu perpetratorum, decernatur: B) Nam ratione Jurium possessionariorum vel aliorum negotiorum, Evocatio de Officiolatibus cujuspiam facta; non admittitur.

§. 2. OMNIS autem homo Regius, aut Palatinalis Evocationem, nec non bonorum Statutionem, Restatutionem, metalem Reambulationem, & aliam quamlibet Executionem Juridicam faciens, in eo Comitatu, ubi executio fit, hæreditatem Nobilitarem debet habere.

§. 3. Nam aliter executionem aliquam nequibit facere: Nisi forte de Curia Regia, per Judices Regni Ordinarios, ad ipsam Executionem fuerit deputatus, atque missus.

§. 4 Nam hoc modo quilibet Nobilis, imo & Ignobilis (si tamen ignobilis; *Scriba*, c) vel

A) Non autem personaliter, aut de domo solitæ Residentiæ: secus Actor, ad instantiam Evocati, in homagio ipsius olim convincebatur. *p. 2. t. 24.* Verum hodie id non attenditur.

B) Nam si Officialis propter ejusmodi actum convincatur; Executio de talibus Bonis fieri debet. *p. 2. t. 48. & a. 33. 1659.*

c) *Scriba*, sive Amanuensis *Curiæ Regiæ* dicitur; qui ad latus alicujus Judicis Regni Ordinarii, D. Personalis, aut Proto-Notarii, pro Experientia Juris existens, nondum juramento est adstrictus: *Juraxi* enim jam merito vocantur: *Notarii Curiæ Regiæ.*

vel *Notarius Curiæ Regiæ* fuerit) in qualibet Executione procedere poteſt.

§. 5. Antiquitus enim Aulæ Regiæ milites, & alii Curiales; ad Executiones, & præſertim bonorum Statutiones mittebantur.

De Perſonali Citatione, A) *Admonitione, & Prohibitone.*

TITULUS 20.

HIc tamen ſciendum eſt, quod, ſi quispiam Dominorum, vel Nobilium, durantibus Diætis, & Conventionibus Generalibus, vel Octavis, aut aliis Brevibus B) Judiciis, alterum quempiam in hujusmodi Diæta, vel Conventione, aut Octavis, & Brevibus Judiciis conſtitutum, *morte*, *vulneribus*, *verberibus*, aut etiam *verbali dehoneſtatione* infamiam inducente affecerit; talis mox absque quolibet Capitulari, aut Conventuali homine, per ſolum ſcribam, ſeu Notarium Curiæ Regiæ, per Judices Ordinarios, vel alterum eorum ad id deſtinatum, ad inſtantiam læſæ partis, *perſonaliter* in ſui præſentiam citari poterit.

§. 1. PRÆTEREA, ſi quis alterius bona, ac Jura poſſeſſionaria pignoris titulo tenens, in

A) Quid ſit Perſonalis Citatio? Vid. apud Kitt. *c. 2. q. 4. in. princ.* Dicitur *Perſonalis*: Quia citatus non per Procuratorem, ſed per ſe & perſonaliter comparere debet.

B) Aut juxta modernum ſtylum, & praxim: *Ubi*, & *quando* Tabula Septemviralis, aut Regia (quæ his Judiciis ſucceſſit) celebratur.

in conſpectu alicujus Judicis Ordinarii, A) per eum, qui bona ipſa ei pignoravit, vel ad quem redemptio eorundem bonorum, ac Jurium poſſeſſionariorum legitime attinet; ſolummodo per Procuratorem ejus legitimum repertus ſit; ad tollendam pecuniam ſuam, & remittenda ipſa bona, ac Jura poſſeſſionaria, ſemper admoneri poterit; Et ille tertio, aut eodem (ſi voluerit) die, admonitionis ipſi reſpondere debebit: Ita tamen; ſi *copiam*, ſeu *paria literarum* Impignoratitiarum, actor ipſe coram Judice ſuo tunc pro ucere B) valebit.

§. 2. Nam aliter, admonitus ille, reſpondere ipſi hoc modo, & proceſſu, non tenetur: C) Sed Actor per Regium, aut Palatinalem, & alicujus Loci Teſtimonialis homines, D) ut admonitionem ejuscemodi pariter, & Evocationem peragat, neceſſe erit.

§. 3. Et non ſolum in facto Impignoratitio ipſa *admonitio;* verum etiam in negotio Juris hæredita ii, & perennali-, *prohibitio perſonalis*, in conſpectu Judicum Regni Ordinariorum, ſemper, & ubique fieri po erit: Dummodo *prohibens*, & *prohibitus*, coram ipſis Judicibus Or-

A) Scilicet, *ubi*, & *quando*, ejusmodi Judicia celebrantur. B) Nempe in vim actionis.

C) Sed a brevi hoc, & ſummario Proceſſu, relegabitur Actor ad ſolennem.

D) Hoc olim: Hodie vero per Scribam, aut Juratum Tabulæ Regiæ. porro *Perſonalis* hæc *Citatio* exa- ditur etiam ad Terminum Judiciorum Extraordinariorum, propter Violatum *Salvum Conductum* De quo Vid. Kitt. c. 2. q. 4. & 5.

Ordinariis personaliter, & non per Procuratorem reperiantur. Nam aliter *personalis* hujus modi *prohibitio* locum non habet.

§. 4. Quæ ratione potissimum indebitæ, & potentiariæ detentionis Jurium possessionariorum fieri consuevit: Et virtutem Evocatoriæ cum insinuatione factæ; imo majorem vim habet. Tertio namque die prohibitionis, ipse prohibitus respondere tenetur. A) Si vero respondere noluerit: licet contra eum *capitalis*, vel alia sententia eo tunc non feratur, tamen si prohibentem contra se infra integram unius anni revolutionem legitime evocari non fecerit, vel si etiam fecerit, attamen indebite bona, & Jura illa possessionaria, quorum ratione eadem prohibitio personalis facta est, detinuisse, vel detinere, per Judicem compertus fuerit; eo præcisse modo, quo in causa per insinuationem mota; in *capitali*, vel *emendæ capitis* (Juxta scilicet personarum litigantium conditionem) sententia, prohibitus ipse condemnatur.

§. 5. Ubi vero *prohibens*, cum omnibus literalibus suis instrumentis, factum hujusmodi bonorum litigiosorum tangentibus, coram suo Judice, ipsa die responsionis non comparuerit; vel cum ipsis literis paratus comparere nequiverit; tunc adversus *prohibitum*, & *Judicem* suum,

A) Proinde *Personalis* hæc *Prohibitio*, vim Citationis Personalis *ad tertium* ut loquimur (scilicet *diem*) quo, prohibitus respondere tenetur; in se complectitur.

ſuum, *in Regali Judicio ſex Marcarum* A) convincetur.

§. 6. Et ſi ulterius cauſam illam proſequi voluerit; depoſito ipſo onere ſex Marcarum; B) alio proceſſu proſequendi habebit facultatem. C)

§. 7. Et hoc verum eſt; ſi prohibitus præno ata die reſponſionis Juri parebit, & ad prohibitionem illam, *defacto*, & *immediate* D) reſpondebit.

§. 8. Ubi autem *prohibitus*, vel in cauſam attractus literalia ſua inſtrumenta ibidem producendo, bona, ac Jura ipſa poſſeſſionaria, quorum prætextu ejuscemodi perſonalis prohibitio facta fuit, ad ſe juſto titulo pertinere poterit comprobare; tunc actor, ſeu prohibens ipſe mox in *æſtimatione communi* E) bonorum illorum convincetur.

§. 9. Si vero prohibitus ipſe, prædicta die tertia non reſponderit, neque Actorem contra ſe infra dictam unius anni revolutionem, ad ipſam perſonalem prohibitionem evocavetit; tunc

A) Juxta mentem tit. ult. p. 2.

B) *Levis ponderis*: ſingulos nempe florenos facientium.

C) Et hunc proceſſum ſimplici Evocatione inchoare poterit.

D) Si vero nec *Prohibens*, nec *Prohibitus* comparuerit aut comparuerit quidem, ſed ad Prohibitionem erga ſe factam, nihil reſponderit; tunc prædicta *Marcalis Convictio* adverſus Prohibentem, utique non ſequetur. Alias enim *Judex eſſet judicans, & opponens*: Contra ſenſum *t.* 22. *p.* 2.

E) De hac æſtimatione Vid. p. 1. t. 133.

tunc idem *prohibens*, peracta hujusmodi annuali revolutione, prohibitum, *primo*, simplici Evocatione; *secundo* vero, ex processu judiciario, insinuatione mediante, adversum se evocare debebit.

§. 10. Qui quidem *prohibitus*, & in causam attractus (quia respondere, & Evocationem præmissam peragere, perque hoc eandem prohibitionem viribus contra se accrescere permisit) in termino discussionis ipsius causæ; in sententia *capitali*, vel *emendæ capitis*, si prohibitio ipsa potentiariam, & indebitam bonorum detentionem, vel occupationem denotaverit, & Actor efficaci Jure bona illa litigiosa ad se pertinuisse, vel pertinere, poterit verificare; condemnabitur eo facto. A)

De Testimoniis Capitularibus, ac Conventualibus, ad Executiones mittendis.

TITULUS 21.

ADvertendum præterea est; quod *Evocationes* B) nec non bonorum, ac Jurium possessionariorum *Statutiones*, *Restatutiones*, metales Re-

A) An autem in Causis per Admonitionem, & Prohibitionem Personalem motis, admittenda sint Remedia *Inhibitionis*, & *Repulsionis*? Disputat Kitt. c. 2. q. 9. ipse negativam amplectans.

B) Jam non Capitularis, vel Conventualis; sed Juratus Tabulæ Regiæ evocat: Demptis *Contradictoribus*, qui tempore Statutionis Bonorum, ac Jurium possessionariorum, sese insinuarunt.

Reambulationes, A) *Admonitiones*, & aliæ quælibet judiciariæ Executiones, per hominem Regium, aut Palatinalem cum testimonio illius Capituli, vel Conventus, quod, vel qui, *in ipso Comitatu*, B) *ubi Executio fit*, habetur: Si autem neutrum eorum habetur; tunc cum testimonio alterius Loci sibi vicinioris, B) fieri semper, & peragi debent.

§. 1. Aliter enim condescendet causa. Per Actorem (si voluerit) de novo inchoanda, & resuscitanda.

§. 2. Demptis testimoniis Capitulorum *Albensis*, *Budensis*, & *Bosznensis*, Ecclesiarum, atque Conventus *Cruciferorum de Alba*: D) Qui, in quibuscunque Executionibus, per to-

A) In quibusdam metalibus *Reambulationibus* sensa *art. 20. 1635.* Et in *Inquisitionibus*, secundum communem praxim; etiam sine Testimonio Capituli, vel Conventus, per Juratum Tabulæ Regiæ Executiones peragi possunt.

B) Unus Locus Testimonialis, in Jurisdictionem alterius, semet immittere non potest. *arg. art. 102. 1647. & art. 40. 1723.*

C) Conformiter ad art 58. 1536.

D) His Locis Credibilibus, Turca cum tyrannide deletis, data est ejusmodi generalis facultas Archi Capitulo Strigoniensi. a. 39. 1556. Et authoritas Capituli Agriensis extensa est ad complures Comitatus a. 63. 1550. Nunc per. a. 40. 1723. Ita Capitulorum authoritas definita est; ut quodlibet in sua Diœcesi, & Locis Comitatui vicinioribus, Executiones peragere possit. Sed de *Emissione Testimoniorum*: Juramento ab iis præstando: Securitate & Taxis eorum: Relatione facienda; aliisque accessoriis; scitu pro praxi necessariis. Vid. *Tyrnc. Jur. Ung. ad h. t.*

tum Regnum Hungariæ, & partes sibi subjectas; procedendi habent authoritatem.

§. 3. SIMPLICES autem inquisitiones super actibus potentiariis; etiam per aliorum Capitulorum, & Conventuum propinquiorum Testimonia, ubilibet exequi possunt.

De pœna illius, qui Homo Regius, simul & Procurator, in una, eademque causa compertus fuerit.

TITULUS 22.

HOc autem sciendum, quod *Homo Regius*, aut *Palatinalis* A) in eadem causa (qua Evocationem, vel aliam Executionem fecerit) Procurator, seu Advocatus esse non poterit.

§. 1. Nam si quispiam Homo Regius, vel Palatinalis, atque etiam Procurator in una eademque causa repertus fuerit; contra eum, adversus quem Procuratoris officium gerit, vel gesserit, in suo Homagio *defacto convinceretur*. B)

§. 2. Et ratio est; quia Homo Regius, aut Palatinalis, penes Testimonium, seu hominem

A) Quis possit esse Homo Regius, vel Palatinalis; & quæ sint ejus munia, ac obligationes; Vid. *Tyrôc. Jur. Ung. ad h. t.*

B) Nempe per id Judicium, proinde ipso facto. Illo autem post convictionem, a functione Procuratoria amoto; Executio in suo vigore permanebit, *Com. Syst. ad h. t.*

nem cujuscunque Loci credibilis, Capituli scilicet, aut Conventus, tanquam Judex, in persona sui superioris Judicis, ad Executionem missus, stat, & reputatur: Procurator autem pro Actore æstimatur: Nam agens, & opponens est, sicque Judex, & Actor esse deprehenditur. *Nemo* autem *in una, eademque causa Actor, & Judex simul esse permittitur*; ideo in Homagio suo merito convincetur.

De pœna ejus, qui mortuum *vel* puerum *evocaverit*: Aut Nobilem statuendum *commiserit*.

TITULUS. 23.

HOc quoque non prætermittendum; quod, si quispiam litigantium *Nobilem* quempiam jam præmortuum, A) & *ab hac luce decessum*, contra se evocari fecerit; vel etiam *familiares* aliquorum Dominorum Prælatorum, aut Baronum, vel Regni Nobilium, *possessionatos* & titulo veræ Nobilitatis fugentes, tempore Evocationis, Domino suo statui commiserit; vel etiam aliter statui facere procuraverit; aut aliquem *puerum* illegitimæ ætatis, ratione actuum potentiariorum B) contra se evocaverit; tunc talis Actor, & contra ipsum Nobilem præ-

Y 2 mor-

A) Excusat tamen ignorantia mortis a pœna marcas li. *Com Syst.*

B) Pueri enim non præsumuntur tales actus committere: Vel si committant; ignorantia facti excusare videtur. Conf. p. 1. t. 132.

mortuum; & puerum illegitimæ ætatis, atque singulos hujusmodi familiares Nobiles, in singulis *quinquaginta Marcis Homagialibus* (si exceptionem, & objectionem adversus Actorem supra ea re fecerint) convincetur, & condemnabitur eo facto.

§. 1. NOBILES enim *evocari, & non statui debent.*

§. 2. Ad solos autem rusticos, vel rurales, & Jobagionalis conditionis homines, atque familiares ignobiles, attinet Statutio: Quos *proprii Domini* ipsorum terrestres, & *non Officiales*, statuere, ac in præsentiam Judicis sistere tenentur.

De Admonitionibus, ratione Jurium Impignoratitiorum, & Dotalitiorum fiendis: *Et pœnis exinde* sequendis.

TITULUS 24

ADmonitiones siquidem, ad levandam pecuniam, & remittendam portionem Impignoratitiam, vel ad tollendas Dotes, & res Paraphernales, Juraque Quartalitia, & hujusmodi, &c. *personaliter*, si Actor præsentiam ejus, qui, vel quæ, admonendus, a) aut admonenda est; habere poterit: Alioquin autem *de domo habitationis*, ac solitæ Residentiæ ejus, fieri possunt.

§. 1.

a) Alia admonitio est, quæ in possessionum, seu Bonorum venditione præmitti debet erga aliquos. De qua Vid. p. 1. t. 60.

§. 1. Verumtamen Evocatio post Admonitionem *non personaliter*, sed de Juribus ejusdem admoniti, vel admonitæ possessionariis, populosis, hæreditariis, aut impignoratitiis, unde scilicet ad notitiam ejus, Evocationem factam fuisse, possit devenire, fieri debet.

§. 2. Nam aliter, si Jobagione caruerit; etiam de Curia sua Nobilitari, ac domo solitæ Residentiæ suæ, talis rite admoneri pariter, & evocari poterit.

§. 3. Si tamen Jobagionem, vel Jobagiones habuerit, de illis Evocatio fieri debebit. Alioquin enim, si personaliter, aut de domo habitationis suæ evocatus, aut evocata fuerit; Actor contra evocatum, vel evocatam, in Homagio ejusdem convinci debet, & aggravari.

§. 4. UBI sciendum, quod, si qui Nobilium, aut quæ mulierum, ad tollendas pecunias suas, & remittendas portiones impignoratitias, vel etiam levandam Dotem, & res Paraphernales suas, atque reddenda, & remittenda Jura possessionaria mariti sui defuncti, illi, ad quem de Jure spectabunt, admoniti, aut admonitæ fuerint, & illis tempore ejuscemodi admonitionis non levatis, neque Juribus possessionariis remissis, Evocatio subsecuta extiterit, ac ad terminum ipsis assignatum, Octavalem videlicet, aut Brevium Judiciorum venire, vel mittere negle xerint, tunc ulteriori termino non expectato, Actori hujusmodi Jura possessionaria, sine omni prorsus pecuniaria solutione, per Judicem resti,

tuantur, & illi evocati, vel ipsæ evocatæ, Jura sua extra Dominium ipsorum bonorum requirere, & prosequi tenentur.

§. 5 Imo fœnerator ille, qui pecunias tollere, & bona, Juraque Impignoratitia remittere recusavit; vigore Generalis Decreti nostri, in tanta præterea pecuniarum summa, qua ipsi fuerunt Jura illa impignorata, contra partem adversam, de facto convincetur.

§. 6. Et hoc verum esse intellige, si Admonitio, pariter & Evocatio, per eum facta fuerit, qui pignorationem fecit; vel ejus filium, aut fratrem, in quem utpote devolutio bonorum ipsorum Impignoratorum manifeste respicit: Nam ad instantiam vicinorum, aut commetaneorum, eorundem bonorum: pœna præmissa subsequi non consuevit.

§. 7. Mulier vero admonita, & prætextu Dotis, reique Paraphernalis suæ, modo præmisso evocata, si quidem comparuerit, exquisitis tamen per responsionem aliquibus subterfugiis, ad alium terminum causam suam prorogari facere procuraverit, ut interea fructus bonorum illorum capere, & percipere posset, & in ipso tandem termino, responsionem suam bono modo probare non poterit; tunc Dotem, & rem suam Paraphernalem, propter fraudem, & frivolam suam responsionem (ex quo, multæ fœminæ bona pupillorum, hujusmodi cavillationibus, extremæ desolationi subjecisse dignoscuntur) per omnia amittet eo facto: Et Actori bona, ac

Jura

Jura possessionaria ipsa, sine quavis solutione Dotalitii, per Judicem suum reddi, & restitui debent. A)

De Clausula Evocationis: Litis pendentia. *Quid importet?*

TITULUS 25

ITEM, super clausula Evocationum; *Litis pendentia* (si qua foret inter ipsos, Evocantem scilicet, & Evocatum) *non obstante*: SCIENDUM, quod propter evitandum calumniæ factum, quæ calumnia ex duplici, & interdum longe multiplici causarum motione, atque prosecutione maxime solet evenire; clausula ipsa in Evocatione consuevit apponi. B)

§. 1. Ne Actore, cum Reo, vel in causam attracto, prætextu aliquorum negotiorum, in lite existente, & litis intermedio, Partium ipsarum altera, quocunque actu potentiario, per alteram læderetur, vel aliter litigare cogeretur,

A) De multiplici Admonitionum specie, diversaque illarum praxi, maxime in Comitatibus frequenti, & pro pleniori denique hujus Tituli intelligentia; Vid. *Tyroc. Jur. Ung.* Videri etiam possunt Math. D. 6. a. 25. Ulad. D. 1. a. 65. Item a. 2. 1555. a. 29. 1638. a. 52. 1655.

B) Nostro tempore non adhibetur ista clausula: Imojam dudum exolevit, teste Kitt. Dub. 59. Veteribus adhibere placuit, juxta illud Poetæ: *Cautela superflua nulla est.* Qualiter autem ex duplici litis motione, factum calumniæ enascatur; Vid. p. 2. t. 70. & Kitt. c. 9. q. 17.

& propterea causa de novo suscitaretur; causæ prius motæ, & intentatæ, *nova Evocatio* quovis modo possit derogari, vel quicquam oneris, aut gravaminis Actori, vel e contra, generari.

§. 2. Et ista clausula in prima Evocatoria consuevit inseri. In secunda namque, vel tertia Evocatoria, ex processu causarum procedente; non est necessaria.

Tria requiruntur in Evocatione expresse denotanda.

TITULUS 26.

ITEM, in omni Evocatione, & actionis declaratione, præsertim ratione actuum potentiariorum fienda, TRIA requiruntur A) expresse notanda.

§. 1. PRIMO, *Persona*, per quam, & contra quam querela, vel actio proponitur.

§. 2. SECUNDO, *Tempus*, vel terminus, quo quis alteri damna, aut injurias patravit, vel irrogavit.

§. 3. Et TERTIO, *Locus*, ac Comitatus, ubi videlicet, & in quo, hujusmodi damna, vel injuriæ fuere patratæ, & commissæ.

§. 4.

A) Civilistæ omittentes *Tempus*, & *Locum*, requisita suæ Actionis, sive Libelli Actionalis, sic declarant: Quis? Quid? Coram quo? Quo Jure petatur? & a Quo? Recte compositus, quisque Libellus habet. Et hæc requisita jam etiam apud Nos sunt Lege recepta; sensu art. 30. 1723. De quibus plura scitu necessaria Vid. *in Tyrec. Jur. Ung. ad h. t.*

§. 4. ITEM, si prætextu occupationis Jurium possessionariorum causa mota fuerit; ut portio quoque occupata bene specificetur, necesse est.

§ 5. Nam absque conditionibus istis, Judex Ordinarius, inter Partes, rectum, congruensque Judicium administrare non poterit. Maxime, si causa ipsa, ad communem Inquisitionem, juxta responsiones partium, submissa, deductaque fuerit. In cujus celebratione, & temporis expressio, & loci, ac Comitatus descriptio atque etiam rei perpetratæ series, vel quantitatis bonorum occupatorum declaratio; summe necessaria semper est, & erit.

Quid sit communis Inquisitio? & quot conditiones requirantur ad ejus celebrationem?

TITULUS 27.

ULterius sciendum, quod Communis Inquisitio A) *est dubietatis, ex responsionibus litigantium, coram Judice emergentibus, per attestationes testium, certa declaratio.*

§. 1 Quæ per vicinos, & Commetaneos illius possessionis, ubi actus potentiarii, de quo agitur, perpetratio accidit, vel illata est; Nobilesque Comprovincialesipsius Comitatus, in

A) Differt a *Particulari Inquisitione*; quod hæc, præcise ad unius partis instantiam, super facto aliquo peragatur: Illa vero; communiter utrique Parti, & quidem simul, & semel permittatur. Kitt. c. 6. q. 4. Ejus ritum Vid. Matth. D. 6. a. 14.

quo eadem possessio adjacet; in loco utpote Sedis Judiciariæ A) ejusdem Comitatus: Nisi forsitan, prætextu occupationis Jurium possessionariorum, vel terrarum, causa ventiletur: Nam in hoc casu, non in loco Sedis semper, sed etiam in facie terræ litigiosæ sæpe fieri, & celebrari consuevit.

§. 2. Ut autem omnis Communis Inquisitio bono, & justo modo celebrari possit; quinque conditiones B) sunt observandæ. Scilicet: *Libertas*, *Ætas*, *Modalitas*, *Conditio*, & *Juramenti Depositio*.

§. 3. PRIMO (inquam) requiritur *Libertas* Ut libere, & sine metu, sponteque, & non violenta coactione, sed juridica duntaxat requisitione, quisque testium, veritati testimonium perhibeat: *Ne inter arma Jura silere videantur*.

§. 4. SECUNDO, exigitur *Ætas;* ut testis ipse sit tantæ ætatis, ut rerum gestarum, super quibus examinabitur, memoriam habeat, atque recordetur. Legi enim in reportatis seriebus Communium Inquisitionum, & non modo legi, ve-

A) Hodie fit extra Sedem Judiciariam. Et quidem non per Hominem Regium, & Conventualem; sed per M. Proto-Notarium, coram quo Causa in Tabula Regia ventilatur.

B) Testium qualitates passim AA. hoc duplici versu describunt:

Ætas, Condito, Sexus, Discretio, Fama,
Et Fortuna Fides; in Testibus ista requires:

Pro quorum uberiori intelligentia; Vid. *Tyroc. Jur. Unga. ad h. t.*

verum etiam vidi, plerosque dono, & favore corruptos, vix sedecim, aut viginti ad maximum annos agere, & de rebus circiter vigesimum quintum prius annum patratis, & gestis, scitu, Fassionem, & attestationem, constanter, tanquam illis interfuissent, fecisse. Et quia conspectui Judicum Ordinariorum Regni, testes ipsarum inquisitionum personaliter adduci, & præsentari non solent; sed per Regios duntaxat, vel Palatinales, ac Capitulorum, & Conventuum homines, ad id transmittendos, examinationes hujusmodi testium fieri consueverunt; ideo ipsi diligenter, & *ætati testium*, & *tempori gestarum rerum* superintendere, veramque super ea re relationem facere tenentur.

§. 5. TERTIO, necessaria est *Modalitas*: Ut testis de modo patratæ rei, super qua interrogabitur, *aperte*, *manifesteque fateatur*, utrum scitu, vel auditu, rem ipsam, ac causæ merita novit? Aut forsitan ab ore illius, qui facinus (de quo agitur) perpetravit, ejusdem seriem accepit? *Simplici* enim *auditui locus dari non solet*, *neque debet*. Sed, proh dolor! plurimi hoc tempore, dum *abundat jam iniquitas*, & *non refrixit modo*, *verum etiam extincta est multorum charitas*; non eo, prout ipsis constat, ordine, vel modo, sed juxta nutum, voluntatemque Actoris, aut in causam attracti, per quem scilicet vocati fuerint, maculata, coinquinataque conscientia, testimonia proferunt. Id que ita fieri, ego ipse conspexi.

§. 6.

§. 6. QUARTO, advertenda est testium *Conditio*: Utrum videlicet *Nobilis*, vel *rusticus* testimonium veritati perhibeat? Nam *rusticana attestatio* (demptis Officialibus Dominorum Prælatorum, & Baronum, ac aliorum Regni Nobilium, in personis eorum, officia in vicinitate tenentibus: Qui juxta antiquorum consuetudinem, in hac parte pro personis Nobilibus reputantur) *contra personam Nobilitarem nihil valet.* a) Nisi forsitan meritis causæ ita exigentibus: per Judicem, ut Nobiles, & ignobiles pariter examinentur; claro sermone fuerit descriptum, atque commissum. Hoc tamen raro, & non nisi partibus sic volentibus, ac consentientibus, fieri, & admitti consuevit.

§. 7. Rustici enim, & plebeæ conditionis homines tum donis, tum terroribus longe facilius, citiusque; quam Nobiles, a tramite veritatis abstrahi possunt.

§. 8. Et alias inconveniens, incongruumque videtur, Nobilem, tanquam superiorem, testimonio inferioris, scilicet rustici, sententia capitali plectendum judicari, vel aliter condemnari debere: Prout vetusta, & approbata Regni hujus, super ea re, consuetudo, apud omnes fere Judices, & Advocatos nota, manifestaque habetur.

§. 9. QUINTO, & ultimo, in celebratione Communis Inquisitionis requiritur *Juramenti Depositio*? §. 10.

a) Hodie tamen admittitur. Sed qualiter; Vid. art. 35. 1729.

§. 10. Quæ licet prima fronte a testibus exigenda sit, primumque locum etiam inter conditiones prædeclaratas sortiri debeat; quia tamen hæc conditio vulgata nimis, & manifesta est, ac in literis quoque adjudicatoriis Judicum, super ipsa Communi Inquisitione conficiendis, expresse semper describitur; & alias quælibet Communis Inquisitio, Juramenti Depositione terminatur (prout clare inferius declarabitur) ideo ultimo illam posui.

Qualiter sint examinandi testes in Communi Inquisitione? Et de pœna eorum, qui vocati ad testificandum, venire recusant.

TITULUS 28.

NEcessarium itaque est, quemlibet testium, antequam fateatur, super eo Juramentum A) deponere: Quod ipse *omni timore, odio, favore, amore, & præmio litigantium remoto*, ac postposito, *veritatem non celabit, falsitatem non justificabit, justitiam non falsificabit: Sed prout res illa, de qua examinabitur, sibi nota est, vel constat; juste declarabit.* B)

§. 1. Et ne quispiam ejuscemodi attestatione, dicendaque veritate, favore forsitan partis alterius allectus, vel munere corruptus, sive me-

A) Olim non prius ad testificandum admittebantur, quam peccata sua Sacramentali Absolutione expiaverint. Colom. lib. 1. cap. 29.

B) Nempe juxta tenorem *Literarum Compulsoriarum*, & juxta *puncta Deutri*, sibi proponenda.

metu perculsus, aut odio interno tactus, se abstrahere, & occultare possit; tum vigore Generalis Decreti nostri, tum vero Consuetudine antiqua, & longo tempore observari solita dictante; Comes, aut Vice-Comes Parochialis illius Comitatus, ubi Communis ipsa Inquisitio celebratur, & peragitur, per literas Judicis Ordinarii adjudicatorias; vel etiam alias super ea re duntaxat præceptorie *emanandas*; requisitus, quoslibet Nobiles ejusdem Comitatus, sub onere *sedecim Marcarum gravis ponderis*, quamlibet Marcam per *quatuor florenos*, vel quadringentos Denarios computando; per eundem Comitem, vel Vice-Comitem super eos, qui admoniti, ac requisiti attestationi hujusmodi interesse, inibique testimonium veritati perhibere recusaverint, *immediate & irremissibiliter* A) exigendarum, ad ipsam eandem attestationem, & Communem Inquisitionem peragendam, convocandi, aggregandique plenariam habet potestatis facultatem.

Quod

A) Ac rescissis cunctis Juridicis Remediis. Vid. a. 49. 1635. Kitt. c. 7. q. 17. & seq. Et hæc. mulcta in rata medietate cedit Exponenti: In altera vero Judici, ad cujus mandatum fateri quis noluit. cit. a. 49. 1635. In Foro autem Ecclesiastico, Testis fateri recusans, compellitur per Censuras Ecclesiasticas: Ita *Stylus Compulsoriar.*

Quod duplici ratione solent Nomina Testium in Literis Relatoriis conscribi.

TITULUS 29.

NOmina autem, & cognomina Testium; & quis eorum *Vicinus*, ac quis *Commetaneus*, aut *Comprovincialis* fuerit; A) in literis Capitularibus, vel Conventualibus, B) super celebratione ipsius Communis Inquisitionis *Relatoriis*, semper sunt perscribenda. Et hoc, duplici ex ratione.

§. 1. PRIMO, quoniam attestationes duorum, vel trium vicinorum, ac commetaneorum, plusquam viginti Nobilium comprovincialium in Judicio valent, & ponderant: Qui longe verius, meliusque, quam Nobiles comprovinciales, super meritis causæ, ac gestæ rei serie, propter propinquitatem possunt esse certiores.

§. 2. SECUNDO, ut Testium nominibus, simul & attestationibus declaratis, litigantium quilibet, exceptiones pro se necessarias, aut de *perjurio*, vel *mala Testificatione*, aut *infamia*, vel *ætate*, contra eos, quos voluerit, & digne poterit, c) facere, & opponere queat.

§. 3.

A) Nomen, & Cognomen Testium in quavis Inquisitione; quis autem Vicinus, Commetaneus; aut Comprovincialis fuerit; solum in Communi Inquisitione necessario annotatur.

B) Aut ubicunque emanandis, seu conficiendis: Alias Relatoriæ non subsistent. *Prax.*

C) Etiam post Authenticationem, & reportatam quoque Communem Inquisitionem, si prius non potuit. *Com. Syst. hic.*

§. 3. *Ne* præsertim *perjurium*, si quod *in attestatione* A) per quempiam (prout jam crebro fieri solet) commissum fuerit, *impunitum* prætereat: Nam & juxta Sapientem; *Testis iniquus non erit impunitus*, qui & contrà DEUM graviter peccat, ejus Justitiam denegando, & proximum suum damnificat, iniquo Testimonio ipsum decipiendo.

De pœna Perjurorum, & Aucariorum, Ludas *appellatorum.*

TITULUS 30.

UNDE justo DEI, & humano Judicio, quilibet fidefragus, & perjurus (quem nos communi vocabulo *Aucarium*, B) hoc est, *Ludas* appellamus) acriter est puniendus.

§. 1. Amittit enim (ubi de perjurio fuerit convictus) universa, & quælibet Jura sua possessionaria, atque cuncta bona mobilia, ubilibet adjacentia, & quocunque nomine nuncupata.

§. 2. Imo proprietate bonorum suorum privabitur, & perpetuo carebit.

§. 3. Et non solum his exhæreditabitur; sed etiam in persona sua (amisso humanitatis honore) tanta ignominia afficietur; ut inter alios Chri-

A) Coram Judicio authentice excepta, vel in Communi Inquisitione facta. *Com. Syst. hic.*

B) Ex voce Hungarica *Oke*, sive *Eoke*, qualiter *Anseres*, in quibusdam Regni Partibus ad pabulum vocantur: Inde vulgariter *Ludas*; id est: *Anserini* dicti, ob garrulitatem, & lubricam fidem.

Christicolas, tanquam ab humanitate relegatus, atque segregatus, disparibus vestibus indutus, zona canabea succinctus, discalceatis pedibus, & nudato capite, semper incedere cogatur.

§. 4. In Judicio vero ipse contra neminem; adversus autem eum quilibet agendi habebit auctoritatem.

§. 5. Et hoc intellige, respectu Jurisdictionis sacræ Coronæ Regni, A) & contra Principem nostrum fieri. Nam adversus Actorem, solummodo in Homagio, & *emenda capitis*, sui, *ducentos florenos* faciente, perjurus, & fidefragus solet condemnari.

§. 6. UBI sciendum, quod perjurium duobus modis committi intelligitur. PRIMO modo dicitur: *Transgressio liciti Juramenti*, quando videlicet quispiam promittit aliquid alteri fide mediante, se daturum, vel hoc, & id facturum, B) & deinde promissionem hujusmodi transgreditur. Et hoc casu, præmissa infamia, & bonorum amissio, non semper sequitur. Nam per validam ægritudinem, ac viarum discrimina, & temporum disturbia, C) promittens ipse sæpenumero super his excusatur: Nihilominus

A) Id est: prædictas pœnas tunc præcipue incurri, quando *Aucarius* contra Jus sacræ Coronæ, & in damnum successionis ejusdem, falsum testimonium perhibendo, convictus est de Perjurio. *Com. Syst. hic.*

B) Adde: *Aut omissurum.*

C) Aut alias rationabiles causas, vel impedimenta moraliter immovibilia.

tamen promissum adimplere, & observare compellitur. A)

§. 7. SECUNDO modo, perjurium dicitur: *Mendacium Juramento firmatum, in fraudem, & periclitationem Jurium cujuspiam, malitiosè commissum.* Et hoc modo, *pœna Aucariorum* prædeclarata, semper decernitur, atque pronunciatur.

Quod celebratio Communis Inquisitionis binario numero B) *fieri non admittatur.*

TITULUS 31.

ADvertendum est autem, quod, ubi semel Communis Inquisitio per utramque partem celebrata fuerit, turbatione notoria non interveniente; tunc secundario causa ipsa ad requisitionem alicujus Partis, ad eandem Communem Inquisitionem submitti non debet: Prout nonnulli, exquisitis diversis objectionibus, & coloribus fieri, & submitti debere sæpe moliuntur.

§. 1. De reliquis autem clausulis celebrationis, atque etiam turbationis, Comunis ipsius Inquisitionis; in Decretis Generalibus c) manifestam, claramque habemus descriptionem.

Qua-

A) Quia, *Promissum cadit in debitum*: ut ait Rubrica cap. 45. lib. 2. S. Steph. Reg.

B) Id est: bis, non admittitur: In eodem scilicet Processu. Quare *penes novum*, alia vice admitti poterit. *Com. Syst.*

c) Math. Decr. 6. art. 14. Confer. etiam Kitt. Dub. 62. & seqq.

Qualiter post Communem Inquisitionem, & etiam prius, litigantibus Juramenta decernantur?

TITULUS 32.

SCiendum ulterius, quod omnis communis Inquisitio, juramentali depositione terminatur. A)

§. 1. Si enim Actor intentum suum, atque actionem, & acquisitionem suam, sufficienti testimonio, hoc est; *sex vicinorum*, & *totidem commetaneorum*, atque *duodecim* Nobilium *comprovincialium* attestatione comprobaverit; aut si tot præcise vicinos, & commetaneos habere non poterit, nihilominus tamen, testimonio comprovincialium hujusmodi defectum bene supplebit; & si in causam attractus, in comprobctione sua defecerit, vel etiam modicum quid probaverit; tunc Actor, ad caput in causam attracti, *quinquagesimo se Nobilibus*, juxta scilicet Homagium suum, jurabit.

A) Præsentem Titulum, de se sat confusum, accurate declarat Kitt. c. 6. q. 12. ac. 15. & seqq. Hodie tamen, dispositio hujus legis magnam partem immutata est, per artt. 26. 27. & 30. An. 1729. Imo jam a. 23. 1613. modus deponendorum Juramentorum, hic præscriptus limitatus est iis verbis: *Cautus sit Judex in impositione Juramenti pro varietate Casuum: ut ita decernat Juramentum; ne aliqua Partium, majori Juramento, quam meritum causæ exigit, oneretur.*

§. 2. Si vero utraque Partium, actionem, ac responsionem suam, sufficienter verificaverit; tunc reo, vel in causam attracto, juxta vigores literarum Inquisitionalium, per Actorem tempore adjudicationis (quo ad Communem hujusmodi Inquisitionem causa submissa fuerat) productarum, & exhibitarum; Juramentum præstandum adjudicatur: Ita, quod si *trinæ literæ inquisitoriæ* fuerunt productæ, tunc reus, *quinquagesimo*: Si vero *binæ*, *vigesimo quinto*: si autem *unicæ* duntaxat; *duodecimo* se Nobilibus jurabit, & se ab actione, acquisitioneque Actoris expurgabit.

§. 3. UBI vero attestatio, pro parte in causam attracti, meliori modo, quam Actoris facta, celebrataque fuerit; tamen etiam Actor aliquid probaverit; tunc reus secundum *trium* literarum Inquisitoriarum vires, vigesima quinta; *duarum* vero duodecima; *unicarum* autem sexta Nobilium adhibita manu, sacramentum præstabit, & se ab impetitione Actoris eliberabit.

§. 4. Si autem Actor in Attestatione sua per omnia defecerit, vel forsitan Communem ipsam Inquisitionem neque celebraverit; tunc reus ille simpliciter ab impetitione Actoris absolvi debet.

§. 5. Et e converso, si in causam attractus, Communem hujusmodi Inquisitionem celebrari omiserit; aut forte celebrationem ejus peregerit, sed pro sua parte nullum testimonium reportare poterit; tunc sententia mox diffinitiva,

ex-

exinde per Judicem contra reum pronuncianda erit. Et in reliquis quoque cunctis Evocationibus idem est sentiendum, atque faciendum.

§ 6. Quodsi Actor *trinas* literas Inquisitorias produxerit, & reus proposita adversus eum simpliciter negavit; *quinquagesimo se* Nobilibus jurabit. Et insuper, si in facto occupationis Jurium possessionariorum causa mota fuerit; Actor de facto bona occupata pro se recuperabit.

§. 7. Si autem negaverit, & se immunem esse, Communi præmissa Inquisitione mediante declarare voluerit; Actor autem eandem Communem Inquisitionem non acceptaverit; tunc attractus *vigesimo quinto se* duntaxat Nobilibus, se expurgabit: Et sic consequenter ad inferiora descendendo: Ut videlicet, contra *binas* litteras Inquisitorias, *duodecimo* contra *unicas* vero, *tertio se* Nobilibus, sacramentum præstabit. Nam istæ quoque *unicæ*, firmitate carebunt; si Actor Communem ipsam Inquisitionem acceptare recusaverit.

§. 8. ITEM, ubi in causam attractus, in primo responsionis termino se Juramento Actoris, ad caput suum, juxta Regni Consuetudinem deponendo, submiserit; & Actor hoc acceptare noluerit; tunc attractus *tertio* solummodo *se Nobilibus* (si etiam tres literæ Inquisitoriæ fuissent pro parte Actoris exhibitæ) sacramentum præstare tenetur.

§ 9. Si autem Juramento ſolius Actoris, hoc eſt: in perſona duntaxat ſua propria dependendo, attractus ſe ſubmiſerit; & Actor hoc quoque acceptare recuſaverit; reus ipſe ſtatim abſolvetur.

§. 10. IN CÆTERIS vero minoribus cauſis, ubi per Actorem nullæ literæ Inquiſitoriæ fuerunt exhibitæ; reus *tertio* ſemper ſe *Nobilibus*: IN FACTO tamen debiti, vel mutui, dum per Actorem nullum probabile documentum poterit produci; reus, vel in cauſam attractus, ſola ſua in perſona jurabit.

§. 11. Ubi autem de facto debiti, vel mutui, vel aliarum pecuniarum amiſſarum, Teſtimonium quidem exciterit allatum; de quantitate tamen ſummæ illius experimentum afferri non poterit; tunc Actor, pecuniam ſuam Juramento mediante, quamlibet ſcilicet Marcam quatuor florenos facientem, Juramento unius Nobilis recuperabit.

§. 12. RURALIS namque, & ruſtica perſona, non niſi ad unum florenum, centum Denarios valentem, jurandi habet facultatem: Quæ in cauſis Nobilium admitti non conſuevit. a)

Utrum

a) De Ignobilibus perſonis ad teſtimonium admittendis; Vid. a. 26. 1729.

Utrum Juramentum Nobilis penes Rusticum, & e contra, in recuperatione damnorum valeat?

TITULUS 33.

UNDE quæritur; utrum Juramentum Nobilis pro damnorum, vel debitorum recuperatione penes rusticum, & ignobilem præstitum, censeatur tantæ efficaciæ, & virtutis esse, quantæ si Juramentum penes Nobilem depositum; aut in vim duntaxat rusticani Juramenti transeat?

§. 1. ET ECONTRA; an Nobilis quispiam, Juramentis cum rusticanis, secundum facultatis eorum exigentiam deponendis, sua damna, vel debita possit recuperare?

§. 2. DICENDUM, quod Juramentum Nobilis tam penes Nobilem, quam etiam Ignobilem præstitum, semper valeat: Et semper ejusdem est efficaciæ, atque virtutis, dummodo juste, legitimeque deponatur. Nam per Juramenti depositionem justo modo factam, infamia non sequitur: Et per hoc, neque Nobilis quispiam dignitati suæ Nobilitari renunciasse dignoscitur.

§. 3. Verumtamen Juramentum Ignobilis, & rustici, tanquam inferioris, penes Nobilem, & contra Nobilem, veluti superiorem, non valet, neque admittitur: a) licet Nobilis con-

a) In causis mere *Civilibus*, ut Damnorum, Depositorum, violentiarum, &c. Personæ etiam ignobiles

tra Ignobilem, cum Ignobilibus jurare permittatur.

§. 4. Et rusticus quoque, per eum, in causa contra Nobilem, ratione forsitan debitorum, vel aliorum similium negotiorum, mota; cum Ignobilibus sibi similibus, juxta Judicis deliberationem, Juramentum præstandi habeat facultatem. Super Juramentis tamen, in causis Nobilium imponendis, & deponendis, modo præallegato semper est sentiendum.

De Juramentis, in facto literalium Instrumentorum decernendis, & imponendis.

TITULUS 34.

ADvertendum deinde est, quod super facto literarum, ac literalium Instrumentorum, per quemlibet occultatorum, vel aliter apud manus cujuspiam habitorum, reo, & in causam attracto; validior expurgatio, quam in aliis actibus potentiariis imponitur. A)

§. 1.

biles (bonæ tamen famæ, & existimationis, ætatisque legaliter requisitæ) contra, & pro Nobilibus, hodie, deposito prævie Decretali Juramento, in testes assumuntur: In causis tamen *Criminalibus*, non nisi tunc, quando veritas aliter elici nequit. Ita art. 26. 1729. Per quam novellarem Legem, ut vides, reformata est, & modificata dispositio hujus Tituli, & plurium aliorum, quoad Juramentum Rusticanum.

A) Etiam hujus Tituli dispositio, per Artículos recentiores, magnam partem est immutata. Itaque moder-

§. 1. Nam si Actor unicam duntaxat, vel duas ad maximum literas Inquisitorias super ea re produxerit, *quinquagesimo*; si vero nullas prorsus exhibuerit, sed simplici duntaxat verborum prolatione, vel juridica admonitione, quempiam literalia ipsa Instrumenta habere adstruxerit; denique *vigesimo quinto se Nobilibus*, Juramentum reo deponendum adjudicatur. A)

§. 2. Qui si in depositione hujusmodi sacramenti defecerit; tunc Tutor, & Expeditor illorum bonorum, ac Jurium possessionariorum, super quorum literis jurare non potuit; esse declarabitur: Et Actorem, suosque hæredes, in Domino eorundem Jurium possessionariorum, adversus quoslibet causidicos, & legitimos impetitores, semper conservare tenebitur. B)

§. 3. In literis tamen Evocatoriis, literalia illa Instrumenta, quæ, & qualia existant,

derno tempore considerandi, & observandi in repetitione literalium Instrumentorum sunt, art. 14. 1622. a. 75. 1622. a. 43. 1659. Et hi Articuli sonant de talibus, qui pro extraneis reputantur, proinde qui a successione Bonorum sunt alieni: Qui enim per successionem Bonorum literalia Instrumenta ad manus recepe.unt, & illa Fratribus, vel Sororibus denegant; pœnæ proditionis fraterni sanguinis sunt obnoxii. p. 1. t. 38. & *Com. Syst. hic,*

A) Non amplius observatur iste 50. aut 25. Conjuratorum numerus. *per artt. citt.*

B) Hæc pœna *Perpetui Evictoratus*, confirmatur per a. 14. 1622. Et exercenda est ad mentem *tit.* 74. *p.* 1. ita tamen, si ad evincendum, legitime evocetur.

expresse debent denotari: A) Ne fraus in Evocatione per Actorem committatur.

§. 4. ET Hoc, si universas literas, & quælibet literalia Instrumenta, factum aliquorum Jurium possessionariorum tangentia, & concernentia, apud reum existere non proposuerit: Nam isto casu non erit necessarium, literarum numerum, vel qualitatem; B) sed Jurium duntaxat hujusmodi possessionariorum nomina, situsque describere; ubi enim omnes, vel universas proponit; ibi nullas excipit.

§. 5. Et si universas posuerit; caveat Actor, ne aliquas, factum talium Jurium possessionariorum tangentes literas postea producat, vel exhiberi faciat: Nam in facto calumniæ hoc casu mox convincetur.

§. 6. SCIENDUM deinde est, quod, si plures fuerint fratres carnales, vel aliter indivisi, literas, ac literalia Instrumenta adversus fœminei sexus homines, in Judicio contradictorio (prout plerumque contingit) producentes, & exhibentes; tunc non omnibus fratribus singillatim, sed solummodo *natu majori*, ad quem utpote tam literalium instrumentorum conservatio, quam etiam causarum directio pertinere dignoscitur; *quinquagesima manu*, hoc est: *quinquagesimo se* Nobilibus, Juramentum adjudicari debet.

In-

A) Sufficit tamen hæc declaratio: *Literalia Instrumenta, Me, & Bona hæc, vel illa* (addendo eorum nomina) *tangentia. Com. Syst.*

B) Quia sub genere quælibet species continetur.

In quibus casibus sint præscribenda nomina conjuratorum.

TITULUS 35.

ADvertendum quoque est, quod in juramentali depositione, in quatuor casibus, videlicet: Super facto probationis genealogiarum: ac literarum, & literalium Instrumentorum: Item metalium Reambulationum: Nec non ad capita quorumpiam fienda, atque præstanda; *nomina conjuratorum* A) in literis exinde Relatoriis conscribi debent semper, & declarari. B)

§. 1. Ut veris cum Nobilibus, & juxta judicis commissionem Juramentum ejuscemodi depositum fuisse comprobetur.

§. 2. In cæteris autem sacramentorum depositionibus conjuratorum nomina non sunt ex necessitate conscribenda. C)

De

A) *Conjuratorem* Canonistæ vocant *Conpurgatorem*. De quo Vid. passim AA. *de purgat. Canonic.* Differt autem a *Teste*: Quod iste jurare debeat *de Veritate*, h. e. Super eo; quod visu, vel auditu percipit: Ille autem *super Credulitate*, quia jurat; quod credat, Principalem suum juste juravisse. Vid. Kitt. c. 6. q. 24.

B) Maxime scilicet in prænotatis 4. casibus: nempe 1. In comprobatione Genealogiæ. 2. In repetitione literalium Instrumentorum. 3. In metali Reambulatione. 4. In depositione Juramenti super caput alicujus. Nam alias, de Praxi, & consuetudine nostra; nomina Conjuratorum, in literis Relatoriis, *in quovis casu* sunt connotanda.

C) Nunc praxis fecit necessitatem.

De pœna ejus, qui alterum ignobilem, *vel* infamem *dixerit. Et de diversis exitibus Juramentorum.*

TITULUS 36.

ITEM, si quispiam adversus conjuratores, vel alterum illorum, exceptiones in quatuor præmissis casibus fecerit; quod conjurator ipse, aut *verus* non esset *Nobilis*, & meræ Nobilitatis titulo non fungeretur; aut aliter *Infamis*, A) vel *Perjurus* haberetur; tunc ad declarandam pariter, & verificandam illius Nobilitatem, vel etiam propellendam ejus infamiam, unicus tantummodo terminus Actori præfigi juridicus debet, & assignari.

§. 1. In quo, si ipsum *verum* esse *Nobilem*, B) literali fulcimento; ac *honestæ conditionis* hominem, alio quoque probabili documento poterit comprobare; tunc reus, qui exceptionem fecerat, *in Homagio illius conjuratoris*, contra quem objecerat *ducentos florenos auri* faciente, C) eidem solummodo conjuratori persol-

A) Quid sit *Infamia Facti & Juris*: & quot modis juxta Leges Patrias hæc incurratur; Vid. *in Tyroc. Juris Ung ad h. t. §. 2. & seq.*

B) Potest quis se probare verum, ac Indubitatum *Nobilem*, non solum literali Instrumento; sed etiam alio probabili documento, id est: per Comitatus, vel aliorum sufficientes Testimoniales. *Com. Syst.*

C) Si cilicet Conjurator erat *Nobilis*: Nam 200. flor. sunt Homagium Nobilis. Si vero *Ignobilis*, se honestæ conditionis hominem esse comprobavit; infa-

ma-

solvendo, de facto a) convinci debet, & aggravari.

§. 2. Super quibus, Judex ipse Ordinarius, coram quo ejuscemodi causa tractatur, de bonis, & rebus mobilibus ipsius opponentis; & si necessarium erit, de Juribus ejusdem possessionariis, ubilibet adjacentibus, conjuratori illi, *mox*, & *indilate* satisfactionem impendere tenetur. b)

§. 3. Si vero in comprobatione præmissa succubuerit; tunc opponens ipse causam illam pro se obtentam habebit.

§. 4. Ita; ut si in causam attractus fuerat; caput suum eliberabit, & se ab impetitione Actoris salvabit. Si autem Actor erat; reum, bonorum illorum, literas, quas occultavit, & non restituit, expeditorem (ut immediate prædeclaratum est) perpetuo habebit. VEL si prætextu metarum causa ventilabatur; terram litigiosam in sempiternum pro se vendicabit. Si vero in probatione genealogiæ succubuerit; Jura possessionaria, pro quibus agebatur, amittit, & e converso.

§. 5.

mator solvet duntaxat 40. flor. cum hæc sit pœna homagialis ignoblium.

a) Id est: ipso facto. sine ulteriori processu: per sententiam Judicis interlocutoriam.

b) Kitt. c. 6. q. 29. & seq. Porro, pœna homagialis hujus Tituli, a 4. casibus hic recensitis; ob identitatem rationis, extenditur *per Prax m*, et am ad alios casus, & causas. Cum eadem sit Ignorantia, sive testem repellas objectione infamiæ, in hac, sive in illa Causa, & Processu.

§. 5. IN CÆTERIS vero casibus, si Actor in Juramentali sua depositione succubuerit; actionem, & acquisitionem suam amittit. Si vero reus defecerit; tunc in actione, & acquisitione contra se per Actorem proposita convincetur, & per Judicem sententia contra eum proferetur eo facto.

Quomodo Juramentum Patris, tempore medio decedentis; in Filium, vel Fratrem condescendat?

TITULUS 37.

HOc quoque non prætermittendum est, quod, si quempiam Actorum, vel attractorum, cui scilicet Juramentum quodcunque præstandum fuisset adjudicatum, infra terminum juramentalis hujusmodi depositionis, ab hac luce decedere contigerit; & forte uxorem prægnantem post se reliquerit; tunc ipsa juramentalis depositio, in filium natu majorem, si filios prius natos habuerit: Illis vero non existentibus in eum, qui tunc nascetur, filium (tempus enim puerperii ipsius mulieris expectari debet) alioquin autem, si non filius, sed filia nascetur; in fratrem propinquiorem illius defuncti, A) in quem

A) Si bona controversa concernant utrumque sexum, & filiæ superstites nullum habeant fratrem condivisionalem ad fururam successionem; tunc utique *filia senior*, cum marito suo, juramentali depositioni obnoxiabitur: *Res enim, & Possessio, cum onere transit*, ut dicitur p. 1. t. 8a. Quæ si innupta foret; expectan-

quem utpote Jura sua possessionaria devolvuntur; condescendet.

§. 1. Et per Judicem suum, terminus ad præstandum ipsum Juramentum filio, vel fratri, de novo dabitur: In quo illud idem filius, aut frater deponere tenebitur.

§. 2. Et, si filius ipse, vel frater, in ætate tenera, & ad sacramenti depositionem nondum sufficienti fuerit constitutus; per Judicem suum ad tanti temporis spatium Juramenti ipsius depositio prorogari debebit; in quo rite, debiteque, legitima illius ætate adveniente, sacramentum hujusmodi deponi valebit.

§. 3. Et de fratribus quoque carnalibus, & indivisis idem est tenendum: Quod altero eorum, tempore medio decedente; A) in alterum Juramenti depositio illius defuncti redundabit.

Utrum unus Conjuratorum possit plures personas, in eadem causa, Juramento suo expurgare?

TITULUS 38.

ITEM, quæritur; si una, eademque actione, in causam attracti plures fuerint, & per Judicem

standa est, donec emaritetur: Nam Tutores, vel Curatores, id haud præstare posse videntur: Cum juramentalis depositio sit onus personale.

A) Vel si interim fiat *furiosus*, vel *mente captus*: Cum tales ab administratione Bonorum removeantur: sensu tit. 55. p. 1. Nisi tamen habeat lucida intervalla, præsertim longiora.

cem Ordinarium, unicuique illorum, ſacramentum diverſo tempore, & loco præſtandum (prout plerumque propter loci diſtantiam, & rei, temporisque exigentiam fieri conſuevit) adjudicatum fuerit, atque unus conjuratorum in primo termino penes unum attractum juraverit; utrum in eadem, & pro eadem actione, poſſit etiam penes alterum reum, vel attractum, in alio tempore, & loco, ſacramentum pro illius expurgatione deponere?

§. 1. RESPONDE, quod non. Quia una perſona, vel unus conjurator, ſuo Juramento, præter unam perſonam, in una, eademque actione, liberare, & expurgare non poteſt.

§. 2. Nam ſi jurare, & plures perſonas expurgare poſſet; facillime quilibet reus, aut malorum actuum patrator, ſe ab impetitione Actoris liberaret. Hodie enim unum, & craſtina luce ſecundum, tertia vero die tertium, & ſic conſequenter; Juramento ſuo, etiam pretio conductus, expurgaret.

§. 3. Unde, ſi quando talis conjurator penes duas perſonas poſt ſeſe jurabit: tunc illa, penes quam ſecundario juravit, in actione, & acquiſitione Actoris eo facto condemnabitur: Juramentum enim illius, per hoc ſufficienter depoſitum fuiſſe declarabitur. a)

Quod

a) Cum quot enim Conjuratoribus alicui Parti Juramentum adjudicatur; cum totidem jurare debet: ſecus enim ſententiæ judicis non ſatisfacit, & ſic in proba ſua deficit.

Quod Princeps noſter nec capitalem ſententiam incurrere poteſt; nec Juramentum contra quempiam per ſe præſtare; ſed neque Jura producere tenetur.

TITULUS 39.

ITEM, advertendum eſt, quod Regia Majeſtas, in præſentia Domini Palatini A) hujus Regni, cunctis querulantibus, atque cauſantibus Juri quidem ſtare, & per Directorem cauſarum ſuarum B) reſpondere tenetur.

§. 1. In ſententia tamen capitali, vel emendæ capitis, aut amiſſione bonorum ſuorum convinci *non ſolet:* C) Sed damna duntaxat, per Officiales, D) aut Jobagiones ſuos, quibuscunque illata refundere debet.

§. 2. Si quando vero ratione terrarum in metali Reambulatione, & rectificatione, vel prætextu aliorum negotiorum, aut actuum potentiariorum, Juramentum ſibi præſtandum adjudicabitur; tunc ipſe Director cauſarum ſuarum, in Majeſtatis ſuæ perſona, illud juxta Palatini deliberationem deponere tenebitur. E)

A) Hodie coram Tabula ſua Judiciaria. De Authoritate *Palatini*, Vide articulos de officio Palatinali pronunciatos, poſt Math. Reg. Decr. 5.

B) Seu Fiſcalem ſacræ Regni Coronæ.

C) Imo nec poteſt. Conſuetudo enim hæc jam in Legem abiit.

D) De officialibus, bona Regia adminiſtrantibus; Vid. art. 27. 1556.

E) Tempore tamen Coronationis ſuæ, Rex perſonaliter jurat. *Conſtitt. Diplomatt. Regg. & Prax.*

§. 3. Literas etiam, & literalia Instrumenta, ratione quorumcunque bonorum, ac Jurium possessionariorum, quæ ad Jurisdictionem ipsius sacræ Coronæ Regni, quocunque titulo devoluta A) dicuntur; producere, & exhibere nusquam tenetur. B)

De modo Juramentorum Dominorum Prælatorum, & Baronum, ac Abbatum, & Præpositorum Infulatorum.

TITULUS 40.

SCiendum est autem, quod quilibet Prælatus, & Baro ex officio, Abbasque, & Præpositus Infulatus, & Annulatus, C) *pro decem* personis *Nobilibus*, ratione suæ dignitatis, habet jurandi potestatem.

§. 1. Prælatus autem, & Abbas, ac Præpositus D) in Ecclesia sua Cathedrali, *ad conscien-*

A) Et hoc intellige; de Bonis ad Fiscum devolutis, & jam possessis. Ubi enim Fiscus Reg. Actoris officium gerit; actionem, & assertionem suam docere, non secus, ac alius quiscunque, tenetur. *Com. Syst.*

B) Nec quidquam contra aliquem probare obligatur. Kitt. c. 1. q. 4. n. 6. Plura Fisci Regii Privilegia, & exemptiones; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

C) Præpositi vero non Infulati, Canonici, Archi-Diaconi, &c. jurant instar unius Nobilis: Quamvis fors de Nobili Prosapia non sint orti. Similiter ex statu Politico, præter Regni Barones; omnes Magnates jurant ut privatæ personæ.

D) Præsertim in loco Ecclesiæ Cathedralis, cui adstrictus tenetur, coram Testimonio Capituli, vel Conventus, per Judicem deputandi.

scientiæ suæ puritatem, a) coram Testimonio alicujus Capituli, vel Conventus, per Judicem ad id deputandi: Cæteri autem sui conjuratores; & item omnes Barones, atque Nobiles; *ad fidem eorum DEO debitam*, in loco ad id per Judicem deputato, sacramenta præstare tenentur.

§. 2. Et proinde, etiam *Homagia* ipsorum Dominorum Prælatorum, & Baronum, ac Abbatum, & Præpositorum Insulatorum; *ad centum Marcas*, quadringentos florenos facientes, se extendunt.

Quid sit Oculata Revisio? *& qualiter celebrari debeat?*

TITULUS 41.

ITEM, habita Communis Inquisitionis, & Juramentalis Depositionis inde subsequendæ descriptione; super Oculata jam Revisione breviter dicendum, atque differendum restat.

§. 1. EST autem *Oculata Revisio; violenti occupatoris aliquorum Jurium possessionariorum, in Dominio eorundem existendi*, b) *visibiis ostensio.*

a) Jam nunc quicunque *Ecclesiastici*, & *Personæ Spirituales*, velut alioquin Lege Regni privilegiatæ, dum Testimonium in quocunque negotio perhibent, jurant more Prælatorum: *Ad conscientiæ suæ puritatem* Et hoc; jam a seculo, & ultra, teste Kitt. c. 7. q. 7. Porro, D. Archi-Episcopus Strigonienſis, uti etiam Prior de *Lövöld*, ex antiquo Privilegio, jurant per suos Officiales. a. 64. 1550. & Kitt. Dub. 70.

b) Id est: Existentiæ.

§. 2. Quæ eodem modo, quo communis ipsa Inquisitio (vicinorum videlicet, & commetaneorum, Jurium, ac bonorum occupatorum, Nobiliumque comprovincialium illius Comitatus, A) ubi ipsa bona adjacent) convocatione pariter, & testificatione celebrari consuevit.

§. 3. Præter hoc, quod Actor oculata fide, visibilique demonstratione, Regio, aut Palatinali, Capitularique, vel Conventuali homini, reum, sive in causam attractum, in Dominio bonorum male occupatorum existere, debet comprobare, & attestatione ipsorum vicinorum, ac commetaneorum, Nobiliumque comprovincialium, roborare. B)

§. 4. Post hujusmodi autem Oculatam, visibilemque Revisionem, & demonstrationem: attestatio eorundem vicinorum, & commetaneorum, ac Nobilium comprovincialium, *plerumque*, in loco Sedis Judiciariæ (sicuti in Communi Inquisitione) & sæpenumero in facie Jurium possessionariorum litigiosorum, & occupatorum, prout scilicet causæ meritum exigit; fieri, atque celebrari debet.

§. 5.

A) Aut etiam vicinorum Comitatuum: ut habet prax. & Kitt. c. 7. q. 3.

B) Oculatam Revisionem turbans, incurrit actum majoris potentiæ. Ulad. D. 5. a. 5. Qui vero tunc repulsione utitur; præter pœnam dicti actus, etiam in amissione causæ, ipso facto convincitur. Math. D. 6. a. 16.

§. 5. UBI SCIENDUM, quod Oculata Reviſio (quia, *quod viſu noſcitur, veriſſimo Teſtimonio comprobatur*) longe majoris efficaciæ, & virtutis eſt, quam ſola communis Inquiſitio.

§. 6. Nam poſt celebrationem per utramque partem Communis inquiſitionis, juramentalis (ut prædeclaratum eſt) depoſitio ſequitur. Poſt Oculatum autem Reviſionem, ſi Actor actionem, & acquiſitionem ſuam Oculata ipſa Reviſione verificaverit, & dictorum Nobilium atteſtatione ſufficienter roboraverit; tunc nulla juramentalis depoſitio per Judicem alicui partium decernitur: Sed *mox*, & *immediatè* contra reum ſententia capitalis, vel emendæ capitis profertur, & pronunciatur, A) Executionique eadem demandatur.

§. 7. Si tamen Actor in probatione ſua defecerit, etiam in hac parte, ſicuti in Communi Inquiſitione, ut reo ſacramentum præſtandum imponatur, neceſſe erit. B)

A) In cauſis, coram Tabula Regia motis. Nam in cauſis Comitatenſibus hæc pœna non currit: ſed alia, pro diverſitate Exceſſuum, & Cauſarum.

B) In quibus præterea Cauſis, ac Negotiis, oculata Reviſio apud nos locum habeat; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

De Sententiarum Speciebus, ac Diversitatibus, & Executionibus.

TITULUS 42.

QUia vero de capitali sententia mentio facta est; ideo de sententiarum *diffinitione*, *speciebus*, *Executionibus*, & *diversitatibus*, hoc loco tractandum decrevi. A)

§. 1. SENTENTIA igitur, in quantum propositum nostrum tangit, *est Judicis definitio, causæ, & controversiæ finem imponens, condemnationemque, vel absolutionem continens.*

§. 2. Quæ licet multa etiam alio sensu habeat significata; multisque capiatur modis; B) quia tamen proposito nostro ea significata non quadrant, silentio præterire censui.

§. 3. Differt autem *Sententia* ab *Opinione* in hoc; quod *Sententia* est indubitata, & firma responsio: Sed *Opinio*; est cum quadam dubitatione (licet probabili causa) responsio. UNDE, si variæ fuerint opiniones de aliqua causa; tunc illa erit tenenda, quæ meliori, & subtiliori fundabitur ratione. C)

§ 4.

A) Confirmatur hic Titulus, a. 26. 1655.

B) *Sententiam*, Practici nostri usitatius *Deliberationem* vocant. Et in Criminalibus; sæpe de Jure nostro significat etiam *pœnam* deliberative impositam: ut cum dicimus: *Convictus est in sententia Capitali*, i. e. in amissione Capitis.

C) Quod Judex relicta *probabiliori*, sententiam ferre non possit, juxta opinionem *minus probabilem*; patet ex Propositione secunda, per Innocentium XI. P. M. damnata.

§. 4. UNDE Sententiarum aliæ sunt, A) *Capitales*: Aliæ *Emendam capitis* tangentes: Aliæ *Notam infidelitatis* repræsentantes: Aliæ vero *Simplices*: B) Et aliæ *Emendam linguæ*, vel *Calumniam* denotantes.

§. 5. CAPITALIS itaque Sententia, nostro hoc ævo, non nisi ratione invasionis domorum, ac interemptionis, c) verberationis, & sine justa causa detentionis Nobilium: Præterea prætextu occupationis quorumlibet Jurium possessionariorum, & eorundem pertinantiarum, quocunque nomine censeantur; decerni solet, & pronunciari.

§. 6. Et talis Sententia Capitalis solummodo personas seculares, virilis sexus, & *alienas a sanguine*, D) respicit, atque tangit. Nam inter, & contra Ecclesiasticas, nec non

A) Sæpe Sententiæ apud nos specificantur per diversitatem Causarum. Hinc præter hic recensitas, aliæ dicuntur: Facti, Honoris, aut Infamiæ: Aliæ, Violationis Sedis Judiciariæ: Aliæ, Emendæ linguæ: Aliæ, *per non venit*, quæ in eos feruntur; qui legitime citati, nec per se, nec per Procuratores, in loco Judicii comparent; proinde ob Contumaciam, & *non venientiam*, ad instantiam Actoris comparentis, in totali actione convincuntur.

B) Quæ nempe, in Causis Jurium possessionariorum, Violentiarum, & hujusmodi Civilibus pronunciantur. Kitt. c. 9. q. 4.

C) Adde: *Vulnerationis*, juxta Ulad. Decr. 4. a. 13.

D) Scilicet: *præter notam Infidelitatis*, in p. 1. t. 14. expressam. Nam in Nota; intuitu Jurisdictionis sacræ Regni Coronæ, etiam contra Fratres Generationales; Capitalis Sententia fertur. *Com. Syst.*

muliebris, & fœminei sexus personas, ac fratres generationales; Capitalis sententia (demptis casibus *infra* declarandis) non decernitur, neque pronunciatur. Sed solummodo sententia *Emendam*, hoc est: redemptionem capitis concernens (vetusta de Regni Consuetudine) fertur, & declaratur. Diverso tamen modo, diversarum personarum respectu, prout *infra* patebit. A)

Capitalis Sententia quomodo differat ab Emendæ Capitis Sententia?

TITULUS 43.

SEntentia autem *Emendæ capitis*, B) in hoc tantummodo distat, & differt *a capitali*; c) quod lata ipsa Sententia Emendæ capitis, reus, & convictus, adversus quem fuerit pronunciata, vel etiam *per non venientiam*, & non comparitionem extradata, vigore, & virtute ejus in

a) Agunt de *Sententiis* diversis, præterea p. 1. tit. 14. 16. 20. 49. Et p. 2. titt. 43. 44. 46. 47. 57. 65. 75. plurésque alii. Requisita autem ad sententiæ valorem, cunctasque ejus solennitates; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

b) Sententia h. t. & sæpe alias, pro pœna accipitur. Dicitur autem *Emenda*, seu redemptio *Capitis*, sicut dici solet *Præbenda* Canonicalis, *Agenda* Parochorum, &c. Et pronunciatur in casibus Actus majoris potentiæ, a. 1. 1723. Qui si homicidium involvant; non ad Emendam, sed ad amissionem Capitis, processus institui debet, etiam contra Ecclesiasticos. p. 2. t. 44.

c) Confirmatur præsens Titulus, per a. 26. 1655.

in persona sua detineri, ac captivari, & capitis obtruncatione feriri, punirique non poterit.

§. 1. Verumtamen eodem præcise modo, & ordine, quo per Sententiam Capitalem; universa bona, & quælibet Jura possessionaria, cunctas etiam res suas mobiles, ipsum solum proprie, & præcise concernentes, quocunque nomine vocitentur, & cujuscunque materiei, vel speciei existant (in duabus Judici, in tertia vero partibus Actori, statuenda, & occupanda, atque infra tempus redemptionis eorundem Jurium possessionariorum, titulo pignoris juxta valorem, & exigentiam communis æstimationis ipsorum possidenda) perdit, & admittit eo facto.

§. 2. EMENDAM præterea capitis, hoc est: *redemptionem*, vel homagium suum, A) Prælatus utpote, & Baro, *quadringentos*: Nobilis vero, *ducentos* florenos, *solummodo Actori*, *vel Actrici* B) solvere tenetur.

§. 3. Et primo, ac ante omnia per Judicem super hujusmodi Homagio, de rebus mobilibus, si reperiuntur: Et tandem illis non repertis, si necesse fuerit de Juribus possessionariis convicti, & sententiati hominis, satisfactio impendi, & demum residuitas rerum mobilium, ac bonorum, & Jurium possessionariorum ipsius convicti; inter Judicem, & Actorem, vel Actricem

A) Confer. cum hoc loco p. 2. t. 36. & 67. Item, p. 3. t. 26. & a. 31. 1681.

B) p. 2. t. 70. §. fin. duæ partes pœnæ homagialis, in Calumniatore desumptæ, Judici attribuuntur: & tertia; in causam attracto.

dividi debet, *& tripartiri*, usque ad tempus (ut prætactum est) redemptionis ejusdem, per illos possidenda; rebus mobilibus, in usum eorum libere distributis, atque conversis.

§. 4. Fœminæ præterea, & mulieres, non tantum Jura ipsarum possessionaria, & res mobiles; sed etiam Dotalitia, & Quartalitia ipsarum, per hujusmodi sententiam amittunt.

§. 5. SCIENDUM tamen est, quod etiam contra fœminas, ac mulieres, in casu, quo earum aliqua maritum, vel parentes, aut liberos proprios malitiose occiderit, vel necari fecerit (quia talis casus Notam infidelitatis respicit) Capitalis Sententia, tanquam in personam virilem, ferenda est, A) atque pronunciandа.

De Casibus, in quibus etiam contra Ecclesiasticas personas Capitalis Sententia fertur.

TITULUS 44.

SCiendum ulterius, quod tres sunt casus, in quibus etiam contra Spirituales, & Ecclesiasticas personas Capitalis sententia pronunciatur: Per quam, ultra amissionem patrimoniorum, & beneficiorum ipsorum; *capitalis pœna* decernitur, atque sequitur.

§. 1. PRIMUS casus; si quis eorum crimen læsæ Majestatis commiserit. B)

§. 2.

A) Confirmatur a. 6. 1625. Et extenditur hæc pœna etiam ad polyviriam.

B) Sensu art. 7. 1715.

§. 2. SECUNDUS; si Notam infidelitatis manifestam incurrerit. A)

§. 3. TERTIUS; si quis ipsorum voluntarium, & deliberatum homicidium, ac *latrocinium* B) patraverit, aut perpetrari fecerit.

§. 4. Propter quod (*præhabita* C) *degradatione*) capite plecti debebit.

§. 5. In quibus quidem casibus, licet *bona Ecclesiarum*, quibus præsunt, non amittant; tamen privata, ac separata patrimonia, & Jura possessionaria, si quæ habent: Insuper cuncta *Beneficia Ecclesiastica*, D) quæ possident; perdere, & amittere solent.

§. 6. Sed in tertio casu, deliberato scilicet homicidio, ac latrocinio, E) patrimoniorum pro-

A) Sensu art. 9. 1723.

B) Ponendum: *Vel latrocinium*; ut scilicet, seu homicidium, seu latrocinium non subsecuto homicidio commiserit, pœnæ Capitali subjaceat: prout sapienter monet *Com. Syst.*

C) Plures sunt Casus, quam hi tres, propter quos Clericus de Jure Canonico degradari debet: Quos Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.* Quoties autem Jura nostra pœnam corporalem Clerico infligendam statuunt; semper intelligenda sunt: *Præmissa degradatione*, per quam scilicet Clericus statu suo, Privilegio *Fori*, & *Canonis*, cæterisque suis prærogativis spoliatur. *arg. buj. §. & tit. prolog. 9, princ.*

D) Et hæc; per ipsam degradationem, jam ad Patronos, seu Collatores suos reciderunt. *Bona* vero *patrimonialia*, subsecuta morte propter Crimen læsæ Majestatis, aut Notam Infidelitatis, in Fiscum Regium recidunt per a. 9. 1715.

E) Aut quocunque alio casu, mors Clerico inferatur; pa-

proprietatem, & hæreditatem non amittunt, si fratres habuerint condivisionales, ad quos illa Jure successorio spectant: Quoniam *caput* in hac parte *capite compensari sufficit.*

§. 7. In cæteris autem causis, & casibus; *persona Spiritualis*, & Ecclesiastica; *contra secularem*, & e converso *Secularis adversus Spiritualem;* A) *æquali pœnæ*, & gravamini *subjacet;* Emendæ scilicet capitis, vel Homagii, atque damnorum illatorum refusioni. De quibus Judex Actori, & damnum passo (juxta modum superius B) prædeclaratum) satisfactionem impendere tenetur.

§. 8. Et hæc Consuetudo, ex Generali maxime Decreto Sereniſſimi Principis quondam Domini ALBERTI, Romanorum, & Hungariæ Regis, Austriæque Ducis, excerpta est, atque processit: c) Quæ etiam in Generali moderno De-

patrimonium ejus, in Fratres condivisionales devolvitur: sensu etiam t. 15. p. 1. Et his deficientibus; in Fiscum Regium, idque ob defectum seminis, non ob patratum Crimen. Quid vero *de Acquisitis* ejus sit sentiendum; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung.* §. 9. *ad h. t.*

A) Secularis tamen, verberans personam Spiritualem, trahitur ad Sacram Sedem, & ibidem Sententiæ Excommunicationis subjicitur. Math. Decr. 1. a. 3. & ejusd. Decr. 2. a. 17. In Foro autem Seculari; non nisi in sententia Emendæ Capitis convinci posset: Cum etiam Ecclesiasticus non alteri pœnæ obnoxietur. *text.* huj. §. & Ulad. Decr. 7. a. 32. Idem cum proportione sentiendum *de mulieribus*, sensu Kitt. c. 9. q. 13. & art. 10. 1723. §. fin.

B) p. 2. t. 43. c) Alberti Decr. An. 1439. art. 38.

Decreto noſtro, A) roborata habetur, & confirmata.

Qualiter debita, ac damna Spirituales Perſonæ reddere debeant?

TITULUS 45.

ITEM, ſi Perſona Spiritualis, cujuscunque ſtatus, & dignitatis exiſtat, *ad ſolutionem*, & reſtitutionem aliquorum *debitorum*, aggravata fuerit; tunc adverſario ſuo pecuniaria ſolutione ſatisfacere tenetur.

§. 1. Et, ſi noluerit, aut non poterit; tunc de bonis Eccleſiæ, per Judicem adverſario ipſi (infra illius ſpatium temporis, quo de proventibus ipſorum bonorum *debita recuperari* B) poterunt) ſtatuendis, & occupandis ſolutio, ac ſatisfactio eſt imponenda.

§. 2. Pecuniaria autem appellatione intelligitur hoc in loco; quodlibet aurum, & argentum, ac omnis moneta pro tempore currens.

§. 3. Ubi vero ad ſolutionem, & *refuſionem damnorum* illatorum condemnatus extiterit; iſto caſu poterit (ſi voluerit) rebus cum mobilibus, C) & venalibus, juxta tamen verum

A) Ulad. D. 7. a. 32.

B) Recuperando nimirum ſummam capitalem (ſive *Mag pénz*) Et neglectum legale *Intereſſe* (ſive *Kamatat*) ſi tamen in Literis Obligatoriis ejus mentio facta eſt; ſenſu a. 144. 1647. Ac etiam in litem factas expenſas. a. 31. 1659.

C) Non tamen Vaſis, rebusque ſacratis. Cum hæc extra commercium humanum poſita ſint.

rum valorem hujusmodi rerum; adversario suo satisfactionem impendere.

§. 4. Alioquin de bonis, ac Juribus possessionariis Ecclesiæ, A) in hac quoque parte, Judex causæ, adversario illius personæ convictæ, statutione debita satisfacere tenetur. B)

Quomodo Capitulum, vel Conventus simul, & quomodo Personæ Privatæ seorsim, sententiari debeant?

TITULUS. 46.

ITEM, si Capitulum, vel Conventus collectivo nomine, pro actibus potentiariis majoribus, vel minoribus, quocunque sententiarum genere condemnatur; tanquam unica, & singularis persona gravatur, & non singuli singulariter debent condemnari: Exceptis præmissis c) casibus, *homicidii* videlicet *voluntarii*, & deliberati, ac *criminis læsæ Majestatis*; & *Notæ infidelitatis*, pro quibus omnes delinquentes (modo antelato) sunt puniendi.

§. 1. VERUM, si certæ personæ Capitulares, & non tota Communitas, aliquos actus potentiarios de bonis Ecclesiarum perpetraverint; tunc ipsæ personæ seorsim a Communitate, ex eo loco, D) ubi talia mala commiserunt, ad Ju-

A) Scilicet, de quibus talis persona participare solet.
B) Salvo tamen *Beneficio Competentiæ*. De quo Vid. *Tyroc. Jur. Ung. hic.* c) Supra p. 2. t. 44.
D) Nempe de Bonis Ecclesiasticis.

Judicium libere poterunt evocari: Præsertim, si patrimonia non habuerint privata.

§. 2. Et quamvis ea habuerint; nihilominus de loco prænotato citari, & evocari queunt, ac juxta causæ meritum Sententia contra eos per Judicem ferri poterit, atque pronunciari. A)

Quid, si una Persona Capitularis sententiata fuerit, agendum sit?

TITULUS 47.

ITEM, si una Persona Capitularis, bona hæreditaria, & patrimonia separata non habens, in Emenda sui Capitis convincetur, vel in refusione damni condemnabitur, & rebus mobilibus destitutus reperietur: QUÆRITUR, unde, & qualiter adversario satisfactio fiat? Quia non de commissione Capituli mala ipsa patravit, & ex consequenti bona Capituli propterea non videntur esse diripienda.

§. 1. Dicendum, quod quia mala ipsa, & facinora, unde videlicet Emenda Capitis, vel damnorum B) refusio, subsecuta est; de medio, & tanquam de membro ipsius Capituli, illa patravit: Quæ perpetrare aut non potuisset, aut locum patrandi non habuisset, si in hujuscemodi beneficio constitutus non fuisset; ideo de proven-

A) Titulus ipse confirmatur per a. 26. 1655.

B) Per *Damnum*, in actibus potentiariis, & violentiis, intelligitur non illud solum, quod in bonis committitur, sed etiam detrimentum Corporis, quod ex Verberatione, aut Vulneratione infertur. *Stylus.*

ventibus beneficii, A) ejusdem Capitularis convicti, per reliquos Capitulares, B) Actori super eisdem rebus obtentis, satisfactio c) est impendenda.

De compensatione damnorum per Officiales Ecclesiasticarum Personarum irrogatorum.

TITULUS 48.

ITEM, universi Officiales Ecclesiasticarum Personarum, sive sint Spirituales, sive seculares, occasione quorumcunque actuum potentiariorum, si quos de Officiolatibus eorum commiserint vel perpetraverint; de eisdem Officiolatibus ipsorum, instar aliorum Regni Nobilium, & Officialium, libere semper Jure conveniri, D) atque ad Judicium citari, & evocari possunt.

§. 1. Et, si in Judicio convicti fuerint; de dictis Officiolatibus E) eorum, tam adversario,

A) Si scilicet Clericus, nec Bona *patrimonialia*, nec *quasi patrimonialia*, nec *parsimonialia* habeat. De quibus Vid. *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

B) Et, si hi satisfactionem impendere renuant, aut nimium differant; impendi illa debebit per idem Judicium. Sensu p. 2. titt. 44. & 45.

C) Usque ad summam Convictionalem.

D) Sed tunc etiam Domini ipsorum citari debent. Sensu Sigis. Imp. Decr. 6. a. 6. Ulad. Decr. 1. a. 24. Ejusd. Decr. 3. a. 46. Nemo enim non citatus, in Bonis damnificari potest. Atque hoc sensu intelligendus est etiam a. 33. 1659. De *Uxoribus* autem damna inferentibus; sonat Ulad. Decr. 4. 14.

E) Cum *Arendatores* Bonorum, pro Administris, & quasi officialibus reputentur; pari passu ad refusionem damnorum obligantur. *Com. Syst. hic.*

rio, quam etiam Judici ipsorum, satisfactio administrabitur. A)

§. 2. Domini autem illorum (si talia non commissione eorum fuerint illata, vel irrogata) poterunt ipsos Officiales, usque ad debitam Emendam, & satisfactionem, etiam cum detentione personarum suarum, c) compellere. Prout hoc, de Officialibus, habetur etiam in *Decreto primo* moderni Domini Nostri LADISLAI Regis, *articulo vigesimo quarto.* B)

Quomodo Prælatus cum Capitulo simul & quomodo seorsim, Judicium portabit?

TITULUS 49.

ITEM, si Prælatus cum suo Capitulo, vel Conventu, fuerit ad Judicium simul evocatus; tunc si Prælatus, & Capitulum, vel Conventus, in illis Juribus possessionariis, de quibus actus

A) Consonat. Sigis. Decr. 6. a. 6. Ulad. Decr. 1. a. 24. Item a. 33. 1659. & Prax. quotid. Et hæc intelligenda sunt non solum de officialibus Prælatorum; sed etiam Magnatum, & quorumvis Nobilium: Idque, sive talia patrata sint ex mandato, & commissione Dominorum, sive non. *Prax.*

B) Si scilicet Officiales sint Seculares, & Ignobiles, atque in actuali servitio constituti, non vero si sint Spirituales, aut Nobiles. Nam hi citantur, & convicti satisfactionem præstant ex bonis propriis, per art. 65. 1622. Qui rationes dare nolentes, convictos, & solvere non volentes; capi posse innuit: & hoc intellige; si aliter cautionem præstare non possent. *Com. Syst. hic.* c) Confer. Kitt. c. 2. q. 8.

ejuscemodi potentiarii, aut alia malorum genera commissa, vel patrata fuisse dicuntur, & quæruntur, indivisi fuerint comperti; Prælatus in hoc casu, non separatim a suo Capitulo, vel Conventu, sed simul cum eisdem, aut absolvi, aut condemnari debet. Quoniam ratione indivisionis cum suo Capitulo, vel Conventu; una communitas esse censetur. A)

§. 1. Si tamen de divisis inter eos Juribus possessionariis mala ipsa suborta, perpetrataque fuisse comperientur, tunc Prælatus, aut Capitulum, vel Conventus, separatim, & seorsim condemnatur. B)

§. 2. Hinc est, quod, si Prælatus cum suo Capitulo, vel Conventu simul evocabitur; tunc ratione divisionis, vel non divisionis, etiam Juramentum illis diversimode præstandum adjudicatur.

§. 3. Nam si modo antelato Prælatus cum suo Capitulo, vel Conventu indivisus fuerit; tunc ipse Prælatus cum suis conjuratoribus tam in sua, quam etiam totius Capituli, vel Conventus personis, sacramentum præstare debebit.

§. 4. Si vero divisus extiterit; tunc tam idem Prælatus eum suis, quam etiam *Lector*, aut *Cantor*, sive *Custos*, vel *Decanus* C) in persona ipsius

A) Et instar Fratrum indivisorum, *fictione Juris* facit, seu repræsentat unam personam.

B) Proinde non unis, sed diversis Literis Evocatoriis, in Judicium attrahi debet.

C) Adde *aut Præpositus*, qui hic recensitis omnibus di-

ipsius Capituli, vel Conventus, iterum cum suis conjuratoribus, juxta deliberationem, & sententiam Judicis, seorsim, & separatim Juramenta eorum deponere tenentur.

§. 5. Et per Prælatos intellige non solum Dominos *Archi-Episcopos*, a) & *Episcopos*, sed etiam *Abbates*, atque *Præpositos*, b) tam seculares, quam regulares omnes.

De annuali prorogatione Dominorum Prælatorum noviter electorum.

TITULUS 50.

ITEM, *Prælati Ecclesiarum* a suis fratribus, Capitulo videlicet, vel Conventu divisi, a die electionis eorum, *privilegio pupillari gaudent.*

§. 1. Quibus de vetusta Regni Lege, & approbata consuetudine, permissum est, & concessum; quod etiam in causis tempore patris eorum inchoatis, infra unius anni integri spatium, ad cujusvis instantiam respondere non teneantur: Ut interim Jura paterna, & literalia Instrumenta revidere, calculareque, & deinde prosecutioni causarum suarum commode superintendere possint.

dignior est in Capitulo: utpote *prima* ejusdem *Columna*.

a) Quantum ad personale Juramentum; excipe D. *Archi-Episcopum Strigoniensem*. Is enim per Officiales suos jurat. a. 64. 1550. & Kitt. Dub. 70.

b) *Extra Capitulares*: Aut saltem diversa Bona a Capitularibus possidentes.

§. 2. Hoc tamen intellige in facto Jurium poſſeſſionariorum, & exhibitionis literalium Inſtrumentorum fieri.

§. 3. Nam in cæteris cauſis prætextu actuum potentiariorum motis, in quibus productio literarum ſubſequi non debet; hæc conceſſio minime ſuffragatur: A) Quæ præmiſſo modo, & in præmiſſis caſibus, & cauſis, etiam legitimæ ætatis, hoc eſt: ætatem quatuordecim; juxta modernorum vero conſuetudinem duodecim integrorum annorum habentibus; a Principe ſemper concedi, & in Judiciis obſervari ſolet.

§. 4. Si tamen fuerint indiviſi; tunc hujusmodi permiſſio, & libertatis prærogativa, illis patrocinari non poteſt.

§. 5. Nam Capitula, vel Conventus, *privilegio majorum* B) *gaudent*, & ætatem perfectam, hoc eſt: viginti quatuor annorum integro-

A) Simili privilegio pupillari gaudent etiam *Viduæ* intra annum luctus, niſi interim nubant: Ita tamen; ſi ſuperinde certas ab Rege, aut Palatino *Literas* gratioſas *prorogatorias* extrahant. *Stylus & Kitt. c. 4. q. 17. & 24. n. 9.* Item, qui extra fines Regni, in Bello, in Servitiis, in Caſtris finitimis, in Legationibus Regis, vel Regni occupantur. Senſu artt. 6. & 7. Math. Reg. Decr. 2. Et art. 71. Ulad. Decr. 1. Demum; qui ſtudiorum cauſa abſunt. Ulad. Decr. 4. a. 1. Qui vero falſam cauſam allegando, Literas Prorogatorias impetrat; in Emenda linguæ convincitur. cit. artt. 6. & 7.

B) Id eſt: Jure Majorum, ſive Majorennium, & non pupillorum, utuntur.

grorum, semper repræsentant, quibus hæc prorogationis libertas non competit observari.

§. 6. Absurdum enim videretur, ut post electionem cujuslibet Abbatis, vel Præpositi, aut Lectoris, Custodis, Cantorisque, vel Canonici, causa dudum mota, usque ad anni integri revolutionem semper in suspenso relinqueretur, & sic indecisa per aliquot annos penderet, concluſioneque sua fraudaretur. A)

Quod Prælati Ecclesiarum, ob delicta Prædecessorum suorum, condemnari non possint.

TITULUS 51.

ULterius, si de bonis, & Juribus possessionariis cujuspiam Prælati, aut Abbatis, vel Præpositi, actus potentiarii, vel malorum genera patrarentur, atque committerentur; & talis Prælatus, aut Abbas, vel Præpositus, quamdiu in humanis ageret, propterea in Curiam Regiam non evocaretur, vel aliter in causam quomodolibet non attraheretur; nunc decedente eo, succeſſor suus ratione hujusmodi actuum potentiariorum, quantum in persona sua, condemnari, & aggravari non poterit: Sed solummodo ex parte Jobagionum, ac familiarium illius Ecclesiæ, per quos mala illa perpetrata fuisse dignoscuntur; Judicium, & Justitiam Actori facere, & impendere tenetur.

A) Occasione Beneficii Annualis Prorogationis, multa Prælatorum Privilegia, & immunitates recensentur *ad b. 2. in Tyrec. Jur. Ung.*

§. 1. Quoniam bona, & Jura possessionaria Ecclesiarum (sicuti prænarratum A) est) nemo Prælatorum, aut Abbatum, vel Præpositorum, seu etiam aliarum Personarum Ecclesiasticarum; propter suos excessus amittere, & ab ipsa Ecclesia alienare potest.

§. 2. Sed si quispiam illorum in Emendæ capitis sententia *convictus* fuerit; tunc solummodo de Homagio; B) & damnis illatis satisfacere (modo prædeclarato) debet. C)

§. 3. Successor itaque suus, qui non hæreditario Jure, sed via electionis successit; emendam capitis illius prædecessoris sui (ex quo evocatus non fuit) subire, compensareque non tenetur.

§. 4. Prout etiam filii, ob delicta paterna, facta prius evocatione, sententiarum capitalium, vel Emendæ capitis gravamine, quantum ad pœnam non subjacent: Sed si convicti fuerint; solummodo in æstimatione Jurium paternorum convincentur. D)

§ 5.

A) Supra p. 2. t. 45. §. 1.

B) Ad mentem scilicet tit. 43. p. 2.

C) Ita tamen, si jam *convictus* fuerit. Si enim litis intermedio ex hac luce decessisset; ejus Successor, ad solvendam pro ipso pœnam homagialem, utique non obligaretur: qui mortuus, in pœna homagiali condemnari non potest, licet, dum viveret, in Judicium fuerit vocatus. arg. p. 2. titt. 23. & 61. Et ideo dicitur in text. h. t. *Si convictus fuerit*: Quod, in re odiosa, extendi non debet ad evocatum.

D) Confer. p. 2. t. 61.

§. 5. Et hoc; si patres eorum in humanis agentes, evocati fuerint: Aliter enim, si post obitum parentum evocatio subsequetur; non jam delictum patris, quia Jura possessionaria forsitan occupaverat, vel res, & bona mobilia alterius diripuerat; sed filiorum, qui male occupata, vel res direptas detinent, compensari, metirique solet.

§. 6. Si igitur in facto occupationis bonorum causa mota fuerit, quia forte Ecclesia bona illa habet, & possidet; etiam decedente quolibet Prælato, aut Abbate, vel Præposito, Successor suus in hoc casu semper evocari, & condemnari potest. A)

§. 7. Et hoc idem est intelligendum etiam de illis Ecclesiarum Prælatis; qui per translationem, in alterius Ecclesiæ Beneficium, vel Dominium, se conferunt moraturos. B)

Quod causa factum Juris possessionarii tangens in Foro Ecclesiastico tractari nequit, si etiam Promissio, *vel* Testamentum *interveniat.*

TITULUS 52.

ITEM, quod nulla causa factum Juris possessionarii concernens, si etiam promissio, vel

A) Cum damno enim, & jactura alterius, nemo locupletari potest: Nec *Successor* debet esse melioris conditionis, quam *Auctor*, a quo Jus in eum transiit. *arg. l.* 175. *ff. de R. I.*

B) Multa de Immunitate Ecclesiastica, maxime de Jure Asyli, disputantur *ad h. t. in Tyroc. Jur. Ung.*

Testamentum occasione talis Juris possessionarii interveniisset, coram ipsis Spiritualibus Personis vel eorum vices gerentibus tractari poterit: Sed omnis ejuscemodi causa in Curia Regia coram Judicibus ejusdem Ordinariis solet examinari, pariter & terminari.

§. 1. Quidquid enim quisquam promittat, vel testetur; semper tamen standum est ejus Judicio, ad cujus authoritatem, & jurisdictionem res ipsa (pro qua promissio, & testamentum emittitur) principaliter spectat.

§. 2. CERTUM est autem, quia hoc in Regno non nisi Judicum Ordinariorum Curiæ Regiæ sententiis, & Literis Adjudicatoriis, Jura possessionaria gubernantur. A)

§. 3. VICARIORUM vero, vel aliorum Judicum Spiritualium literæ, & sententiæ, in hac parte nusquam observantur. Nam & alias; *Accessorium debet sequi forum sui principalis*, propterea causa factum Juris possessionarii tangens, in præsentia Judicis Spiritualis ventilari, concludique nequit

§. 4. Et idem est sentiendum etiam de causis, ratione forte debitorum, vel aliorum negotiorum; in qua *fides intervenerit*.

§. 5.

A) Et ista hujus Tituli dispositio extendit se etiam ad *Pia Legata*, & alia similia, quæ in Foro Seculari acquiri solent: ut monet *Com. Syst. hic.* Nixa art. 15, 1647. In *Causis* quoque *Divortialibus*, provisio de intentione, determinari quidem in genere solet per Forum Spirituale; in specie tamen per Judicium Seculare exequi consuevit. *Prax. & Com. Syst. hic.*

§. 5. Hinc si ille, qui fidem præstitit, morte decesserit, antequam ejus causa suscitaretur; in Sede Spirituali ea tractari non potest: A) Nam *fides*, & *ejus pœna*, *personalis est*, *quæ extincta persona*, *extinguitur* in Judicio semper. B)

§. 6. Si quid tamen debiti, vel alterius rei, juxta fidem, in promissione annexum; & appositum fuerit; hoc coram Judice suo seculari, Actor ipse ab hæredibus, & aliis legitimis successoribus defuncti, requirendi habet authoritatem.

Quid Officialis, vel Decanus Capitularis, inter Jobagiones Capitulares, valeat?

TITULUS 53.

ITEM, solent Capitula, ac Conventus, c) in eorum villis, Officiales, & Villicos, qui in

A) Textus huius paragraphi, per oscitantiam typothetarum, in pluribus aliquot editionibus, valde depravatus, & confusus; integritati suæ, taliter, ut nunc legis, restitui debuit.

B) Igitur a sensu contrario; si nondum extincta sit persona juramenti ejus Fides in Sede Spirituali discuti debet, & illic cognosci; an pejerasse, nec ne, censenda sit? & pœnam, cujus hic fit mentio, incurrerit? Causæ porro *Testamentariæ*, qualiter in Foro Spirituali discuti debeant: cunctasque Testamentorum Solennitates, & Requisita; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

c) Dispositio hujus tituli, licet aperte solum de Officialibus Ecclesiasticis loqui videatur; ob identitatem ta-

medio Jobagionum suorum temporalem jurisdictionem exercent, tenere, & conservare.

§. 1. Quorum Judicium, & Judicii impensio, A) eam virtutem, & vigorem habere dignoscitur; sicuti personaliter fuisset per alios Capitulares, aut Conventuales administratum.

§. 2. Decanus etiam, in persona Capituli, eandem habet authoritatem.

§. 3. Verumtamen extra Officiolatum suum; sine Literis Procuratoriis totius Capituli, pro eodem Capitulo respondere non potest. B)

De

tamen rationis, indifferenter est intelligenda de Officialibus Prælatorum, Magnatum, & Nobilium, qui cum pari jurisdictione, eorundem Bona administrant. *Praxis.*

A) Ad instantiam quorumcunque extraneorum; atque etiam dum subditi contra invicem Actionem habent. Et hæc impensio fieri solet in *Sede Dominali.* De qua Vid. *Tyrnc. Jur. Ung. ad h. t.*

B) Imo, *arg. h.* §. Officialis, sive *active*, sive *passive*, cum aliis litem ingredi non potest, sine Literis Procuratoriis, aut Plenipotentialibus, Domini, aut Principalis sui. Nam & Judici, & adversæ Parti constare debet; an suo, vel Domini sui nomine compareat, de quo sine talibus Literis merito dubitatur; cum is, extra Officiolatum suum, nullam in Judicio habeat Jurisdictionem.

De Priore Auranæ, & ejus Conditione, ac Sententiis in eum ferendis.

TITULUS 54.

SCiendum ulterius, quod licet *Prior Auranæ* A) utroque titulo, Spirituali videlicet, & Seculari gaudeat; Jura tamen possessionaria instar Ecclesiasticarum Personarum gubernat; ideo de ipso quoque specialiter pauca subjungere dignum duxi.

§. 1. UBI advertendum, quod *Prioratus Auranæ* olim in hoc Regno, per Excellentissimum Principem Dominum LUDOVICUM Regem fundatus, & institutus fuisse perhibetur: Qui cum Regnum Siciliæ, sive Neapolitanum, valido cum exercitu necem fratris sui carnalis, Divi ANDREÆ, ejusdem Regni, & Hierusalem Regis, vindicaturus invasisset, *a Rhodanis* non parvum fertur auxilium navale sibi collatum fuisse. Unde & eorum zelo inductus, singularique amore permotus, in signum *Religionis*, & professionis *Rhodianorum*, post felicem, & victoriosum suum reditum, *Prioratum* ipsum *Auranæ* multis possessionibus dotatum instituit, atque fundavit.

§. 2. Cujus *Prior* pro tempore constitutus, *ex regulari Rhodianorum* B) *observantia*, mi-

A) Sive *Uronæ*. Quæ hodie est modica Civitas, cum amplis suburbiis: sita prope quendam lacum, in *Dalmatia Vencta*.

B) Qui olim *Rhodiani*; hodie *Melitenses Equites* vocantur.

militiam secularem pro Fidei Catholicæ defensione, & tutamine semper exercere, uxorisque sclatio procul motus, atque destitutus, castitatem perpetuam observare tenetur. Quapropter occasione ipsius abstinentiæ, & castitatis, digne inter Spirituales Personas computatur.

§. 3. CUM igitur *Prior* ipse *Auranæ* utroque titulo, spirituali scilicet, & seculari (prout prænarratum est) gaudeat, Venerabilisque, & Magnificus in suo titulo scribatur: *Venerabilis* utpote; propter castitatem, & regularem observantiam: *Magnificus;* siquidem tanquam *Baronum unus*, a) ob singularem militiam, quæ magnifici, generosique cordis esse debet; bona enim temporalia, quæ possidet, Spiritualibus, & Ecclesiasticis Patrimoniis quodammodo connexa esse videantur.

§. 4. Ideo, si quando Sententia in eum fertur; non in Emenda duntaxat capitis sui (quæ ratione sui Baronatus, ad quadringentos florenos, adversæ tantummodo parti persolvendos se extendit; sed insuper in damnis per eum commissis, & de Bonis Ecclesiæ, more aliarum Ecclesiasticarum Personarum, refundendis: Et præterea cunctorum Patrimoniorum suorum (si quæ ultra Bona Prioratus habet) amissionem; convinci solet, & aggravari.

§. 5. Et hoc, si in facto *majoris potentiæ* condemnabitur: Nam in *minoribus actibus* po-

a) Confer. p. 2. t. 13.

potentiariis, ipsum quoque, sicuti & alium quemcunque, onera, & gravamina minus lædunt.

§. 6. Intelligendum est etiam, si contra Magnates, vel alios Nobiles secularis conditionis, convincetur, aut sententiabitur: Nam contra Ecclesiasticam Personam; nec Prior ipse majori onere gravabitur, quam persona Spiritualis adversus eum gravaretur.

§. 7. SCIENDUM tamen est, quod in præmissis tribus casibus, videlicet: *Criminis læsæ Majestatis: Notæ infidelitatis:* Et *voluntarii, deliberatique homicidii*, Prior ipse ultra præmissam pœnam, etiam caput amittere, seu Capitalem Sententiam subire solet, atque debet: Dum tamen evidenter, & juridice fuerit convictus, & condemnatus.

§. 8. In aliis autem rebus, quantum ad Jura Regni; Privilegio Prælatorum uti, gaudereque consuevit. Exercitia nihilominus militaria, more Baronum, & Magnatum, pro Regni defensione semper peracturus. A)

De

A) Postquam Auranam An. 1537. Turcæ expugnarunt, sensim Equites isti in Hungaria defecerunt: multis eorum, etiam ad Mohacsium cæsis. Inclytus, & Christianitati sane utilissimus hic Ordo, pro sui *Reincorporatione*, apud Status, & Ordines Regni nostri instituit in Comitiis anni 1715. Sed ejus Instantia ad futuram Diætam est relegata a. 87. 1715. & hodiedum manet ineffectuata.

De Capitali Sententia, & Executionis ejus serie.

TITULUS 55.

SCiendum deinde est, quod *Sententia Capitalis*, A) ratione, & prætextu antelatorum casuum, contra Secularem Personam (demptis tamen personis fraternitate, & consanguinitate conjunctis) lata, & quovis modo pronunciata; non solum res mobiles, ac bona, & Jura possessionaria talis sententiati, & convicti hominis aufert; verum etiam pœnam capitalem infert. B)

§. 1. Ita, ut ubicunque ille reperiri, ac deprehendi poterit, vigore literarum sententionalium, per Judicem suum ordinarium, vel hominem ipsius Judicis, ad id per eundem deputatum, post Executionem c) semper; ante autem Executionem, infra anni duntaxat unius integri a die emanationis ipsarum literarum sententionalium computandi, revolutionem; in persona sua detineri, captivarique, & ad manus sui Judicis, ad infligendam sibi pœnam, a Jure in hac parte statutam, dari, & assignari valebit.

§. 2. Nam adversarius suus ipsum, propria sua authoritate, absque homine Judicis; neque captivandi, neque etiam in domo sua, vel ali-

A) De Sententia Capitali Vid. *Kitt. c. 9. q. 5. & Tyroc. Jur. Ung. hic.*

B) Non est hæc pœna accipienda *Copulative*, sed *Disjunctive*. Kitt. c. 9. q. 5. Et congruit art. 34. 1729. circa medium.

c) Scilicet *in Bonis*: ut monet *Com. Syst.*

alibi (etiam per hominem Judicis detentum) conservandi habet facultatem: Sed ad manus Judiciarias, quam primum poterit (dietim de loco in locum se domum residentiæ Judicis versus, vel ubi Judex ipse fuerit constitutus, movendo) assignare, præsentareque tenetur.

§. 3. Qui quidem Judex, hujusmodi detentum, tribus diebus causa pacis, & concordiæ apud se conservare: Et, si cum adversario suo concordare interim nequierit; tunc *manibus adversarii sui*, A) ut capite plectatur, reatusque sui pœnam luat, *dare*, *& assignare debebit.*

§. 4. Cui si mortem, vel aliam pœnam condignam a Jure (ut præfertur) statutam adversarius intulerit; nulla postea bonorum, & Jurium possessionariorum suorum occupatio, per Judicem, vel adversam partem, fieri, & subsequi valebit: Sed omnia bona, & Jura possessionaria, in filios, si habuerit; vel fratres, aut alios legitimos successores suos, pure, & simpliciter devolvuntur: Exceptis solummodo rebus, apud ipsum convictum, tempore captivationis suæ repertis, quæ ipsi Judici manebunt.

Qua-

A) Ista hominis sententiati, in manus Adversarii sui assignatio, ad inferendam pœnam; dudum exolevit. Hinc *Com. Syst.* censuit voces illas, ex hoc Titulo expungendas.

Qualiter Bona, per Sententiam occupata, de manibus Judicis, & adversæ Partis, sint redimenda?

TITULUS 56.

UBi autem convictus, & condemnatus ille manus Judiciarias evaserit, captivarique non poterit, & lata hujusmodi Sententia, A) contra eum legitime executa fuerit; tunc bona, & Jura sua possessionaria, filii, vel fratres, ac successores ejus, ad quos spectare dignoscuntur; a manibus Judicis, & adversæ partis, *communi æstimatione* mediante redimere poterunt: *In termino* B) per Judicem, illis ad id præfigendo.

§. 1. Imo filiis, aut fratribus, & successoribus non existentibus; etiam vicini, & commetanei ejusmodi bonorum, & Jurium possessionariorum occupatorum (quia redemptibilia sunt, & modum, virtutemque Jurium Impignoratitiorum repræsentant) ad se redimere c) poterunt: Dummodo terminum per hominem Judicis, ac testimonium loci Credibilis, tempore Executionis ipsius Sententiæ, ad redemptionem deputatum, non transcendant.

§. 2. Nam postea, *in rem judicatam* bona illa *transibunt*, & apud Judicem, adversamque partem tamdiu manebunt; donec de gra-

A) Scilicet *in Bonis*: ut monet *Com. Syst.*

B) Nempe *intra annualem revolutionem. Com. Syst.*

C) Sed non communi æstimatione, sicut Filii, vel Fratres; verum congruo pretio persoluto. atg. t. 60. p. 1.

gratia Regia, vel novo forsitan Judicio, convicto illi provisum fuerit.

§. 3. Virtute etenim propria, & absque gratia Regia, sententiatus ipse, & condemnatus, bona sua etiam per redemptionem, & prætactam æstimationem, pro se recuperandi non habet potestatem. A)

Quid gratia Principis, homini sententiato facta, valeat? Et de Partibus Judiciariis.

TITULUS 57.

SI vero Princeps hujusmodi sententiato, atque convicto gratiam fecerit specialem; tunc ipsa gratia, B) non de *Homagio*, & *tertia parte* Jurium possessionariorum ejusdem convicti, in portionem utpote Actoris, vel Adversarii cedente; sed capiti tantummodo, ut capitalem pœnam non subeat, ac duabus partibus ipsorum Jurium possessionariorum, ad portionem videlicet judiciariam cedentibus, patrocinari, suffragarique intelligitur.

§. 1. Imo etiam super *duabus partibus judiciariis*, in causis, ac sententiis, coram Domino Palatino Regni hujus vertentibus, & *emanandis*; ipsa gratia locum non habet: Sed hujusmodi duæ partes judiciariæ (antiqua Regni Werbőcz illustr. Cc Con-

A) Confer. cum h. t. Kitt. c. 9. q. 5. & 9.

B) Hæc gratia sonat, de sententiatis ob aliquem Actum Majoris potentiæ: Sensu art. 10. 1723. Qui scilicet in nostra *Municipali Capitali Senzeusia* sunt convicti, juxta p. 2. t. 55.

Consuetudine dictante) *ad solum Palatinum*; vel cui ipse contulerit, pertinent.

§. 2. In facto tamen, & causa *Notæ infidelitatis*, per quam etiam hæreditas, & proprietas Jurium possessionariorum, hominis in ipsa causa succumbentis, & condemnati, perpetuo amitti solet; collatio perennalis bonorum ejusdem condemnati, ad Regiam Majestatem *solam*, B) & Jurisdictionem sacræ suæ Coronæ spectat; & nec Actor, nec Adversarius ejus, quidquam hæreditatis, ex ipsis Juribus possessionariis, virtute ejuscemodi latæ sententiæ pro se percipere potest.

§. 3. Secus est autem, *in sententia Notæ infidelitatis, ex secundaria repulsione*, C) nostra hac tempestate, ferenda. Nam in ea, etiam Adversario tertia pars bonorum, & Jurium possessionariorum condemnati hominis, simul cum hæreditate, & proprietate, vigore generalis Decreti nostri, perpetuo cedit, atque datur.

§. 4. Et sciendum, quod hæc gratia Regia non amplius, quam per *anni* integri *unius* revolutionem D) efficax manebit. Aliter enim si

A) Confer. art. 9. de Officio Palatinali Anno 1485. pronunciatum. Et Kitt c. 9. q. 10. n. 2.

B) Loco vocis *solam*, *Com. Syst.* jubet poni: *Vel Palatinum*. Id quod intelligendum est juxta a. 4. 1723.

C) Defacto propter secundariam repulsionem, non pronunciatur sententia Notæ infidelitatis; sed Actus Majoris potentiæ. art. 10. 1723.

D) Sicut omne Privilegium Regium, quo quis intra anni spatium suo modo non utitur, expirat, p. 2. t. 12. ita

ſi convictus, infra ipſius anni ſpatium, penes Principis gratiam, Actori, vel Adverſario ſatisfacere, & cum eo concordare recuſaverit; mox transacta eadem annuali revolutione, priſtino oneri, gravaminique ſententiæ præmiſſæ ſubjacebit, & ſententiabitur: Nullo ampliori proceſſu juridico obſervato.

§. 5. HINC eſt, quod etiam Actor, vel Actrix, *literas ſuas ſententionales* infra integri unius anni A) (a die emanationis earundem computandi) revolutionem, per Regium, aut Palatinalem, & alicujus Loci Teſtimonialis homines; executioni demandari facere tenetur.

§. 6. Nam aliter, poſt ipſum anniverſarium; convictum, & condemnatum, virtute illarum literarum ſententionalium in perſona, vel rebus, ac bonis ſuis turbare, ſpoliare, vel detinere Actor ipſe non poteſt; ſed ſi voluerit, ad onus ſententiæ deponendum contra ſe *peremptorie*, & *cum inſinuatione* evocari facere valebit: Ex parte cujus, *indilate*, & ipſo quidem unico termino, Judicium adminiſtrandum erit.

§. 7. Hoc quoque non prætermittendum eſt quod, ſi quispiam in Sententia Capitali convictus, in manus judiciarias (modo præmiſſo) per captivitatem inciderit; tunc illi gratia Regia

ita *literæ grationales*. Uſus autem harum in eo conſiſtit; ut intra annum cum Adverſario ſuo concordet; Id enim Rex ei præcipit. Vid. Kitt. c. 9. q. 11.

A) Conſer. Kitt. c. 4. q. 24.

in ipsa captivitate facta, etiam ad caput suum salvandum, A) contra Actorem non suffragatur: Quoniam Princeps convicto, & sententiato homini gratiam aliter facere non potest, nisi ut convictus cum Adversario suo concordet. Adversarius autem latam pro se sententiam, per illius detentionem jam Executioni demandatam habet: Ad concordiam vero invitus compelli non potest, neque debet. Igitur gratia Principis contra eum non valet, sed *tota salus* detenti illius, in manibus Adversarii sui pendet.

§. 8. HINC est; quod detentus ipse, cuncta bona, ac Jura sua possessionaria, B) etiam in præjudicium filiorum, ac fratrum suorum; in redemptionem capitis sui perpetuo alienare potest: Prout in prima parte C) latius declaratum est.

Quando, & quomodo poterit detineri, in Sententia Capitali convictus?

TITULUS 58.

ITEM, nemo litigantium, adversam partem, vigore Sententiæ Capitalis *per non venientiam*, & non comparitionem alterius partis, latæ, & promulgatæ, ante literarum sententiona-

A) Qualiter Rex Noster gratiam Vitæ facere possit; Vid. art. 48. 1715.

B) Etiam quoad filiorum, & fratrum indivisorum portiones, quas per Conventionem alienare potest. Executionaliter tamen eorundem portiones innodari non possunt. *Com. Syst.* C) Titt. 51. & 60.

nalium emanationem, ſigillationemque, & manibus, actoris aſſignationem; A)in perſona ſua detineri facere poteſt: ſed quamdiu literæ ipſæ apud manus Judicis B) fuerint; convictus ille tam Judicem ab extradatione, quam etiam Capitulum, vel Conventum, cui ſonabunt, ab Executione earundem, ſemper *inhibendi habet facultatem.*

§. 1. Verumtamen facta inhibitione, apud Judicem ſtatim onus hujusmodi ſententiæ deponere; & ad quæſita Actoris reſpondere tenetur.

§. 2. In facto autem *Capitalis Sententiæ*, per reſponſiones, & *ex allegationibus partium*, atque proceſſu juridico, per Judicem pronunciatæ; *mox*, & *in continenti*, reus, ac convictus, *ſi perſonaliter adfuerit*, C) absque quibuslibet literis ſententionalibus, ad requiſitionem Actoris, vel Procuratoris ſui; per Judicem ſuum captivari, & (ordine prænarrato) conſervari, ac puniri poterit: Libertate Nobilitatis D) non obſtante.

A) Qualiter autem poſt aſſignatas Literas Sententionales, convictus detineri in perſona poſſit; Vid. ſupra p. 2. t. 55. & Kitt. c. 9. q. 8.

B) Quid requiratur ad valorem Literarum ſententionalium Tabulæ Regiæ; qualiter, & cum quanto onere, ex inhiberi poſſint; & univerſim neceſſariam *de Inhibitione* doctrinam; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. adh. t.*

C) Id eſt: Si auditæ per ipſum ſententiæ præſens extiterit; non vero, ſi in eodem duntaxa Caſtro, Pago, vel Domo Judiciaria fuerit. *Kitt. c. 9. q. 8.*

D) Supra p. 1. t. 9.

Quid sit, & quando admittatur rationabilis Excusatio, *Literis Judicialibus inseri consueta?*

TITULUS. 59.

ITEM, in Literis Judicialibus, A) quas communiter *Birsagiales* vocant, clausula ista (*si se rationabiliter non poterit excusare*) semper apponi, inserique solet. B)

§. 1. Et *Literis* quoque *Sententionalibus*, quæ ex hujusmodi *Literis Judicialibus* tandem conscribuntur, & prope finem Octavarum, & Brevium Judiciorum, extradari, & manibus Adversariorum assignari consueverunt: Ne rationabili excusatione se offerente, litigantium quispiam præcipitanter, & de pleno bonis suis destitui, vel capite puniri videatur.

§. 2. Unde rationabilis Excusatio est, admittendaque censetur; quando Actore, vel in causam attracto, aut ejusdem Procuratore, de domo sua ad Octavas, aut Brevia Judicia se movente pariter, & venire satagente; ægritudinem validam post discessum suum idem incurrerit: Aut aquarum vehemens inundatio ipsum retinuerit: Vel equo suo infirmante, & propter inopiam equorum, alium emere, conducereve non

A) Literæ Judiciales, sive Birsagiales sunt illæ, quæ Sententiam, ad Instantiam A, ex non comparitione I. ad iteratas etiam proclamationes erga se præmissas, factam, & pronunciatam redolent.

B) Et debet. Et quidem non solum Judicialibus, sed etiam sententionalibus.

non valens, greſſum ſuum retardaverit: Aut ſi per adverſarios ſuos, vel latrones, A) interceptus, ſpoliatus, vulneratusque, aut necatus fuerit: & his, B) vel ſimilibus caſibus præpedientibus, & occurrentibus, ad terminum diſtributionis Literarum Judicialium, aut Sententionalium in præſentiam ſui Judicis pertingere, venireque nequierit; merito talis excuſatur, & ab onere Judiciorum, Sententiarumque exoneratur.

§. 3. Dummodo Excuſatio ipſa, *probabili Documento* C) fulciatur, & non *doloſe*, neque *ficte*, vel *fraudulenter* inducta fuiſſe videatur.

§. 4. Aliter enim, niſi opus Judiciorum, & ſententiarum depoſitum, perſolutumque fuerit; Executio) modo præhabito) D) ſequitur:

A) Vel ſi Locus Judicii non tutus, aut iter non ſit ſecurum: *Clem. Paſtoralis 2. de Sent. & re judic.* Neque enim cogi poteſt; ut ſe in periculum peſtis, latronum, &c. temere induat, & præcipitet.

B) Et hæ cauſæ pro legitimis, & rationabilibus agnoſcuntur, etiam per art. 32. 1723. Quibus adde Excuſationes Mulierum ob puerperium, aut graviditatem. per *l. 2. §. 4. ff. Si quis cautionib. in judic. Syſt.* Imo & alias legitimas, & evidentes, pro temporis circumſtantia interdum occurrentes *arg. d. art. 32. §. Quia autem.*

C) Scilicet in caſibus abſentiæ, ſeu non venientiæ; aut etiam in materia Exceptionum: Nam in Meritoriis, & eorum Judicio; evidens proba requiritur. *Com. Syſt.*

D) Supra p. 2. t. 55. & ſeqq.

& convictus, libertate (ut prætactum est) A) Nobilitatis non obstante, etiam capite punitur.

Quomodo portiones Filiorum, ac Filiarum, & Fratrum, tempore Executionis Sententiæ exscindi debeant?

TITULUS 60.

ADvertendum præterea est, quod tempore Executionis latæ cujuslibet Sententiæ, ante omnia portiones filiorum, & filiarum cujuspiam convicti hominis, si qui ante Sententiam ipsam in rerum natura sunt generati, & propagati; fratrum etiam generationalium, & aliorum quorumcunque, qui cum eodem convicto Jura possessionaria habent indivisa; sequestrandæ B) sunt, & excludendæ: Atque portio solummodo ad personam ipsius convicti cedens, inter Judicem, & adversam partem (modo prædeclarato) C) erit dividenda.

§. 1. De *rebus* siquidem *mobilibus*, D) tam filii, & filiæ, quam etiam uxor talis convicti, portiones suas per hominem Judicis ad Executionem ipsam deputatum, rehabere debent.

§. 2.

A) Supra p. 2. t. 58. §. fin. Quid porro sint Literæ *Judiciales, non Birsagiales*, sed potius Actionales; & qualiter, ac per quos, dependenter ab iis *Proclamatio* in Judicio peragatur; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

B) Conformiter ad art. 104. 1659.

C) Supra p. 2. t. 56. & seqq.

D) Juxta dictamen tit. 99. p. 1.

§. 2. *Filius* namque *pro delictis*, & excessibus *patris*, *& e converso*, *pater pro demeritis filii*, *nec in persona*, *nec Juribus possessionariis*, *vel aliis rebus condemnari solet.* A)

§. 3. De Juribus tamen possessionariis, filiæ non aliter, nisi Jura eadem possessionaria, sexum quoque fœmineum, *manifeste*, *& reali Dominio fœminarum demonstrante* concernant, portiones possessionarias habere possunt. B)

§. 4. Uxor vero sua, Dotem, ac res Paraphernales suas tam a filiis suis, quam etiam ab eo, qui portiones mariti sui possidebit, marito ipso decedente, pro se rehabere valebit: C) Prout in prima quoque Parte, D) ubi de Dotalitiorum solutionibus tractatum est, notabile positum habes.

De æstimatione Jurium paternorum, vel fraternorum, litis intermedio decedentium.

TITULUS 61.

ITEM, si quis Nobilium per quempiam in Curiam Regiam, occasione occupationis Jurium possessionariorum, vel aliorum negotiorum, factum *majoris potentiæ* (de quo *Capitalis*

A) p. 1. t. 79. Item Ludov. I. Reg. Decr. art. 19. Ulad. Decr. 1. art. 74. Excepto tamen crimine læsæ Majestatis, seu Perduellionis, in quo etiam portiones filiorum innocentum amittuntur. art. 9. 1715.

B) Tunc proinde contentari debent quarta puellari.

C) Andr. II. art. 12. Math. Decr. 6. art. 27. Ulad. Decr. 1. art. 64. D) Nempe tit. 103.

talis Sententia, vel *Emenda capitis* evenire solet) tangentium evocatus A) fuerit; & ante decisionem ipsius causæ, ab hac luce decesserit; tunc filius, aut frater illius defuncti, ad quem Jura possessionaria devolventur, & ex consequenti causa ipsa de Regni Consuetudine condescendet; non in alio onere, & gravamine, quam in æstimatione duntaxat Jurium paternorum, vel fraternorum convinci; & præterea Jura possessionaria male occupata, Actori per Judicem restitui; damna B) etiam illata (si quantitas eorum in Literis Evocatoriis specificata, & sententia *per non venientiam* lata fuerit) simpliciter, & ante omnia, Actori refundi; & tandem residua Jura possessionaria ipsius defuncti, inter Judicem, & Actorem dividi solent.

§. 1. Si tamen *per responsiones partium* Sententia pronunciata fuerit; tunc damna ipsa *Juramento mediante* recuperari debebunt. C) *Qua-*

A) Isthic vult *Com. Syst.* interseri: *Et litem contestatus fuerit.* Siquidem sola *Evocatio*, pœnam æstimationis Bonorum non meretur. Et ita jubet etiam p. 2. t. 51. intelligi.

B) Nomine damnorum, *in actibus potentiariis*; fructus intermissi, & expensæ veniunt. Damna autem ex rapinis, furtis, & aliis delictis *emersa*, sive enata, & res non extantes; Juramento Actoris Nobilis. *Secundo*, Ignobilis vero *tertio se*, seu cum tertia manu, juxta t. 34. p. 3. acquiri poterunt. *Com. Syst.*

C) Ad hunc Titulum concurrunt Articuli de actibus potentiariis, etiam minoribus, sparsim in Decretis existentes. Confer etiam Math. Decr. 6. a. 14. & Kitt. Dub. 71.

Qualiter filii, ante & post Sententiationem Patris nati, in Bonis paternis succedant?

TITULUS 62.

HOc quoque non prætermittendum est, quod filii, post latam, & executam contra Patrem Sententiam progeniti, qui tunc in utero materno nondum fuere generati; de bonis, & Juribus paternis, per ipsam sententiam ad manus judiciarias, vel adversæ partis, aut eorum medio, aliorum quorumcunque *deventis*, & statutis; nullam pro se portionem habere possunt, neque de eisdem sunt consulendi.

§. 1. Filii tamen ante latam Sententiam nati, & propagati, tam portionibus eorum propriis, quam etiam paternis, si a manibus judicis & adversæ partis portiones paternas redimere voluerint; potiri solent, possuntque semper.

§. 2. UBI sciendum, quod filiorum alii *concepti*, alii *nati*, alii vero *posthumi* vocantur. *Concepti* dicuntur, qui commixtione legitima maris, & fœminæ, in utero matris sunt generati, nondum tamen nati. Quorum natura est; quod a tempore conceptionis (quam partus indicabit) æqualia Jura habeant cum natis, & extantibus filiis.

§. 3. *Posthumi* autem sunt, qui post humationem - A) seu sepulturam patris, *legitime* na-

A) Appellatione *Posthumi* proprie venit ille; qui natus est post mortem Patris, seu is jam terræ mandatus fuerit, seu non *l.* 3. §. 1. *ff. de injusto, rupto, & irrito facto Testam.*

nascuntur. Et dico notanter *legitime;* quia si partus, facta humatione viri, post decem menses fieret; tunc infans ille, recte, deque Jure, *posthumus* non diceretur: Non enim ex thoro, semineque mariti defuncti; sed potius ex fornicatione mulieris, præsumeretur in lucem prodiisse.

§. 4. Et hi omnes, tam concepti, quam etiam nati, & posthumi, legitime tamen (ut præmisi) generati; in Juribus paternis æqualiter semper succedunt. A)

Utrum Filius, post Patris Sententiationem natus, possit redimere paterna Bona?

TITULUS 63.

SEd hic quæritur; utrum filius post Sententiationem patris natus, qui nullam portionem de Juribus paternis (sicuti præmissum est) habere permittitur, bona, & Jura paterna, vigore latæ Sententiæ occupata, de manibus Judicis, ac adversæ partis, vel aliorum quorumcunque, *communem per æstimationem* eorundem bonorum, ad se redimere possit?

§. 1. DICENDUM, quod sic. Quia *sanguinis, & parentelæ propagatio*, vim adhuc, & virtutem *vicinitatis*, ac *commetaneitatis* B) talium bonorum, & Jurium possessionariorum habet, atque repræsentat.

§. 2.

A) Confer cum hoc Titulo; *Tyroc. Jur. Ung.* ob casus quospiam illic decisos.

B) Voces has: *Vicinitatis, & commetaneitatis*, velut omnino incongrue illic positas; expunctas voluit *Com. Syst.*

§. 2. Si igitur vicinis, & commetaneis a) bonorum ipsorum per sententiam occupatorum redemptio (prout præactum est) de Jure permittitur; ergo & filio post Sententiam nato, redemptio ipsa legitime conceditur.

Quid, si Pater cum Filio, vel omnes Fratres simul, sententiabuntur?

TITULUS 64.

QUid, si pater cum filio, vel etiam omnes fratres simul sententiabuntur, nemoque illorum fuerit ab onere, & gravamine latæ ipsius Sententiæ præservatus, faciendum erit?

§. 1. RESPONDEO, quod per gratiam Principis, in quem proprietas, & hæreditas hujusmodi bonorum occupatorum, sententiatis ipsis deficientibus tendit, atque respicit; redemptio fieri eorum poterit, & debebit.

§. 2. ITEM, de unica quoque, & singulari persona, quæ nec filios, vel filias, nec fratres habet, ad quos, aut quibus redemptio ejuscemodi bonorum de Jure spectaret, & competeret; idem est sentiendum.

§. 3. UBI advertendum, quod, si vicini, & commetanei talium bonorum, & Jurium possessionariorum occupatorum, ea ad se redemerint; filii post Sententiam nati, aut pater cum filio, sive fratres simul sententiati, vel singularis ipsa persona; *Regia gratia suffragante* de mani-

a) Confer. sup. p. 2. t. 56.

nibus eorundem vicinorum, & commetaneorum, illa pro se rehabere poterunt: Et brevi quidem processu, unico, ut puta, termino juridico, admonitione duntaxat legitima super ea re præhabita.

§. 4. Et hoc de vicinis, ac commetaneis, intelligendum est semper in casu, quo sententiatus quispiam, omnibus hæredibus, ac fratribus condivisionalibus, vel aliis legitimis successoribus (ad quos devolutio bonorum suorum spectaret) omnino destitutus fuerit. Nam illis existentibus, magis ad eos (si volunt) quam ad vicinos redemptio ipsa pertinebit. a)

Utrum per Sententiam in Curia Regia latam, etiam Bona in Sclavonia, vel Transylvania habita amittantur? & e converso.

TITULUS 65.

QUæritur ulterius, si quis Nobilium tam in hoc Hungariæ, quam etiam Sclavoniæ Regno, vel partibus Transylvanis, bona, & Jura possessionaria habens, in Octavis, aut cæteris Judiciis, in Hungaria, aut Sclavonia, vel Transylvania celebrandis, *infacto majoris potentiæ*, ex eo quoque in capitali, aut emendæ capitis Sententia fuerit convictus; utrum universa bo-

a) Notat *Com. Syst.* quod *Filiæ*, & *Sorores*, sensu hujus, & præcedentis 63. tit. etiam in casu, quo Bona per Capitalem Sententiam executa, easdem non concernerent; possint tamen *Jure Parentelæ*, præ omnibus vicinis, & commetaneis, eadem redimere.

bona, & jura sua possessionaria, in utroque Regno, & Transylvanis partibus sita, atque habita, simul, & semel amittat, vel solummodo illa, quæ in ipso Regno, ubi sententia profertur, adjacent, amisisse intelligatur?

§. 1. DICENDUM est, quod licet opinione quorundam Juristarum, generaliter ubilibet, & in quibuscunque Regnis, vel partibus adjacentia, uno saltem in loco sententiatus, amisisse dicatur; hæc tamen opinio tenenda non est.

§. 2. Quoniam *authoritas cujuslibet Judicis, solummodo ad loca Jurisdictioni suæ subjecta, se extendit.*

§. 3. Modo certum est, quod Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, vel Wayvoda Transylvanus, non habet Jurisdictionem judicandi in Comitatibus Regno Hungariæ incorporatis, sed tantum Officiolatui suo subjectis. Et e converso; nec cæteri Judices Ordinarii Curiæ Regiæ, sese in Jurisdictionem aliorum Judicum ingerere, vel immittere possunt. Aliter enim nulla esset distinctio Regnorum, pariter & Judiciorum: Quæ seorsim, & diverso tempore, diversoque modo semper celebrari consueverunt. a)

§. 4. Et propterea in Literis quoque Sententionalibus ipsorum Judicum, clausula ista: *Intra ambitum hujus Regni Hungariæ, vel hujus*

a) Confer. Ulad. Decr. 1. a. 41. Item artt. 7. 1573. 1575. 87. 1559.

jus Regni Sclavoniæ, aut harum Partium Transylvanarum, semper apponi solet.

§. 5. Verumtamen in facto, & *causa Notæ Infidelitatis*, A) per unicam solummodo *Sententiam*, vel etiam *Donationem* B) *Regiam* (dummodo Donatio legitime facta fuerit) universa bona, & cuncta Jura possessionaria ubilibet, & in quibuscunque Regnis, ac Partibus sacræ Coronæ Regni subjectis sita, & habita; de facto amittuntur: Quia Jurisdictio ejusdem Coronæ, contra quam Infidelitatis ipsa Nota committitur; ad quævis Regna, & Partes sibi subjectas æque se extendit.

§. 6. Nihilominus Executio, & bonorum illorum occupatio, per eum solum Judicem, coram quo Sententia hujusmodi Notæ Infidelitatis lata fuerit, ubilibet fieri non poterit; sed occupationem bonorum extra Jurisdictionem suam habitorum, ad Judicem, cujus Jurisdictioni subsunt, ipse Judex causæ per literas suas remittere debet. c)

De

A) Aut læsæ Majestatis: ob identitatem, aut majoritatem Rationis. Et sæpe alias Werbőczius Sententiam Notæ Infidelitatis, cum læsæ Majestatis confundit, ut supra p. 1. t. 14. & alibi. Vid. *Tyrocin. Jur. Ung. ad cit. t.* 14. §. 6.

B) Proinde possunt Bona sic convicti, ubilibet sub sacra Corona Regni adjacentia, *unica Donatione* ab Regia Majestate impetrari. Id quod, ob identitatem Rationis, intelligi debet etiam de casu defectus in semine.

c) De Juribus Sclavoniæ, & Transylvaniæ, Vide *plura, infra p.* 3. *t.* 3.

De Sententia per Notam Infidelitatis pronuncianda.

TITULUS 66.

ITEM, in facto quoque, & Sententia A) Notæ Infidelitatis, eo præcise modo, & ordine, quo in Capitali Sententia, procedendum est.

§. 1. Qualiter tamen Nota Infidelitatis ab ipsa Capitali Sententia differat; in prima Parte, B) ubi de Donationibus Regiis in generali tractatum est, reperies.

§. 2. Tribus autem modis solet decerni, & pronunciari Nota Infidelitatis. Sed horum seriem infra c) in repulsionis ordine statui declarandum.

De Actibus potentiariis minoribus: Et Sententiis super ea referendis.

TITULUS 67.

SCiendum ulterius, quod Sententiarum aliæ sunt *Simplices*, quæ nec ad pœnam, nec Emendam capitis tendunt, sed *medietatem* duntaxat *Emendæ capitis*, hoc est: centum florenos repræsentant. D)

A) De Sententia, ejusque requisitis in genere; Vid. p. 2. t. 42. De casibus Notæ Infidelitatis; p. 1. t. 14. De pœna illius, p. 1. t. 16. B) Scilicet t. 16.

c) Infra p. 2. titt. 73. 74. 75. & 76.

D) De Actibus minoris potentiæ, propter quos Sententiæ istæ pronunciari solent; Vid. a. 4. 1608. post Coron. a. 29. 1609. a. 23. 1613.

§. 1. Et hujusmodi Sententiæ juxta contenta Generalis Constitutionis, & Decreti moderni Domini Nostri ULADISLAI Regis, A) tam ad Dominos Prælatos, & Barones, aliosque Magnates, quam etiam Nobiles, æqualiter referuntur: & non ad plures, quam centum (ut prætactum est) florenos pro actibus potentiariis se extendunt.

§. 2. Damna insuper, in actione, ac acquisitione Actoris, vel Actricis declarata, compensant, & refundunt.

§. 3. Et horum centum florenorum directa medietas Judici; altera vero pars Actori, vel Actrici remanebit. Damnorum tamen refusio in personam solius Actoris, vel Actricis redundabit.

§. 4. Vigore autem ejusmodi Sententiarum, nemo Nobilium (dempto quodam casu subnotando) in persona sua detineri poterit: Sed de onere dictorum centum florenorum, & refusione damnorum, de bonis, & rebus mobilibus convicti, si reperiri poterunt; aliter autem de Juribus ejusdem possessionariis, Actori, vel Actrici per Judicem satisfactio impendi debet.

§. 5. Et sub hac specie Sententiarum comprehenduntur generaliter, nostra hac tempestate, *universi actus potentiarii*, præter casus prædeclaratos, ex quibus majores Sententias, *Capitales*, ut puta, & *Emendam capitis* tangentes genenari, subsequique prænotavi: Et propter.

A) Decr. 1. a. 55.

pterea, *minores Actus potentiarii*, & *minores Sententiæ* solent appellari.

§. 6. Licet ante Generale Decretum Invictissimi Principis quondam Domini MATHIÆ Regis, A) in anno Salutis quadringentesimo octuagesimo sexto supra millesimum, editum (quod ipse quoque Dominus noster ULADISL. Rex B) in hac parte roboravit) omnes Domini Seculares, & Nobiles, possessionatique homines ratione quorumcunque actuum potentiariorum generaliter, & universaliter, in facto majoris potentiæ, ex eoque in Capitalibus, aut Emendæ capitis sententiis solebant aggravari. C)

§. 7. Cujus rei ut clarior notitia habeatur, articulum super eo conscriptum D) verbotenus inserendum curavi; qui sub hac verborum sequitur forma.

§. 8. „ ITEM, in causis ratione illatio-
„ nis damnorum, cæterorumque nocumento-
„ rum, & injuriarum, ac actuum potentia-
„ riorum minorum motis, etiamsi patrator ore
„ suo proprio coram suo Judice profiteretur;
„ nemo deinceps in facto potentiæ, sed solum-
„ modo in solutione hujusmodi damnorum illa-

A) Math. Decr. 6. a. 15. B) Decr. 1. a. 55.

C) Nempe olim Sententia etiam actuum minoris potentiæ, pronunciabatur in Curia Regia arg. a. 48. 1563. Ubi facultas eam ferendi, extenditur etiam ad Judicium Comitatense. Jam vero ex diuturna praxi, per art. 35. 1729. confirmata & stabilita; Judices Competentes Violentiarum, sunt soli Comitatenses. a. 28. 1715. & 35. 1729.

D) Ulad. Decr. 1. a. 55.

„ torum, & expensis Actoris, eidem tantum-
„ modo persolvendis: Insuper pro præmissis
„ actibus potentiariis, in *viginti quinque Mar-*
„ *cis gravis ponderis, centum florenos auri fa-*
„ *cientibus*, inter Judicem, & Actorem æqua-
„ liter dividendis convincatur, & per Judicem
„ ad solutionem statim compellatur.

§. 9. „ In causis vero majoribus; A) sci-
„ licet ratione invasionis domorum Nobilium
„ sine justa causa; Occupationis possessionum,
„ & pertinentiarum earundem: Detentionis
„ Nobilium sine justa causa: Verberationis, &
„ Vulnerationis, ac Interemptionis Nobilium,
„ motis; in his taliter Judex procedere habe-
„ bit: Quod, si Actor pro sui parte inquisitio-
„ nem modo, & ordine supra notato reporta-
„ verit, in ampliorem rei verificationem, si Par-
„ tes voluerint, causam ipsam ad communem
„ inquisitionem decernat.

§. 10. „ Si vero reus ipsam inquisitionem
„ acceptare recusaverit; tunc Actor pro majori
„ verificatione actionis suæ, juxta Regni con-
„ suetudinem hactenus in hac parte observa-
„ tam, ad caput illius Adversarii jurare habebit.

§. 11. „ Ita tamen, si Adversarius ille, si-
„ ve in causam attractus, in eodem Comitatu,
„ ubi mala sunt patrata, propriam, persona-
„ lemque, & continuam faciat residentiam.

§. 12.

A) Hic vero articulus est in Ulad. Decr. 1. quinqua-gesimus sextus.

§. 12. „ Ubi autem talis in causam attra-
„ ctus, in aliis partibus, seu Provinciis Regni
„ personalem facit residentiam, ac in ejus ab-
„ sentia hujusmodi mala patrata sunt, & com-
„ missa; tunc juxta contenta literarum, propter
„ suam innocentiam se Juramento expurgabit.

§. 13. „ Ex parte denique familiarium, &
„ jobagionum suorum, vigore præsentis arti-
„ culi, fiat Judicium, & Justitia, Lege Regni
„ requirente. A)

De casu, in quo etiam vigore minoris Sententiæ *quis detineri potest.*

TITULUS 68.

ITEM, quia plures sunt in Regno, *unius Sessionis Nobiles*, & alii possessionati homines qui verorum Nobilium Privilegio, libertateque gaudent, desidiæ tamen, & torpori dediti, rebus temporalibus adeo defecerunt; ut non centum florenos, sed difficulter etiam centum Denarios solvere queant: Nihilominus mala patrare non cessant: Cum potissime plures interdum proles se habere conspiciunt, & illorum Jura, vel portiones amittere non posse considerant: In personis etiam suis detineri se, non formidant.

§. 1. Unde quasi in usum apud plerosque succrevit, ut spe inopiæ ducti, vel potius se-

A) De *Processu querulose*, & aliis ad hunc Titulum pertinentibus; Vid. *Tyroc. Jur. Ung.*

ducti, quod non habent, quid perdere, vel amittere valeant, majora sæpe malorum genera potentioribus, ditioribusque se, committere, & perpetrare non verentur.

§. 2. UNDE quæritur; si quispiam litigantium in ipso minori facto potentiæ, centum (ut præmissum est) florenos faciente, aut damnorum illatorum, & irrogatorum, a) refusione convictus, & aggravatus, rebus mobilibus, & Juribus possessionariis ad portionem ejusdem convicti cedentibus, adeo destitutus fuerit, per Judicem causæ compertus; ut nusquam hujusmodi centum florenos, damnaque irrogata, per res, & Jura sua possessionaria compensare possit; utrum in tali causa convictus ipse, in persona sua per Judicem detineri, & usque ad Emendam, ac satisfactionem conservari valeat, libertate Nobilitatis non obstante?

§. 3. DICENDUM, quod sic. Quoniam libertas, & prærogativa, ac exemptio Nobilium, a captivitate non liberat quemquam, neque exemptum reddit a pœna, punitioneque pravi operis; sed potius damnat: *Virtus* enim, per quam Nobilitas vera fundatur, *dictat, ut honeste quisque vivat, & alterum non lædat.*

§. 4. Nec etiam Constitutioni Generali totius Regni, detentio ejuscemodi personalis Nobilium derogat: quæ vetat, ut Nobiles non captiventur; nisi citati, & ordine juridico fuerint convicti.

§. 5.

a) Adde: *Et expensarum Com. Syst.*

§. 5. In hoc itaque casu, post citationem, vel evocationem, & post latam ordine Juris a Judice Sententiam, detentio personalis ipsa sequitur: Quam nec Constitutio Generalis illa vetat. Unde merito Nobilis ipse in persona sua (casu in prænotato) per Judicem suum, vel ejus hominem ad id specialiter deputatum, A) captivari, detinerique B) poterit. C)

§. 6. Quem sic captum, Judex ipse quindecim diebus (*prout in facto debitorum fieri consuevit*) apud manus suas concordiæ causa conservare; &, si hoc modo, atque infra illud tempus, in unionem cum adversa parte devenire non curaverit; tunc idem Judex manibus dicti Adversarii sui illum tradere, & assignare tenetur.

§. 7. Quem Adversarius ipse, tamdiu apud se detinendi habet authoritatem; quoad usque detentus ille cum eo concordabit, & ipsum simul cum Judice suo, super prædicto

A) Non vero per Actorem: sed per Judicem, aut ejus hominem, cum literis adjudicatoriis, & simul ex Sede Exmissionalibus.

B) Hæc autem detentio, & captivatio, non debet fieri per modum incaptivationis formalis, prout fit in Sententia Capitali: sed prout in facto manifestorum debitorum fieri consuevit. Et ideo Judex, non tribus, sed 15. diebus, eum concordiæ causa apud se detinet.

C) De Nobilium personali in variis Casibus detentiones Vid. Sup. p. 1. t. 9. Quibus adde manifesto debitores, sensu p. 3. t. 28. Math. Decr. 6. a. 29. Ulad. Decr. 1. a. 92. Kitt. c. 9. q. 29.

onere centum florenorum contentos reddet, damnaque Adversario suo irrogata refundet.

§. 8. Interim autem Actor, eum in persona sua punire, vel impedire non poterit.

§. 9. Attamen detentus ille, *tanquam unus ex familia Actoris*, eidem servire tenebitur.

De pœna Violationis Sedis Judiciariæ: *Et de solutione oneris minoris Sententiæ.*

TITULUS 69.

QUia vero *violatio* quoque *Sedis Judiciariæ, centum florenis* A) compensatur, ideo sub hac minori Sententia ob similem ejus pœnam comprehenditur.

§. 1. Attamen nonnulli putavere, tam onus ipsius violationis Sedis Judiciariæ Regiæ Majestatis, & Comitum Parochialium quorumlibet Comitatuum (quæ propter *illicita verba* in Sede prolata, vel *dehonestationem* B) in Sede ipsa

A) Consonat Sigis. Decr. 6. a. 7. cas. 3. Math. Reg. Decr. 6. a. 58. Ulad. Decr. 1. a. 67. Kitt. c. 9. q. 22. Et hujus pœnæ duæ partes obveniunt Judici, tertia Parti adversæ. Si tamen stante Sede deponatur; 25. florenis compensatur: a. 89. 1635. a. 94. 1649. & art. 57. 1723. In Sedibus Judiciariis Comitatuum, & Congregationibus eorundem. Nam in Tabula Regia: semper 100. florenis hoc onus deponitur. §. finalis h. t. & Kitt. c. 9. q. 22.

B) Violatur Sedes Judiciaria &! *Verbaliter*, per verba contumeliosa, &c. Et *Realiter*, ut si quis alterum illic verberet, colapho cædat, rixas concitet, &c.

Huc

ipsa existentium committi solet, quam etiam hujus minoris Sententiæ (quod *viginti quinque Marcis argenti gravis ponderis* computatur) solummodo viginti quinque florenis deponi, & absolvi posse; ex eo, quod in Sede Judiciaria Regiæ Majestatis, dum Birsagia, & Judiciorum gravamina solvuntur, singulam, seu unamquamque Marcarum, ad unum duntaxat florenum, vel Centum Denarios præsentis monetæ taxare, & sic deponere consueverunt, prout *inferius*, A) ubi de Judiciorum solutionibus tractabitur, clarius dicetur.

§. 2. Opinio tamen ista tenenda non est: Nam oneris hujusmodi Sententiarum depositio, & Birsagiorum, ac Judiciorum solutio, longe inter se differt, diversoque modo, & fine clauditur: Sicuti paulo inferius (ut præmisi) declarabitur.

§. 3. BREVISSIME igitur sciendum, quod sive in Sede Judiciaria Regiæ Majestatis, sive tempore Executionis, vel post Executionem harum minorum Sententiarum; si quis litigantium, onera eorum deponere, & persolvere voluerit; non aliter, nisi *centum florenis* deponere, expedireque valebit.

§. 4. Verumtamen, si pecuniis paratis caruerit; etiam solutione rerum mobilium B)

Huc facit Ulad. Decr. 1. a. 79. vetans, ne quis armatus locum Judiciorum ingrediatur: Metu scilicet rixarum.

A) Nempe p. 2. t. 86.

B) Facile scilicet in pecuniam convertibilium. *Com. Syst.*

(juxta tamen verum valorem earundem rerum) deponendi habet potestatem.

§. 5. Secus tamen est de violatione Sedis Judiciariæ Regiæ Majestatis: Quia convictus de Sede ipsa interim non emittitur, donec super violatione hujusmodi satisfecerit effective. a)

Calumnia *quid sit? & quot modis committatur? & de ejusdem pœna.*

TITULUS 70.

QUanquam factum, vel causa Calumniæ, ad pœnam capitis non tendat; quia tamen Emendam capitis quodammodo tangere dignoscitur, ideo de ipsa calumnia in hac Sententiarum serie paucis tractandum competit.

§. 1. UBI sciendum, quod *Calumnia, est litis contra quempiam, duplici sub colore, vel diverso tramite, fraudulenta motio, atque suscitatio.* a) Quæ licet pluribus in causis, atque casibus ex dolosa litigantium machinatione; interdum etiam ex pœna in Generali Constitutione

a) De Violatione Sedis Judiciariæ, ejusque pœna, plura Vid. in *Tyroc. Jur. Ung.* Antilogiam vero, sive contradictionem, quæ inter hunc, & octuagesimum Sextum Titulum p. 2. videtur intercedere, bene salvat Kitt. Dub. 78.

b) Consonat Kitt. c. 9. q. 16. Potest tamen etiam extra monitionem litis, calumniose quis agere: ut videre est: Math. Decr. 6. a. 39. Quo sensu autem Civilistæ, & Canonistæ *Calumniam* accipiant; & de *Juramento Calumniæ*, olim etiam apud Nos præstari solito; Vid. *Tyroc. Jur. Ung. ad h. & seq. t.*

ne declarata committatur; *tribus* tamen præcipue *modis* committi solet: De quibus etiam diffinitio prænotata posita est.

§. 2. PRIMO; dum quis unam, & eandem rem, vel actionem, duplici sub colore, aut duplici via prosequitur. A) Si enim quispiam litigantium possessionem unam titulo pignoris, & etiam Jure perpetuitatis acquirit; duplex color dicitur: B) Si vero unam, & eandem rem sub uno, & eodem titulo, coram tamen duobus, vel diversis Judicibus prosecutus fuerit; duplex via nominatur.

§. 3. SECUNDO vero, quando quispiam alterum super Jure Quartalitio, vel Dotalitio, aut Impignoratitio, vel alio etiam quovis negotio expeditum, & absolutum reddit, atque committit; & tandem ratione ejusdem negotii, ipsum absolutum, aut ejusdem hæredes, & successores, rursus in litem attrahit: Vel forsitan eo decedente, filii, aut alii legitimi sui successores

A) Hic Juris textus non se extendit ad Jus pecuniarium Bonis hæreditariis investitum: Cum hoc in casu, hypotheca in pecuniam transeat, & duplex color dici non possit. *Com. Syst.*

B) Consonat p. 2. t. 25. Calumniatur autem etiam Pars I. pœnamque proin Calumniæ incurrit, si se dolose defendat, v. g. Si titulo pignoratitio, & simul perennali, in possessione suorum Bonorum sese tueatur: contra sensum t. 82. p. 1. Huc refer & eam Calumniæ speciem dum quis litigantium duobus Juridicis Remediis, ejusdem, vel diversi generis, simul, seu altero prius non depositio, vel judicialiter non cassato utitur. Kitt. c. 9. q. 17.

res attrahunt. A) Mox, ubi super ea re probabile, sufficiensque B) documentum produci poterit, talis Calumniæ pœnam incurrit.

§. 4. TERTIO autem, quando una causa processu Juris terminatur, & secundario absque gratia Principis, & collatione novi Judicii, C) iterum resuscitatur, tunc factum Calumniæ statim committitur. D)

§. 5. Cujus vigore, *principalis causa*, hoc est: res illa, quæ prosequebatur, sive sit Castrum, vel Oppidum, aut aliud Jus possessionarium, sive pecuniarum summa, sive Dotalitium, aut Quartalitium; in perpetuum amittitur eo facto. E) Et insuper Calumniator ille, in *quinquaginta Marcis Homagiatibus*, ducentos florenos auri facientibus, in duabus Judici, inter-

A) Scienter scilicet; ac fraudulenter, & sine omni fundamento, vel cautione. *Com. Syst.*

B) *Probabile, sufficiensque documentum*; pro una, & eadem sufficienti proba est accipiendum cum sola probabilitas ad sententiam non sufficiat. *Com. Syst.*

C) Scilicet *in tabularibus*: Cum in Causis extra-Tabularibus, etiam per Judices Ordinarios Regni, dari *Novum cum gratia* soleat. *Com. Syst.* Confer Kitt. c. 8. q. 15.

D) Præter tres modos hic recensitos, qualiter, & quibus præterea in casibus Calumnia committatur; Vid. *in Tyroc. Jur. Hung. ad seq. t.*

E) Hoc est: eodem ipso processu mediante, causam in perpetuum amittit. Consonat infra p. 2. t. 72. §. 1. Kitt. c. 9. q. 19. & Praxis quotid. Est itaque Calumnia, *Exceptio peremptoria*, de qua vid. *Tyroc. Jur. Hung. ad tit. seq.* & Kitt. c. 4. q. 25. & seqq.

tertia vero partibus in causam attracto solvendis, convincitur, & aggravatur, ipso pariter facto. A)

Quæstio notabilis, & advertenda, super facto Calumniæ.

TITULUS 71.

ITEM, circa hanc materiam Calumniæ advertendum est, quod sæpenumero contingat, Principem nostrum, Castrum, Civitatem, Oppidum, Villam, vel aliud hujusmodi Jus possessionarium, cujus hæreditas, & proprietas ad eum manifeste spectat, & pertinet, præ manibus tamen alienis titulo pignoris, aut alio in scriptionis genere, ad tempus habetur; alicui Servitorum suorum in perpetuum donare, & conferre. Qui Dominium ejuscemodi Juris possessionarii, non aliter, nisi deposita, solutaque illius inscriptionis pecuniarum summa, pro se vendicare poterit. B)

§. 1. Ille vero, præ cujus manibus tale Jus possessionarium habetur, etiam legitime admonitus, pecuniam suam non secus, nisi ad terminos Octavales, causam inde suscitandam prorogando, tollere, & fere coactus ad se levare consuevit, sicque inter litigandum annualis revolutio creberrime subsequi, præterireque solet.

§. 2.

A) In Causis tamen Comitatensibus *Centum* duntaxat *florenis* hæc pœna exolvitur. De quo Vid. *Tyrol. Jur. Ung. ad b. t.*

B) Supra p. 1. t. 27.

§. 2. Certum est autem, quod Donati Regia cuicunque perpetuo facta, infra ipsamani unius integri revolutionem, statutione legitim roborari debet: Aliter enim viribus destitut manebit. a)

§. 3. Si itaque Actor, seu Juris ipsius po sessionarii impetrator, se in Dominium ejusder introduci, illudque infra dicti anni revolutic nem pro se statui legitime fecerit, ne Don tio sua viribus careat, & alio ex latere admon tionem quoque juridicam super tollenda prænc tatæ pecuniæ summa, sive ante, sive post revc lutionem ipsam annualem peregerit; mox unam & eandem rem, atque causam, duplici sub cc lore, duplicique via, ipsum Actorem prosequ in causam attractus aliegabit.

§. 4. SIMILE est de Juribus possessionari virtute alicujus Contractus, & Regii consensu in quempiam devolvendis. Quæ antequam_ succesor ille legitimus, in quem, ut puta, Jus possessionaria rite sunt devoluta, & redacta, ma nibus suis applicare posset, potens quispiam Dc minorum; sæpe etiam inferioris conditionis ho minum; manu violenta, illa pro se occupare temerarieque vendicare crebro solet.

§. 5. Et, si succesor ipse, vigore hujus modi contractus, qui naturam, vimque Dona tionis conditionaliter sapit, & habet, se in Do minium talium bonorum, & Jurium possessiona riorum introduci, eaque pro se, usque dictar an-

a) Supra p. 1. t. 4. & 32. Necnon p. 2. t. 12.

annualem revolutionem ſtatui fecerit; tunc contradictione per occupatorem, vel alium quempiam facta, cauſa in longum protrahi, ſerpereque conſuevit: ita, ut vix aliquando in unius ætate hominis finem debitum ſortiri poterit.

§. 6. Quæ ſi etiam prius, aut tunc finem ſortita fuerit; de perceptis tamen tempore medio fructibus, nulla recompenſa, vel ſatisfactio Actori impenditur, nulla etiam debitæ ultionis pœna ſuper actibus potentiariis, hoc eſt: violenta, potentiariaque conſervatione illorum Jurium poſſeſſionariorum in cauſam attracto infligitur: Eo, quod cauſa ipſa non inſinuatione mediante, ſed *per ſimplicem Evocationem* (quam Nos *Longum litis proceſſum* appellamus) inchoata fuiſſe dicetur: Licet quælibet cauſa, virtute alicujus contractus inchoata, eo præciſe modo, & ordine, proceſſuque brevi terminari debeat; quo cauſa prætextu bonorum per defectum ſeminis quorumcunque decedentium, ad collationem Regiæ Majeſtatis derivatorum finiri, determinarique, & concludi ſolet.

§ 7. Si vero cauſa *per inſinuationem*, prætextu indebitæ, violentæque occupationis Jurium ipſorum poſſeſſionariorum, a) per Actorem mota, ſuſcitataque fuerit (ſtatutione quoque prænarrata ſuper eisdem Juribus poſſeſſionariis, prius, vel etiam poſt peracta) pari modo duplici ſub colore, calumnioſeque Jura ejuscemodi poſſeſ-

a) Conf. Kitt. c. 2. q. 7. ſub fin.

sessionaria Actorem acquirere, & prosequi; occupator ipse allegabit.

§. 8. EX PRÆMISSIS igitur quæstio subinfertur: Utrum prædeclaratæ causarum motiones, duplici via, vel duplici colore factæ, pœnam Calumniæ afferant? Ad quam quæstiunculam breviter dicendum est; quod non.

§. 9. Quoniam contra malæ fidei possessorem agitur: Qui postquam non poterit, justa se bona, & Jura hujusmodi possessionaria tenuisse, possedisseque comprobare; ex hoc neque poterit adversus Actorem opponere, male se in juribus illis duplici ipso colore, vel duplici via perturbatum fuisse. Quia Jura illa, non sua, sed Actoris fuere: Quæ absoluta solummodo potentia, ad exitum usque litis gubernavit. *Possessor enim bonæ, & non malæ fidei, habet præmissa allegandi facultatem.*

§. 10. UBI autem objiceretur, quod *ille, qui virtute inscriptionis Regiæ ejuscemodi talia bona possidet, bonæ fidei possessor esse censeatur:* Verum est, interea temporis, quo ad levandam, & tollendam pecuniam suam non admonetur. Postquam tamen admonitus legitime fuerit, & pecuniæ suæ summam tollere recusaverit; sed frivolis, & exquisitis exceptionibus, ad terminos Octavales causam distulerit, ut interim fructus illorum bonorum capere possit; a) *jam non bonæ, sed malæ fidei possessor esse existimatur.* Et, nisi alia pœna in Generali

De

a) Supra p. 1. t. 25.

Decreto noſtro A) ſuper hujusmodi fœneratoribus (qui pecunias ſuas admoniti levare recuſant) expreſſa fuiſſet; talis fœnerator in perpetua æſtimatione ipſorum Bonorum convinci deberet, & aggravari: Dum potiſſime, Juri conſentaneam rationem non levationis pecuniæ ſuæ dare, vel aſſignare non poſſit.

§. 11. Aliter enim, ſi violenta Bonorum ocupatio, & fraudulenta ad tempus eorundem conſervatio locum haberet, impunitaque maneret; profecto difficillime, tardeque nimis, juſtis ſuis Juribus aliquis potiri, gaudereque poſſet.

§. 12. IDEM eſt dicendum, atque tenendum, etiam in caſu, quo quispiam Bona, ac Jura poſſeſſionaria defuncti, & hæredibus deſtituti nominis, impignoratitio, vel alio quovis redemptibili Jure, præ manibus ſuis habuerit, & per fratrem adoptivum, ac legitimum ſucceſſorem ipſius defuncti, rite requiſitus pariter, & admonitus, Bona illa (etiam pecunia ſua depoſita) emittere noluerit: Et alia ex parte, idem ſucceſſor, ne annualis revolutio elaberetur, ſtatutionem neceſſariam pro ſe peregerit: Quod ſcilicet juſte, legitimeque, & admonitionem, & ſtatutionem facere poterit: Nulla pœna facti Calumniæ, inde ſubſequente.

A) Ulad. Decr. 1. a. 65.

De Emenda Linguæ: *& de pœna ejusdem.*

TITULUS 72.

EMenda autem linguæ, *viginti quinque Marcis*, centum florenos auri facientibus compensatur: a)

§. 1. Quæ propter injustam, falsamque querimoniam, Regiæ Majestati, aut cæteris Judicibus Ordinariis porrectam: b) & sæpenumero ob turpia, inhonestaque verba contra quempiam bonæ famæ, & honestæ conditionis hominem prolata; per Judices imponitur. c)

§. 2.

a) Inter Oppidanos tamen non privilegiatos, & inter rusticos, viginti solum florenis compensatur. Kitt c. 9. q. 20. Imo & Nobilis, convictus in hac pœna eandem, stante Sede Judiciaria, potest deponere cum minori onere, 25. florenorum, a. 89. 1635. a. 94. 1649. a. 108. 1655. Quodsi tantum æris apud se non habeat, poterit dictam pœnam in annulo, vel horologio, &c. deponere, cum dicto: *Deponit* v. g. *in annulo. Prax.* Quod si tunc negligat; solutis Sede Judiciaria, totalem 25. Marcarum pœnam persolvet. citt. artt.

b) Math. Decr. 6. a. 7. Ejusd. Decr. 5. a. 13. Item a. 50. 1655. Et hic quidem præsentis Tituli § plus sonat de siniſtra, & erronea Instantiarum, & Actionum expositione: Non vero de Incusatione infamatoria: Quia in hoc casu pœna florenorum 100. in illo autem Pœna Talionis dictanda veniret *Com. Syst.* Sensu etiam art. 7. 1715. §. penult. Addit cit. *Com. Syst.* quod dum in Mandato Inhibitorio, plures meritoriæ rationes inseruntur; sufficiat unam evidenter docuisse, ad hoc; ut Judex eidem obtemperare teneatur.

c) Hinc patet, Emendam linguæ & Verbo, & Scripto in-

§. 2. Verumtamen actio principalis, ratione cujus causa ipsa mota fuit, ob injustam hujusmodi querelam, & expositionem, perpetuo non amittitur: Sicuti per Calumniæ factum (prout immediate prætactum A) est) in perpetuum amitti intelligitur.

§. 3. Sed condescensa ipsa causa, & pœna prænarrata; in duabus Judicii, in tertia autem partibus, causanti, vel homini læso, deposita, atque persoluta; B) poterit Actor (si voluerit) eam justo, debitoque modo, denovo suscitare.

Quid sit Repulsio? c) *& de modo, ac pœna ejusdem.*

TITULUS 73.

QUia tempore Executionis Sententiarum, & aliarum judiciariarum deliberationum, per convictos, & in causa succumbentes, *violenta* quædam *repulsio* subsequi, & committi consuevit; ideo de ipsa repulsione hoc in loco breviter aliquid dicendum restat.

incurri posse. De qua complures casus decisos, modumque, & praxim eandem exigendi. Vid. *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

A) Supra p. 2. t. 70.

B) Paratis nempe pecuniis, vel rebus mobilibus, facile in pecuniam convertibilibus, juxta verum earundem valorem, p. 2. t. 134.

c) De *Repulsione* agitur per 4. seqq. titt.

§. 1. Ubi sciendum, quod Repulsio: *Est partis in causa triumphantis, per alteram partem, in causa succumbentem, ab Executione latæ per Judicem sententiæ violenta quædam propulsio.* A)

§. 2. Quæ quidem Repulsio, quamvis ex vocabuli sui virtute, non Juridicus processus; sed contra illum potius manifestum obstaculum esse censeatur: Finitis enim, & pertransitis cunctis causæ processibus, & lata per Judicem diffinitiva jam Sententia; evaginato gladio, vel alio quocunque armorum genere ostenso fieri committique solet: Quia tamen ex vetustissimo usu, & diuturna Consvetudine emanavit, in medium venit; ideo pro quadam nostræ Legis parte, per hujusmodi Consuetudinem dudum approbatam inductæ, jam reputatur.

§. 3. Et post finalem conclusionem cujuslibet causæ, *semel*, *sed non pluries*, B) fieri, & subsequi toleratur.

§. 4. Quæ si facta fuerit; c) per unam *Marcam auri*, *septuaginta & duos florenos faci-*

cien-

A) Fusiorem ejus descriptionem Vide apud Kitt. c. 5 q. 17. Confer etiam cum hoc, & seqq. titt. Novellarem art. 33. 1729. de Repulsione conscriptum.

B) Consonat Ulad. Decr. 1. a 57. Ejusd. Decr. 4 a. 19. Et Decr. 5. a. 4.

C) Scilicet temere, aut ex mera contumacia, ita, ut in Judicio deinde *sufficiens causa* Repulsionis dari non possit, qualis esset v. g. quod Sententia lata sit, non præmissa legali Citatione: Vel si Judex Appellatam non admittat, in Causa evidenter intra Dominium tantum transmissibili, &c.

ientem, in duabus Judici, in tertia vero partibus in causa triumphanti persolvendam compensatur, atque deponitur. A)

§. 5. Secundario autem, si Repulsio in una, eademque causa committeretur; Nota pertinaciæ Infidelitatis inde palam sequeretur: B) Prout in Generali quoque Decreto nostro continetur. C)

Declaratio Articuli, Decreti Generalis D) *super Repulsione conscripti.*

TITULUS. 74.

SEd advertendum est, quod, quia in Articulo super facto Repulsionis, in serie ipsius Generalis Decreti conscripto, hoc positum habetur: Ut Repulsio ipsa *per nudatum ensem*, aut *ostensionem evaginati gladii* fieri valeat, atque nomina vicinorum, ac commetaneorum, qui tempore Executionis latæ Sententiæ, cum Regio,

a) Si tamen sufficiens Causa Repulsionis assignetur; nulla pœna incurritur. arg. art. 33. 1729. v. *nisi ejusdem ratio.* Et Prax. Atque hæc pœna temerariæ Repulsionis, desumitur tantum in Causis Tabulam Regiam directe, aut per Appellationem concernentibus. In cunctis enim inferioribus Tribunalibus, pœna Oppositionis (sic enim proprie talis Repulsio vocatur) sine sufficienti causa factæ, deponitur solum florenis 36. perinde inter Judices, & partem repulsam dividendis. Kitt c. 5. q. 20.

b) Hoc olim. Jam autem, Actus majoris potentiæ incurritur. a. 10. 1723.

c) Nempe Ulad. Decr. 5. a. 4.

d) Nempe Ulad. Decr. 4. a. 19.

vel Palatinali, & alicujus Loci Teſtimoniali hominibus intererunt, in literis ſuper ipſa Repulſione Relatoriis conſcribantur.

§. 1. Ideo damnabilis quædam abuſio inte nonnullos litigantes hinc emerſit; quod partem in cauſa triumphantem, & victricem, in Sententiæ executione, evaginatione gladii, vel enſis nudati oſtenſione repellere nolunt, ſed aſtutia excogitata, *baculo ligneo*, vel *cambula ferrea* interdum minis, & terroribus, hominumque caterva repellunt, & Sententiam, ac judiciariam deliberationem Executioni demandari, & effectui mancipari non permittunt.

§. 2. Poſtea coram Judice ſuo proponunt, & allegant; non fuiſſe factam Repulſionem, ec quod *nudati enſis oſtenſio*, vel *gladii evaginatio*, prout in Decreto continetur, nulla tempore ipſius Executionis facta, vel commiſſa fuiſſet.

§. 3. Sæpe etiam contra vicinos, & commetaneos, exceptiones faciunt, quod iſte non vicinus: ille vero non commetaneus eſſet: & pluribus ejuscemodi cavillationibus Judicia juſta ſubvertere, & proceſſum Juris turbare moliuntur.

§. 4. UNDE ſciendum eſt, quod in ſerie ipſius Decreti non reperitur, neque ſcriptum habetur; Repulſionem ſecus, & aliter fieri non poſſe, vel non debere, niſi evaginati gladii, aut enſis nudati oſtenſione: Sed hoc duntaxat ibi continetur; quod non cum hominum turba, & manibus violentis, ſed per nudatum ſolum en-

ſem,

fem, vel oſtenſioem evaginati gladii Repulſio fieri valeat.

§. 5. Et hoc ideo, quoniam priſcis temporibus utraque pars, tam ſcilicet vincens, quam etiam convicta, tempore Executionis alicujus ſententiæ, vel Judiciariæ deliberationis, magna hominum multitudine; ſæpe etiam bellico apparatu in alterutrum contendere, ſævireque, & crebro ſtrages maxima inter partes ſubſequi conſueverat: Ita, ut ſi Actor caſu ſuperior evaſiſſet, in Dominium Bonorum reobtentorum ſe collocaſſet: Convictus vero, ſi Actorem devincere, & ab Executione illa violenter propellere potuiſſet; in una Marca auri pro hujusmodi violenta, temerariaque Repulſione convincebatur.

§. 6. Ut igitur corruptela hæc de medio tolleretur, ſtatutum eſt: Quod non ſit neceſſarium cum hominum turba, & potentiariis manibus Executionem aliquam peragere, ſed ſola oſtenſio evaginati gladii, ad Repulſionem faciendam ſufficiat.

§. 7. Sive igitur per ipſius enſis, vel gladii evaginationem, ſive per baculi, aut cambulæ oſtenſionem, ſive per hominum multitudinem, vel ſolis minis, & terroribus Executio alicujus Judiciariæ Commiſſionis perturbetur, & effectui mancipari non permittatur; ſemper Repulſio eſſe cenſetur. a)

a) Nihil intereſt, ſive per ſe, ſive per alium quis peragat Repulſionem cum hoc in Jure non ſit expreſſum. Et alioquin, *qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum*, ut habetur c. 72. de R. J. in 6.

§. 8. Nomina vicinorum, & commetaneorum propterea denotabuntur; A) ne fraus, aut dolus in oneribus Repulsionum committi posset. Nam antiquitus singuli repellentes, vel Repulsionem facientes, in *singulis Marcis auri* condemnabantur: Et sæpenumero tam filiorum, quam fratrum, & uxoris, & filiarum ipsius convicti, & in causa succumbentis, nomina in literis Relatoriis conscribebantur, & sic onus Repulsionis in tantum crescebat; ut principalem causam creberrime præcellere, longeque exsuperare videretur.

§. 9. Quæ quidem abusio, ævo nostro abolita est, & quotquot sint personæ convictæ, vel repellentes; unam tantum Marcam auri; pro unius Judiciariæ deliberationis Repulsione, modo persolvunt. B)

§. 10.

A) Ulad. Decr. 4. art. 19. Kitt. c. 5. q. 18. Et confirmatur etiam per art 33. 1729. Unde colliges; Repulsionem, aut Oppositionem fieri non posse in Locis Credibilibus, & Authenticis, cum illuc Vicini & Commetanei comparere non soleant; sed in facie Bonorum Controversorum: Quæ si ampla fuerint; sufficiet Repulsionem peragere in Capite Bonorum, puta, Arce, Castello, Curia, vel alio loco, ad quem cætera Bona spectant. Kitt. c. 5. q. 18. Conscribuntur autem Nomina Vicinorum, & Commetaneorum, in Literis Relatoriis, super peracta Repulsione confici solitis. *Stylus.*

B) Quia scilicet, partiales omnium eorum Repulsiones, aut Oppositiones, unam duntaxat, totalem, & integralem conflant, ac efficiunt. Idem sentiendum de casu, dum quis contra unam, & eandem Sententiam

§. 10. Nihilominus tamen ipsa nomina vicinorum, & commetaneorum possessionis recuperatæ, nunc quoque conscribuntur: Ne Regius, aut Palatinalis, & alicujus Loci Testimonialis homines, dono, vel favore seducti, atque corrupti, in Executione Juridica, eorum fidei commissa, Repulsionem factam fuisse (si etiam non fuisset) adstruere, & per hoc *Nota Infidelitatis* A) quempiam condemnare valeant.

§. 11. Ejuscemodi itaque, vel simili fraude, ac exquisito subterfugio, processus Juris, atque Executio Judiciariæ deliberationis, turbari non potest: Vicini enim, & commetanei propinquiores, non semper domi reperiuntur, nec Executioni Judiciariæ semper inrereesse possunt.

§. 12. Si igitur Pars vincens extra Dominium Juris possessionarii reobtenti fuerit inventa, sufficienti argumento erit; Judiciariam Commissionem turbatam esse, & per Repulsionem Executione sua reali caruisse. B)

§. 13. Si quis autem litigantium, Regium, vel Palatinalem, ac Capitularem, aut Conventualem hominem, relationem injustam, & indebitam fecisse criminabitur; poterit eosdem

Ee 5 pro-

tentiam, & Executionem, sæpius Repulsione, aut Oppositione utitur: Nam & hic, unus moraliter Actus esse reputatur. Kitt. c. 5. q. 20.

A) Hodie; Actu Majoris potentiæ, per art. 10. 1723

B) Nec licet Parti in Causa triumphanti, contra Legalem Repulsionem, intrare Dominium Bonorum Controversorum; sub Pœna amissionis Causæ proinde possessionum illi Causæ substratarum. Kitt. c. 5. q. 17.

propterea Juri semper convenire, non tamen ea de causa processus ille Juridicus est turbandus. A)

Quod Nota Infidelitatis *tribus modis fertur, & pronunciatur.*

TITULUS 75.

ADvertendum est autem, quod in causa Notæ Infideliratis non semper permittitur fieri Repulsio. Nota namque infidelitatis tribus modis pronunciatur.

§. 1. PRIMO modo, *per Principem, & Regem Nostrum:* Ita, ut si Majestas Sua Regia quempiam Regnicolarum suorum Nota Infidelitatis condemnare voluerit; tunc universis Dominis Prælatis, & Baronibus, cæterisque Regnicolis, unam Generalem Diætam, & Congregationem ad certum terminum instituat, & indicat: Ad quam etiam ille, contra quem Nota Infidelitatis objicitur, per *Literas Præceptorias Regiæ Majestatis*, mediantibus *Literis Exhibitoriis* ad aliquem Conventum, vel quodcunque Capitulum sonantibus, personaliter, & non per Procuratorem evocari debet. B)

§. 2.

A) Plura de Repulsione Vide apud Kitt. præsertim c. 5. qq. 19. 20. & 22. Confer etiam artt. 23. & 24. 1729. *Processum* autem *Brachialem* fuse descriptum habes in art. 31. 1681. & cit. art. 34. 1729.

B) Nota Infidelitatis isthic pro Crimine læsæ Majestatis accipitur: Quod olim in Diætis, rescissis omnibus Ju-

§. 2. Qui si venerit, & se expurgare poterit, bene quidem: alioquin si non venerit, vel si venerit, sed se expurgare non valebit; A) ipsa Nota, Crimineque Infidelitatis condemnabitur: Et postea illi neque *salvus conductus*, neque etiam *novum Judicium* per Regiam Majestatem concedetur; Et subsequenter, nec *contradictoria Inhibitio*, nec *violenta Repulsio* tempore statutionis, & occupationis bonorum ipsius infidelis, admittetur: Sed absolute Donatio Regia Executioni in hac parte demandabitur.

§. 3. SECUNDO modo fertur Nota Infidelitatis; *ex reportata serie secundæ Repulsionis.* B) Et hoc quoque modo Repulsio fieri non permittitur. Quæ quidem Nota etiam alioquin ex Repulsione temeraria processisse, secutaque fuisse dignoscitur. Et *non congruit id tertio iterare, quod vetatur etiam secundario facere.*

§. 4.

Juridicis Remediis, judicabatur. Confer Lud. II. Const. Campi Rákos, An. 1526. art. 26. Ubi Michael *Zobi*, & Stephanus *Werbőczi*, hujus Decreti Tripartiti Compilator, Diætaliter proscriptus est. Idem Ferd. I. An. 1542. art. 43. & 44. Ubi Petrus *Keglevics*, & duo *Podmániczky* proscripti sunt, Hodie alius est processus Criminis læsæ Majestatis, quem Vid. art. 7. 1715.

A) Hanc *Purgationem* vult *Com. Syst.* ita intelligi; ut si Crimen, contra Reum non sufficienter, sed solum semiplene probetur, tunc ei Purgatio admittatur: Per Compurgatores scilicet, seu Conjuratores peragenda, sensu tit 32. p. 2.

B) Hæc *Nota* jam sublata est, succedente illi, Actu Majoris potentiæ. ara. 10. 1723.

§. 4. TERTIO, & ultimo modo, Nota Infidelitatis declaratur, atque pronunciatur; *per Judiciariam deliberationem*, & latam Sententiam Judicum Ordinariorum Regni, *ex Donatione Regia*; prætextu eruitionis oculorum, mutilationis membrorum, Cusionis falsarum monetarum, vel confectionis, aut delationis falsarum literarum, & aliorum hujusmodi casuum, Notam Infidelitatis afferentium, A) *cuipiamfactam*; subsequentem atque provenientem

§. 5. Quæ quidem Judiciaria deliberatio, quia ex propositis, & responsis Partium in Judicio contradictorio decernitur, atque declaratur; altera scilicet Partium Notam ipsam factam, patratamque fuisse affirmante, & altera negante: Ideo tempore Executionis hujusmodi Sententiæ, *per re sponsiones* (ut præfertur) Partium latæ, vel forsitan *per non venientiam*, *& non comparitionem* alterius Partis pronunciatæ; *repulsio* prænarrata *fieri perimititur*

§. 6. Et hoc ideo (prout etiam alioquin, ista præcipue ratione, Repulsio inducta fuisse perhibetur, & modo quoque fieri toleratur) ut in termino, vel tempore reportatæ seriei talis Repulsionis, quidquid in processu ipsius causæ, ne-

A) Casus, qui Jure, Novellari Notam Infidelitatis adferunt, Videri debent art. 9. 1723. Et horum discussio pertinet ad Tabulam Regiam. art. 26. 1723. Atque hujus Sententia, ex allegatis Partium lata, firma est, & rata. Ulad. Decr. 2. art. 3. Potestque Pars I. & in ipso Processu, & post eum, cunctis Juridicis Remediis uti: ut patet ex *text. h. t.*

negligentia convicti, & in causa succumbentis male actum, vel omissum fuisset; *per gratiam novi Judicii*, aut *revocationem Procuratoris* restauretur, & in melius reformetur.

§. 7. Damnosum enim, & nimis periculosum foret, mox post latam, & pronunciatam a judice ex responsionibus Partium Sententiam, de Dominio, ac pacifica possessione Bonorum suorum, quempiam vigore ejusdem Sententiæ excludi, atque tandem extra Dominium illa rursus prosequi debere.

§. 8. *Judex enim ex objectionibus, & allegationibus* duarum, pluriumve *Partium*, & plerumque literarum, ac literalium Instrumentorum, coram eo productarum, & exhibitarum continentiis, & tenoribus, *Sententiam decernere tenetur.* a)

§. 9. CERTUM est autem, *Procuratores* Partium sæpenumero in responsionibus suis, aut *negligentia*, aut *ignorantia*, aliquando etiam *malitia falli, & errare.*

§. 10. Sæpe literæ, ac etiam literalia Instrumenta litigantium periclitantur, & in termino per Judicem exhibitioni illarum præfixo produci nequeunt. Unde Sententia per Judicem fertur, & pronunciatur, prout responsiones Par-

a) Nempe conformiter ad illud axioma JCtorum: *Judex secundum allegata, & probata, Sententiam ferre tenetur.* Quod tamen *Com Syst.* vult solum intelligi *de facto*, non autem *de Jure*: Legem enim positivam, etiam non allegatam, *in omnibus causis* Judex supplere poterit. *Ita illa, ad h. t.*

Partium, vel tenores, & continentiæ literarum, ac literalium Instrumentorum, expostulant,

§. 11. Quaproptet, si quam Partium per se, vel Procuratorem suum, in responsionibus suis errasse, vel in exhibitionibus literarum defecisse se cognoverit; ne per sententiam, & ejuscemodi defectum, & errorem contra se latam, de Dominio Bonorum suorum immediate excludatur, Repulsionem violentam (*in contemptum licet, & vilipendium Judiciariæ Commissionis fieri; tamen tolerari, solitam*) tempore Executionis, ipsius latæ Sententiæ facere cogitur: Et ad reddendam rationem hujusmodi Repulsionis, unicus adhuc terminus coram Judice suo comparendi sibi præfigitur.

§. 12. In quo tandem errorem, aut defectum suum, *vigore novi Judicii* per Principem gratiose concessi, vel per revocationem, & retractationem responsionis sui Procuratoris, instaurare, & si poterit, in melius reformare tenetur.

§. 13. *Novi* namque *Judicii collatio*, *ac Procuratoris* cujuspiam *revocatio; semper præsupponit errorem, & defectum:* Non enim est necesse novum Judicium impetrare, vel responsionem Procuratoris revocare, nisi in processu causæ erratum fuisse prius deprehendatur.

§. 14. Postea vero ulterior terminus sibi non deputatur, neque conceditur, sed lata ipsa Sententia, finaliter, & effective Executioni demandatur.

§. 15.

§. 15. Et, si secundario quoque Repulsio temerarie committitur; *Nota perpetuæ infidelitatis* A) (sicuti immediate declaratum est) inde reportatur.

Utrum ille possit Repulsionem facere, qui in Processu causæ non egit?

TITULUS 76.

SEd quia in calce quarumlibet *Literarum Adjudicatoriarum*, ac *Sententionalium*, ista clausula: *Contradictione Talis, & Talis convicti*) nominando eum, qui in causa succubuit, & convictus est) *ac aliorum quorumlibet, prævia ratione non obstante &c.* inscribi, & inseri; & contra hanc quidem clausulam, etiam Repulsio prænotata subsequi, & fieri B) consuevit.

§. 1.

A) Jam autem; pœna Actus Majoris potentiæ a. 10. 1723.

B) Duplicem causam refert hic Werbœcius, quo Repulsio illi admittitur, qui in Processu Causæ non egit. 1. Si non fuit legaliter citatus, & tamen convictus 2. Si Executores velint occupare possessionem, aut portionem, Processui Judiciario non inclusam. Qui Actus, non tam *formalis Repulsio*, quam *Naturalis Oppositio*, seu Jure Naturæ admista Bono um suorum Defensa, dici debet. Adhibeturque ejusmodi Oppositio non tantum contra Sententias Judiciarias, sed etiam in Statutionibus, ac Restatutionibus Bonorum: Ubi, sæpe sæpius non modo contradictio interponitur; sed Statutores, ne ad faciem quidem Bonorum admittuntur. Verum de hac, uti et Repulsione, olim tempore Communis Inquisitionis, Oculatœ

§. 1. IDEO quæritur; utrum ille, qui in causa non fuit, possit Actorem in causa triumphantem ab Executione latæ Sententiæ, Literarumque Adjudicatoriarum repellere? Et videtur, quod non; quia non est illius turbare Judiciariam Commissionem, neque immiscere, & ingerere se lucro, vel damno litis, & causæ, qui in processu ejusdem nec vicit, nec succubuit.

§. 2. IN contrarium tamen plerumque accidit; Partem triumphantem, cum Literis Adjudicatoriis, atque Sententionalibus, ad faciei talium Bonorum, & Jurium possessionariorum accedere, quæ præ manibus alterius, & non illius, qui in causa succubuit, habentur, & justo etiam forsitan titulo per eum possidentur.

§. 3. Sæpe etiam penes unum principale membrum Juris possessionarii, talia bona occupari machinantur; quæ justo modo, atque titulo, ab eo membro fuerunt dudum sequestrata. Verbi gratia; Castrum, aut Castellum, vel Oppidum unum simul cum cunctis suis pertinentiis, videlicet Villis, Prædiis, Portionibusque, & Juribus possessionariis ad idem de Jure spectantibus, & pertinere debentibus, Processu Juris, aut ex Donatione Regia, vel alio titulo per quempiam acquiritur, & prosequitur: A quo quidem Castro, Castello, vel Oppido, verus Dominus, & legitimus possessor ejus, qui forsitan jam

latæ Revisionis, & Æstimationis Bonorum, interponi solita; Vid. Math, Decr. 6. a. 16. Ulad. Decr. 1. a. 57.

am in femine defecit, unam, vel duas villas, ut aliquod prædium, & terram, adhuc vivens pretio vendidit, vel servitiorum pro exhibitione donavit, aut alio titulo contulit, & ille, cui venditio, vel Donatio facta fuit, se in hujusmodi villis, aut prædio, & terra, etiam consensu Regio, ac Statutione Juridica dudum fundavit, atque firmavit.

§. 4. Obtento igitur jam principali membro, ipso scilicet Castro, aut Castelo, vel Oppido, una cum dictis pertinentiis suis, & illo, cui (ut præmissum est) venditio, aut Donatio facta fuit, in causa non existente (ex eo forsitan quod tempore Recuperationis, & primariæ Statutionis dicti principalis membri solus ille, qui pro tunc in Dominio, & possessione ejusdem membri principalis fuerat, totali hujusmodi Recuperationi, & Statutioni contradixerat) Actor ipse etiam prænarratas villas, aut prædium, vel terram præmanibus alienis modo antelato jam existentes, & habitam, penes principale ejuscemodi membrum, tanquam scilicet pertinentias ejusdem, pro se vendicare, & occupare nititur.

§. 5. In eo itaque, & alio quoque simili casu, A) Repulsionem prætactam etiam ille, cui in causa non erat, facere permittitur. Et hoc; virtute illius clausulæ: *Prævia ratione:*

A) Ut, si Judex, in Causa evidenter intra Dominium transmissibili, Appellationem intra Dominium non permittat, sed Executionem intentet. a. 33. 1729.

Qua mediante, nec onus Repulsionis ille deponere tenebitur; si Pars triumphans, absque debita ratione ad occupanda bona prænotata accessisse, verificabitur.

§. 6. ITEM, de Juribus quoque possessionariis Impignoratitiis idem est sentiendum: Quodsi quispiam litigantium hæreditatem, & proprietatem alicujus Juris possessionarii, pro se ordine judiciario obtinuerit, & tale Jus possessionarium apud manus alienas titulo pignoris extiterit) si tamen Impignoratio ipsa bona, & justo modo, & non litis intermedio facta fuisse comprobetur) vigore Sententiæ super ipsa perpetuitate latæ, reobtentum hujusmodi Jus possessionarium, Actor a manibus ejus, qui pignoris illud titulo possidet, *simpliciter* occupare non potest: Sed super illa pecuniarum summa, pro qua, præmisso pignoris titulo obligatum habetur, ut primum satisfaciat, necesse est: A) Nam alioquin, si *de plano* occupare niteretur; Repulsio merito subsequi poterit.

§. 7. Et, si ad tollendam pecuniam suam, possessor ipsius Juris possessionarii se tempore Executionis dictæ Sententiæ, judiciariæque de liberationis paratum obtulerit; tunc neque pœnæ, vel oneri hujusmodi Repulsionis subjacebit.

§. 8.

A) Debet proinde præstolari donec impleantur Conditiones Literarum Obligatorialium, & Pignoratitiarum, de Lege, & Consuetudine nostræ Patriæ observari solitæ, ut monet *Com. Syst. hic.*

§. 8. Et hoc intellige, si de summæ pecuniarum quantitate, ac Impignorationis qualitate, pariter & veritate, ibidem constabit. A)

De novo Judicio, B) *ac ejus modo, scrieque, & processu.*

TITULUS 77.

QUia post factam Repulsionem, vel Procuratorum malam responsionem, sæpenumero *Novum Judicium* solet a Principe impetrari, ut in causa illa, qua quispiam succubuit, & convi-

A) Cum *Repulsio* sit unum ex Juridicis Remediis, & *Specialia Generalibus semper ineſſe dignoscantur* per l. 147. ff. de R. I. Hinc in omnibus illis Causis, in quibus Juridica Remedia universim præcluduntur, & rescinduntur; etiam *Repulsio* præclusa, & vetita esse intelligitur. Quibus proinde in Causis, ex hoc fundamento, Repulsio locum non habeat; Vid. *in Tyroc. Jur. Ung.* §. 4. *ad h. t.*

B) De Novo Judicio agitur per 2. seqq. titt. Est autem *Novum Judicium*, de Lege, & Consuetudine Patriæ nostræ; unum ex *Remediis Juridicis*: Cujus definitionem ex principio h. t. concinnatan, Vide apud Kitt. c. 8. q. 14. Nec est usus hujus Judicii apud Civilistas, aut Canonistas: Ut proinde, sicut *Repulsio*, ita hoc *Juris Remedium*, Nobis proprium, & peculiare esse censeatur. Quadritariam illud de Lege nostra dispe citur. 1. In *Novum cum Inhibitione*, 2. In *Novum cedendo Appellationi.* 3. In *Novum cum gratia.* 4. In *Novum simplex.* De quorum *Novorum* usu, & debita applicatione, quia *Novizantibus* multa observanda veniunt, quæ in *Glossematis* adnotari haud possunt; consulatur *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.* in quo hæc curate recensuimus.

ctus est, non obstante eo errore, vel defectu, quo se in processu causæ gravatum fuisse cognoscit; non obstante etiam lata jam exinde Judiqis Sententia, idem de novo respondere, novas; que allegationes, exceptiones, & objectiones facere; literas forsitan non exhibitas producere, defectum omissum suplere, errorem commissum emendare, & generaliter omnia, quæ Juris, & Justitiæ, ac defensioni, & sublevamini causæ suæ proficua esse cognoverit, peragere valeat, atque possit.

§. 1. SCIENDUM igitur est, quod hujusmodi *Novi Judicii gratiam*, præterea cunctarum literarum privilegialium, rite tamen, & legitime emanatarum confirmationem; nec non universorum Bonorum, & Jurium possessionariorum titulo novæ Donationis collationem; Princeps noster ex debito Regiminis sui officio unicuique largiri, & concedere solet.

§. 2. *Nova* tamen *Donatio* conferenda est, locumque habet; si juste, & non ficte postulatur, hoc est, si Bonorum ipsorum Impetrator, a die adeptionis eorundem, per se, vel progenitores quoque suos, in reali Dominio illorum, usque ad tempus impetrationis perstiterint: Quemadmodum in prima parte A) clarius super ipsa nova Donatione notabile positum habes.

§. 3. ULTERIUS advertendum, quod causa *per formam Novi Judicii inchoata*, unico tantummodo termino Juridico, & ante omnes alias

a) Scilicet tit. 37.

alias causas finiri, concludique solet: Ne negotium, & causa, per Judiciariam Sententiam, & deliberationem jam decisa, fine confuso, pendere cogatur.

§. 4. De cujus quidem *Novi Judicii serie*, & *modo*, quia in Generali Decreto nostro a) clara continetur descriptio; ideo articulum super ea re conscriptum verbotenus (prout sequitur adjeci.

§. 5. „ ITEM, solent nonnulli Regnicolæ in eorum causis, contra sese potissimum „ in facto possessionario motis, servatis, pertransitisque legitimorum terminorum, & „ litium processibus, literarumque tandem, „ ac aliorum cunctorum probabilium Documentorum, hinc inde, pro finali conclusione hujusmodi negotii productionibus factis, in ultimo causæ termino, dum etiam Judices Ordinarii Sedis Judiciarii Regni, Magistrique, „ Protonotarii, & Jurati ejusdem Sedis Assessores suam tulissent Sententiam: earundemque „ partium altera se in hujusmodi causa deficere, „ & succumbere agnosceret, ac Literæ Adjudicatoriæ exinde, vel jam emanatæ, & extradatæ extitissent, aut post latam, & pronunciatam Sententiam extradari deberent; *Procuratores* eorum *revocare*, & causam concedendi facere velle, aut *Novum Judicium* „ *impetrare*, vigore cujus Partem alteram ab „ Executione Literarum Adjudicatoriarum

a) Nempe Ulad. Decr. 1. art. 51.

„ sæpius prohiberent, ut sic eorum justis Juri-
„ bus privarentur.

§. 6. „ Propterea statutum est, ut amodo
„ imposterum hujusmodi causantes, *non nisi*
„ *lite pendente*, & *causa nondum decisa*, A)
„ Procuratores eorum revocare, & causam con-
„ descendi facere possint.

§. 7. „ Novum autem Judicium impetrent
„ semper, si voluerint. Verumtamen ejus vi-
„ gore, Partem alteram ab Executione latæ
„ Sententiæ; Literarumque Adjudicatoriarum
„ superinde emanandarum extractione, vel
„ extradatione, Judices Ordinarios, vel eorum
„ Protonotarios nequaquam valeant inhibere.

§. 8. „ Imo & ipsa Pars triumphans, hu-
„ jusmodi Literas Adjudicatorias, non obstan-
„ tibus ipsis *Literis Novi Judicii* sic impetratis,
„ debitæ Executioni demandari facere; Pars
„ denique ipsum Novum Judicium impetrans,
„ habita executione dictæ latæ Sententiæ, suam
„ causam, vigore ipsius Novi Judicii, dum
„ voluerit, Executioni demandare, & prose-
„ qui possit.

§. 9. „ Casu vero, quo altera Partium,
„ sive ratione Jurium possessionariorum, sive
„ aliorum quorumcunque negotiorum *per non*
„ *venientiam* eo, quod fortasse certis suis ne-
„ gotiis præpedita, B) comparere nequiret,
„ sententionaliter quoquo modo convinceretur;
„ tunc talis Pars, sic, *per non venientiam* con-
„ vi-

A) Confer *inf.* p. 2. t. 81. B) Vid. *sup.* p. 2. t. 59.

„ victa, A) & *Novum Judicium* impetrare,
„ & tam Judices Ordinarios, ac Protonotarios
„ eorundem, ab extradatione *Literarum ad-*
„ *judicatoriarum Sententionalium*, quam &
„ Partem adversam ab extractione earundem
„ literarum semper, B) dum voluerit, inhibere
„ valeat, atque possit.

§. 10. „ Et; quod omnes causæ, in quibus
„ per Regiam Majestatem *Nova Judicia* im-
„ petrata fuerint; in primis Octavis ante om-
„ nes alias causas leventur, & judicentur. C)

Utrum possit Novum Judicium impetrare, *qui in Causæ Processu non succubuit?*

TITULUS 78.

SEd quæstiuncula occurrit discutienda, similis quæstioni super facto Repulsionis superius D) propositæ:

§. 1. Utrum possit ille Novum Judicium impetrare, qui non egit, neque fuit in processu causæ? DICENDUM breviter; quod quamdiu ille, qui in causa succubuit, in humanis egerit & supervixerit; nemo alter E) præter eum,

A) De Convictione *per non venientiam*; Vide etiam sup. p. 2. tit. 75.

B) Hujus Declarationem Vide apud Kit. c. 2. q. 3. §. *Nec obstat.* Et c. 8. q. 15.

C) Ultimus hujus Tit. §. desumptus est ex Ulad. Decr. 1. 2. 52. Vid. Kitt. c. 8. q. 20.

D) Nempe p. 2. t. 76.

E) Quamvis fors litigantis Successor, ex Causa hæres fore dignoscatur Kitt. c. 8. q. 21.

gratiam Novi Judicii impetrare potest: A) *Non* enim *congruit cuipiam, falcem suam in alterius messem mittere.* B)

§. 2. Verumtamen, Parte ipsa convicta decedente, ille, in quem prosecutio causæ ipsius de Regni nostri Consvetudine condescendet, liberam, plenariamque impetrandi de facto C) habebit facultatem. D)

Procuratoris Revocatio, *quid sit?* E) *& ubi fieri debeat?*

TITULUS 79.

QUoniam in causa, factoque Novi Judicii, *Procuratorum Revocatio* sæpe sequitur; idcirco sciendum, quod Procucatorem revocare: *Est responsionem alicujus Advocati, per eum, præter voluntatem, & extra informationem Constituentis,* F) *in Judicio factam, retracta-*

A) Potest tamen uti beneficio Repulsionis: Sensu p. 2. t. 76.

B) Et juxta Pomponium: *Culpa est, immiscere se rei, ad se non pertinenti.* l. 36. ff. de R. I. Et hinc. etiam *Factum Judicis, quod ad ejus officium non pertinet, ratum non habetur.* l. 170. ff. de R. I.

C) Id est: *ipso facto*, sive sine ullo ulteriori Judiciario Processu. D) Confert Kitt. c. 8. q. 21.

E) De Revocatione Procuratoris agunt 3. seqq. titt.

F) Potest autem *Procurator* (uti & *Plenipotentiarius*) constitui, vel generaliter, vel ad hanc, aut illam causam; coram Locis Authenticis, vel Principe nostro, Judicibusque Regni Ordinariis, eorundemque Protonotariis: Imo per a. 35. 1723. etiam in Sede, vel Con-

stare, & eam, nova responsione eorum Judi-
ce reformare.

§. 1. Omnis autem Procuratoria Revoca-
tio, coram eo Judice, coram quo responsio il-
la, quæ retractabitur, facta fuit; vel homine
suo, ad id per eundem Judicem specialiter de-
putato, fieri solet, atque debet.

§. 2. Verum, si causa ipsa in alterius Judi-
cis præsentiam fuerit transmissa; tunc coram
eodem Judice, vel ejus homine, in cujus con-
spectu per hujusmodi transmissionem causa ipsa
pendet, responsio Procuratoris revocari debet.

Procuratoris Responsio, quomodo; & quo onere
retractari debeat?

TITULUS 80.

ADvertendum itaque, b) quod Revocatio
responsionis cujuslibet Procuratoris, *in lon-*

 gis

Congregatione Comitatensi, aut coram Supremo vel Vice Comite, cum Judice Nobilium, & Jurato: Habeturque fides Literis Procuratoriis, illic authentice emanatis, coram quocunque Tribunali. art. 35. cit. Multa de Procuratorum Constitutione, Revocatione, Allegatione, Juramento, Solutione, Officio, & Obligatione, reperies *in Tyrol. Jur. Ung. ad h. t. & seqq. 2. titt.*

a) Confer Kitt. c. 8. q. 22. Potestque hanc Revocationem facere, non solum Principalis, sed & ejus Plenipotentiarius, cum ejus Plenipotentialibus inseri soleat hæc clausula: *Procuratores etiam toties, quoties necessum fuerit, constituendi, & de Jure revocandi.* Consonat a. 39. 1729.

b) Cum hoc, & seq. titt. probe conferendus est Novel-

laris

gis causarum processibus, quibus videlicet, etiam facta responsione, Juridici processus subsequi, & Judiciariæ deliberationes, ac Sententiæ interlocutoriæ pronunciari solent; *non nisi lite pendente;* & causa per diffinitivam Sententiam nondum decisa, fieri debet.

§. 1. In *causis* vero *brevibus* per insinuationem motis, & aliis unicum terminum ad respondendum habentibus; etiam post latam, & pronunciatam diffinitivam a Judice Sententiam; quilibet litigantium Procuratorem suum revocare poterit.

§. 2. RETRACTATIO namque Proruratoris (sicuti prænarratum est) a) præsupponit semper errorem, vel defectum: Qui quidem error & defectus, non nisi *responsione*, *objectione*, aut aliqua *exceptione*, committi solet.

§. 3. Ac tandem facta nova responsione, post revocationem prioris responsionis; modo præhabito instaurari, reformarique debet: Ita; ut ipsa die, qua Sententia, ac Judiciaria deliberatio pronunciatur, & fertur; quilibet causantium absque quolibet onere, & gravamine; postea vero intra Octavarum, & Brevium Judiciorum celebrationem (dempta duntaxat extrema die ipsarum Octavarum, vel Brevium Judi-

laris art. 39. 1729. de Renovatione Procuratoris conscriptus: Et *in Tyroc. Jur. Ung.* membratim relatus: Per quem nonnulla in his titt. reformata invenies.

a) Sup. p. 2. *titt.* 79.

diciorum) semper *cum minore onere* ; A) *sex* videlicet *florenis auri* ; demum autem eisdem Octavis, vel Brevibus Judiciis expiratis, *cum majori onere*, *quinquaginta* scilicet *Marcis Hungialibus* gravis ponderis *ducentos florenos auri facientibus*, Procuratorem suum revocare poteſt.

§. 4. *Ultimam* autem *diem* prænotatam, verum esse intellige; si retractans ille calumnioſe, & fraudulenter agere prætenderet; ut videlicet terminum solummodo ipsum Juridicum hac cautela Revocationis præteriret, & alteram Partem ulteriori proceſſu vexaret, & gravaret. Nam aliter die illa, qua Sententia fertur, ut etiam Procuratoris reſponſio revocetur; neceſſe eſt.

Procuratoris Reſponſio duobus modis ſolet revocari.

TITULUS 81.

REſponſio vero Procuratoris, & Advocati, duobus modis ſolet revocari.

§. 1. PRIMO, in proceſſu cauſæ, ante finalem concluſionem, & diffinitivam Sententiam ejusdem cauſæ (licet reſponſione præhabita) ut puta, ſi quis ſe literas, & literalia Inſtrumenta ſuper eo negotio, quo per adverſam Partem lite impetitur, habere, & illarum vigore ſe ab

A) Diverſa ſunt hæc onera Revocationis Procuratoriæ, fere ſecundum diverſas claſſes Tribunalium: De quibus conſule *Tyro. Jur. Ung. ad h. t.*

ab impetitione sui Adversarii defendere posse allegaret; vel factum illud, pro quo lite ipsa vexatur, se patrasse negaret; aut forsitan causam Judex ex Partium responsionibus ad oculatam revisionem, vel communem inquisitionem decerneret; jam responsionem factam fuisse cuilibet constare.

§. 2. Antequam tamen terminus Juridicus per Judicem, literarum exhibitioni, aut juramentali depositioni; vel oculatæ revisionis, aut communis inquisitionis celebrationi præfixus, & deputatus adveniat, Partium ipsarum altera se per responsionem sui Procuratoris gravatam esse, vel gravari debere sentiens, & agnoscens, non expectato hujusmodi termino Judiciariæ ipsius Commissionis, Proturatoris sui responsionem coram Judice suo, vel homine ejusdem ad id (prout prænarratum est) a) specialiter per eum deputato, revocare potest.

§. 3. Et ejuscemodi Revocatio (quamvis cum majori onere, quinquaginta scilicet Marcis Homagialibus) etiam absque gratia Principis fieri poterit.

§. 4. SECUNDO Revocatio ipsa, post latam, & pronunciatam Sententiam diffinitivam contingit. Et hoc solummodo in causis, quibus mox, & immediate per primariam responsionem Partium, finalis conclusio, & diffinitiva Sententia sequitur, atque fertur.

§. 5. Ubi si Procurator unius Partis aliter respondisset; processus aliquis in causa illa sub-

a) Supra p. 2. t. 79.

se-

equi de Jure potuisset. Et casus iste rarus est: Qui in causis præcipue per insinuationem motis, & suscitatis, committi consuevit.

§. 6. Unde hoc secundo modo, Revocatio responsionis cujuslibet Procuratoris, expiratis octavis, vel termino celebrationis Brevium Judiciorum, non nisi per gratiam Principis vigore novi Judicii sequi, fierique debet.

§. 7. Fassio autem Procuratoris, qua mediante Procuratorum quispiam, constituentem aliquem, in quinquaginta Marcis gravis ponderis, aut citra; sive perennali, sive impignoratitio Jure, & titulo obligat, semper sine Principis gratia, majori tamen cum onere, retractari poterit.

Quod Causarum Condescensio a) *duobus modis fieri solet.*

TITULUS 82.

QUoniam post Revocationem Procuratoriam, sæpenumero Causarum Condescensio sequitur:

§. 1. UNDE sciendum, quod Condescensio Causæ duobus modis fieri solet: PRIMO quidem,

a) De hac, sane necessaria, & practica Materia; agunt 2. seqq. titt. Est autem *causæ condescensio*; simplex Causæ in priorem statum regressio, nihil plane alterutri Parti adjudicando, vel abjudicando. Ita Kitt. c. 4. q. 10. Quia vero nomine Condescensionis, sæpe etiam *Exceptionem* Juridicam vocamus, hinc de *Exceptionibus*, copiosam doctrinam Sibi exhibet *Tyrec. Jnr Hung. ad h. tit.*

dem, *per Judicem* quando scilicet Judex causæ, perlecta actione, & acquisitione Actoris, simul & Evocatione inde subsecuta bene calculata, tale vitium, vel errorem in literis ipsis Evocatoriis deprehendet; quo præpediente, Sententia, ac Judiciaria deliberatio, debito modo ex hujusmodi actione pronunciari non poterit.

§. 2. Puta; quia non denotatur villa, sive possessio, quæ acquiritur, in quo Comitatu Regni adjaceat: a) Plures enim sunt villæ, uno, & eodem nomine vocitatæ, in diversis Comitatibus situatæ, vel sæpe etiam in eodem Comitatu adjacentes, aliquo tamen additamento cognominis variatæ: Et, si villæ nomen cum suo cognomine non exprimitur, dubium mox suboritur; quæ sit illa, quam Actor Juri suo vendicare nititur?

§. 3. Verbi gratia: Duæ sunt villæ hoc nomine *Nandor* appellatæ, in uno, eodemque Comitatu positæ, una tamen illarum cognominis appositione variatur, quoniam altera *superior*, vel *major*, vel altera *inferior*, aut *minor* Nandor vocitatur: Quarum altera mea est, altera vero ad te pertinet, & tua est.

§. 4. Si itaque in Evocationis, & actionis serie non declaratur, quæ illarum acquiritur; non poterit Judex causæ discernere, ad quam earum Sententia feratur? Unde causa talis merito condescendet, & invalidatur; de novo, per Actorem (si voluerit) inchoanda.

§. 5.

a) Conf. supra, p. 2. tit. 26. & Kitt. c. 4. q. 10. 12. & 14.

§. 5. Hoc tamen semper præsuppositio, si in causam attractus, per se, vel suum legitimum Procuratorem, defectum, & errorem hujusmodi per modum exceptionis allegaverit. Nam aliter; si ad actionem sponte respondebit, & acquisitioni illi per seipsum parebit, nil objiciendo; *Judex de se opponens, simul & judicans, fieri nequit*, sed Sententiam inter Partes juxta causæ meritum proferre debet.

§. 6. IDEM est dicendum, si quis occasione actuum potentiariorum in litem evocabitur: Quod talis quoque causa condescendet, & cassabitur: Quoniam *absque termini*, vel *temporis expressione*, nec Actor vincere, nec in causam attractus vinci commode poterit.

§. 7. Omnis enim causa, & litis motio, ratione actuum potentiariorum facta, & inchoata, & ex consequenti actio, atque acquisitio in ea declarata; per in causam attractum aut affirmatur, aut negatur. Si affirmatur; ut ratio quoque suæ affirmationis assignetur, necesse est: Nam aliter affirmans, vel reus ipse; mox in causa succumberet.

§. 8. Verum si negatur, maxime propterea negatur; quod tempore patrationis ipsorum actuum potentiariorum nedum præsentem fuisse, sed forte neque in patria sua pro tunc se extitisse, velit vicinorum, & commetaneorum attestatione probare. Et ob hoc, si terminus in actione non specificabitur, in causam attractus difficulter expurgabitur.

§. 9.

§. 9. Hoc tamen advertendum, & cordi imprimendum est; quod Evocationes, prætextu actuum potentiariorum editæ, & actiones in eisdem positæ, diversis cum clausulis declarari solent. Aliquando enim, & potissime (cum actio ad personam principalem refertur) clausula ista apponitur: *Quod talis, vel talis (assumptis secum talibus, & talibus familiaribus, ac Jobagionibus suis) ad domum meam irruendo, hoc, & hoc patravit.*

§. 10. Aliquando vero, in Evocatione, ista clausula scribitur: *Missis, & destinatis T. & T. hominibus suis, ad talem villam, vel possessionem meam, ibique tot, & tanta damna Jobagionibus meis irrogavit, & intulit.*

§. 11. Sæpe etiam Evocatio cum hac clausula decernitur: *De commissione, & mandato talis, vel talis, T. & T. familiares, & Jobagiones sui, talem famulum meum in tali loco repertum, aut constitutum, dire, & acriter verberaverunt, & hujusmodi, &c.*

§. 12. Unde semper advertenda, considerandaque est clausularum prædictarum in actione positio. Aliud est enim *secum assumere*, aliud aliquem *destinare*, & aliud cuipiam patrandum aliquid *mandare*, & *committere.*

§. 13. *Assumptio* namque personalem interessentiam semper requirit.

§. 14. *Missio* vero. & destinatio, præsentiam exigit, præsens sit ille, qui mittit, & qui mittitur. Licet ista missio etiam de longinquo

fie-

fieri possit, ad Familiares referendo, sed non ad Jobagiones, qui in propinquo residunt; nisi forte medio famulorum Jobagiones mitterentur. Et hoc quoque in casu, non contigenti, sed deliberato, & malitiose perpetrari præconcepto.

§. 15. *Jussio* autem, & *missio* etiam absentiam includit. Potest etenim aliquis (si etiam in regionem longinquam abiret) suis famulis, & Jobagionibus in domo sua constitutis, antequam discedat, & itineri se submittat, hoc, & hoc perpetrandum committere.

§. 16. Quapropter in *Missione*, & *Commissione* debet semper attendi modus, & ordo patratæ rei, atque casus contingens, vel non, sed deliberatus.

§. 17. *In casu namque contingenti*, puta, si pecora, & pecudes Jobagionis mei, de pratis, vel segetibus propter illata damna per aliquem abigerentur, & in Curiam suam, aut stabulum includerentur, ut interea non emittantur, donec super damnis illatis satisfactio impendatur: Familiares autem, ve Jobagiones mei, temeritate ducti, eodem die, aut sequenti, hujusmodi pecudes, & pecora, manu violenta educerent, & reducerent. Aut Jobagio, vel famulus meus in taberna sedens, & cum cæteris potatoribus ad furgia veniens, alterum vulneraret, vel forte homicidium perpetraret, & ibidem propterea detineretur, sed per alios famulos, vel Jobagiones meos, ipsa eadem, vel altera die violenter

liberaretur; *Missio*, & *Commissio perpendi ruminarique debet.*

§. 18. Si enim in remotis, & longinquis Partibus ego tunc ago, certum est, quod mittere, vel committere nequeo, cui utpote de contingenti hujusmodi causa, tam repente nil constare potuit.

§. 19. Si vero dicis, Familiaribus, & Jobagionibus meis *ad sortem* me dudum commisisse: ut, si quando talis casus occurrerit, hoc, & hoc faciant: poterit quidem (fateor) iste casus *in committendo*, sed non *in destinando* heri. Qui (quia *de futuris contingentibus non est determinata veritas*)A) admittendus non est. Nam & alioquin, si casus ejuscemodi admittendus censetur (praesuppositio primario committentis intento) non violenta pecudum eductio, vel homicidae eliberatio, sed potius homicidium, & damnorum illatio considerandа, pariter & compensanda dignoscitur.

§. 20. *Casus* vero *non contingens*, fit, & intelligitur, quando deliberate, & ex praeconcepta malitia patrandum aliquid facinoris committitur: Puta, domorum invasio, silvarum succisio, villarum deprædatio, & similes actus violenti, qui post discessum alicujus potentis ad regionem longinquam, vel externa Regna, etiam post

A) Saltem *quoad nos*: Licet probabilius sit *determinata* Veritas de futuris contingentibus, *quoad se*. Sed haec Philosophis disputanda relinquimus.

Post centum, & plures dies committi, inferrique poterunt, si prius illud mandaverit, in absentia sua patrandum, atque peragendum.

§. 21. Istæ vero distinctiones clausularum prætactarum, positæ sunt, non ut litigantibus calumniandi via pateret, sed potius causæ justa, vel injusta motio clarescceret. Sicuti enim actio justa tuenda semper est, ita acquisitio injusta, & calumniosa admittenda non est.

§. 22. SECUNDO MODO causarum *Condescensio*, vel *Depositio* A) fit, *per Actorem*, cum onere *sex Marcarum* minoris, seu levioris ponderis, sex, ut puta, florenos auri facientium, in duabus Judici (coram quo iis ipsa mota fuerit) in tertia vero Partibus, in causam attracto persolvendarum: Dum videlicet Actor suam actionem, & acquisitionem, ex sua negligentia, vel scriptoris vitio, aut alio quocunque errore occurrente, male, & indebite positam, ac declaratam cernit, & obesse potius, quam prodesse sibi considerat, antequam discussio illius causæ fiat, per se, vel suum Procuratorem, eam cum onere, & gravamine prænotato, sponte deponi, sopirique, & *condescendi* B) faciat.

A) Altera Condescensionis species usitatius *Depositio Causæ* vocatur. Quod Juris Remedium, soli Actori competit: Definitumque; quod sit spontanea Actoris, ex animadverso aliquo errore, Causæ jam suscitatæ cessio, Kitt. c. 4. q. 11. De hac Vide uberius tit. seq.

B) Quam variis modis vocabula *Condescensio*, & *Condescendo*, Jura, Juristæque nostrates soleant usurpare; Vide *in Tyroc. Jur. Ung.* §. 1. *ad h. t.*

Quomodo ante, & quomodo post latam Sententiam, causa condescendi debeat?

TITULUS 83.

CAusæ autem condescensio, semper ante latam per Judicem Sententiam libere fieri, atque celebrari poterit: Post latam tamen, & pronunciatam Sententiam, locum ipsa condescensio non habet. a)

§. 1. Latam autem, & pronunciatam Sententiam; intellige *finalem*, & *diffinitivam*, non autem *intermediantem*, quam Canonistæ *Interlocutoriam*, appellant.

§. 2. Nam post intermediantem hujusmodi Sententiam causarum condescensio sæpe locum habet, admittendaque censetur: Sed *non semper*.

§. 3. Si enim aliqua causa per Judicem ex responsionibus Partium ad communem inquisitionem, vel oculatam revisionem, aut literarum, & literalium Instrumentorum exhibitionem submissa fuerit; tunc non obstante hujus modi

a) Unde patet; duplicem esse Causæ Depositionem: Nempe *Antecedentem*, quæ fit, vel ante adventum præfixi termini: Vel ante ipsam Levatam, in ipsa Levata, vel denique ante Sententiam Interlocutoriam; Et *Consequentem*, quæ sit post Sententiam Interlocutoriam. Potest autem Causa deponi, vel *in Judicio*, vel *Extrajudicialiter*, coram Judice quidem Causæ, sed extra locum, & tempus Judicii. *Prax.* Estque Depositio Causæ, omnibus Foris, & Tribunalibus communis, licet cum diverso onere.

mocti Judiciaria deliberatione, & Sententia intermediante; causa ipsa etiam tempore discussionis, reportatæ seriei talis communis inquisitionis, vel oculatæ revisionis, aut literarum, & literalium Instrumentorum exhibitionis; si etiam per utramque Partem literæ jam coram Judice productæ essent, ante tamen pronunciationem diffinitivæ Sententiæ, ex serie attestationum, vel literalium Instrumentorum ferendæ, semper Actor A) causam suam *cum onere* præscripto *sex Marcarum* B) deponendi habet potestatem.

A) Hodierno Jure, in Causis pœnæ Calumniæ obnoxiis, Depositio Causæ admittitur duntaxat, ante literalium Instrumentorum, finalem Causæ Decisionem tangentium productionem: per art. 40. 1729. Ad mentem scilicet art. 23. 1547. In Actibus autem violentiarum, pœnæ indebitæ Actionis obnoxiis, admittitur solum; quousque Adversarius infligendam Actori pœnam indebitæ Actionis, non petit. cit. art, 40.

B) Causa deponitur in Tabula Regia, & Districtualibus; cum onere 6. Florenorum: In Foro Diœcesano & Sede Judiciaria Comitatus, nec non coram Judicibus Comitatensibus, in Partibus procedentibus; uti & coram Magistratu Civili; cum onere 3. Florenorum: Sive dein Causa totaliter deponatur, sive in parte. art. 40. 1729. Qui totus Articulus, cum hoc Titulo, est solerter conferendus. Et hujus quidem oneris, duæ partes Judici; tertia Adversario cedit sup. p. 2. t. 82. §. fin. In Sede tamen Metropolitana, de antiqua Praxi, hodiedum Causæ deponuntur, cum onere 6. Florenorum.

C) Ita tamen, ut si Adversario jam pro Termino com-

pa-

§. 4. Dixi tamen notanter; *non semper*: Nam in casu, quo quispiam ratione occupationis aliquorum Jurium possessionariorum, per adversam Partem in præsentiam sui Judicis evocaretur, & ipse evocatus responderet, se tempore, quo Actor proposuit illa non occupasse, sed etiam per prius se in Dominio ejuscemodi Jurium possessionariorum pacifice præstitisse, vel dudum se super ea re absolutum, & expeditum esse, hocque efficacissimarum literarum exhibitione se probaturum: Adveniente vero termino, per Judicem productioni & exhibitioni ipsarum literarum præfixo, & in causam attracto aliquo forte impedimento occurrente, in eodem termino comparere, exhibereque commissas literas, & producere non valente, contra ipsum *per* suam *non venientiam*, & *non comparitionem* (ex eo, quod in hujusmodi literarum exhibitione defecit, & succubuit) Sententia capitalis, aut Emendæ capitis per Judicem pronunciata, & forsitan debitæ etiam Executioni demandata, & tempore Executionis ejus, Repulsio violenta secuta, vel per literas novi Judicii cum inhibitione (juxta vetustam Regni hujus Consuetudinem, & contenta quoque Generalis Decreti nostri) con-

parente, Causam deponat, causatas per ipsum a motione litis, usque ad Depositionem, expensas (præhabita illarum, coram eodem ipso Judice, liquidatione) p ævie, instantaneeque, Parti J. refundat. Secus enim Depositio ei non admittitur. a. 40. 1729.

confectas, ab Executione sua prohibita fuerit: & tandem in termino revisionis, & discussionis reportatæ seriei ejuscemodi Executionis, aut Inhibitionis, Actor ipse, Repulsionis, vel solummodo literarum Sententionalium, & Judiciorum Birsagialium onus, atque gravamen ad portionem suam cedens, ab in causam attracto, & convicto tulerit, & ad se levaverit; posteaque convictus ipse literas per Judicem exhiberi commissas, sed prius produci neglectas, coram Judice produxerit; quarum vigore Actor ille contra ipsum in causam attractum, aut in facto Calumniæ, vel Emendæ linguæ convinci, aut alio onere condemnari se sentiens; antequam Sententia Calumniæ, vel Emendæ linguæ per Judicem ediceretur, Actor causam suam cum *onere* consueto *sex Marcarum* deponere, & condescendi facere voluerit: Tunc in hujusmodi casu, etiam ante latam, & pronunciatam diffinitivam Sententiam, *depositio causæ locum non habet.* a)

§. 5. Quia Actor ipse eam Sententiam *per non venientiam* in causam attracti, pronunciatam, vim Sententiæ diffinitivæ habere censuit: ubi Repulsionis, vel literarum Sententionalium, & Judiciorum onus ad se levavit, & per hoc injuste Partem adversam damnificavit. *Fraus enim, & dolus patrocinari debet nemini.* Et de reliquis quoque similibus casibus idem est intelligendum.

a) Confirmatur per art. 40. cit.

§. 6. Noſtra tamen hac tempeſtate, non ſolum prædeclaratis, ſed etiam aliis pluribus modis, cauſæ per varias, & multiplices (frivolas tamen) Procuratorum exceptiones, allegationesque, & objectiones, condeſcendi, ac ſubverti conſueverunt.

§. 7 Quas ubi Judices, juri, & Juſtitiæ contrarias fore agnoverint; admittere, illisque conſentire non debent: Ne, *Facientes*, & *Conſentientes pari reatu detineantur.*

§. 8. Hic eſt enim *gladius biceps*, *qui pupillorum*, & *viduarum*, *aliarumque miſerabilium perſonarum corda tranſixit.* Hic *dolor*, qui animas oppreſſorum ad intima penetravit. Hic denique *laqueus*, qui plurimos in baratrum æternæ damnationis præcipitavit: Multiplex videlicet cauſarum *injuſta condeſcenſio*: Quæ tanquam *peccati fomes*, ſemper eſt evitanda. a)

§. 9. Memini enim; ob defectum *unius literæ Alphabeticæ*, & ſæpe omiſſionem *unicæ dictionis*; totam cauſam, per Advocatum, exquiſita objectione, & allegatione (conſentiente Judice) ſubverſam, condeſcenſamque fuiſſe.

De

a) Graviſſimam hanc Werbaczii admonitionem, merito quisque Judicum ſibi corde ſumet.

De illis, qui in alterius Causam sese ingerunt, A) *Quid sit agendum.*

TITULUS 84.

QUia plurimi solent sese in causas, ac lites duarum partium, in ultimo præsertim causarum articulo, dum productis jam, & exhibitis coram judice per utramque Partem literis & Privilegiis, merita causarum tangentibus, finalis conclusio sequi, & Sententia diffinitiva ferri, atque pronunciari deberet, *a tertia*; sæpe etiam *quarta Parte* ingerere, & immittere.

§. 1. IGITUR sciendum est; quod quando causa *super hæreditate, & perpetuitate Jurium possessionariorum* ventilatur, ante latam *diffinitivam* Sententiam, B) quicunque voluerit, & se Jura illa possessionaria, aut perennali jure, aut pignoris, vel alio quovis titulo concernere agnoverit (cum refusione expensarum per Actorem in processu hujusmodi causæ factarum, ad portionem in causam Ingerentis cedentium

A) *Ingessio in causam*, tractatur per 2. seqq. titt. Definitu que; quod sit Actus Judicialis, quo quispiam in Causam, per alterum motam, ex fundamento Juris, se immittit. Conf. Kitt. c. 7. q. 20.

B) Proinde nihil obstabit, etsi Sententiæ Interlocutoriæ, etiam circa meritum, præcesserint: vel quæcunque literarum productiones, ipsum meritum concernentes, intervenerint.

tium A) liberam se in litem immiscendi, & immittendi habet authoritatem. B).

§. 2. Verumtamen in causam attractus, contra talem Ingerentem, mox, & de facto literas, vel literalia Instrumenta, seorsum ab Actore, producere non tenetur. C)

§. 3. Maxime, si quispiam nomine, & titulo Juris Regii noviter impetrati, Jura illa possessionaria pro se vendicare prætenderit: Nam ad tale Jus Regium prosequendum, in causam immiscenti, processus in hujusmodi lite solitus per Judicem dari, & assignari debebit. D)

§. 4 Nihilominus, in causam ille se immittens, Genealogiæ suæ lineam) si in causam attractus negaverit) E) *immediate* comprobare tenetur. F)

§. 5.

A) Secus enim Ingessio, illi non admittetur.

) Qui, si comprobando comprobet; obtinet partem bonorum controversorum, se concernentem, Executione mediante.

C) Sed satis erit, ad p oducta se provocare, & eadem pro exhibitis habere.

D) Consonat sup. p. 1. t. 31.

E) Caveat Actor, ne temere neget, Ingerentem esse de sua cognatione, intra *quartum gradum*: Quia secus, pœnæ proditionis fraterni sanguinis, obnoxiabitur. p. 1. t. 39. Si tamen extra quartum gradum negaxerit, nulli propterea oneri subjacebit. Kitt. c. 7. q. 22.

F) Id est: tenetur Genealogiæ suæ lineam, ad Principalem Actorem deducere, & literali Documento, vel Testimonio humano, *Sensu p. 1. t.* 47. Sufficienter comprobare, Conf. Kitt. c. 7. q. 21.

§. 5. Quia etsi eodem duntaxat in termino in causam se ingessit, tamen per hoc Actorem se de facto efficit: *Actor autem paratus semper esse debet.* A)

§. 6. Nam aliter ab ingressu, & prosecutione hujusmodi causæ decidisse reputatur B) & alio processu illam postea prosequi tenebitur.

§. 7. Si tamen Genealogiam suam comprobaverit; vel forsitan neque in causam attractus illam negaverit, nihilominus etiam contra eum *Expeditorias*, vel alias literas se habere allegaverit, inter Actorem quidem, & in causam attractum, ex continentiis, & tenoribus exhibitarum literarum, Judicium fieri, & administrari poterit.

§. 8. Attamen productioni literarum, adversus in causam ingerentem exhibendarum, unicus terminus per Judicem dari, præfigique debebit. C)

§. 9.

A) Scilicet *ad probandum*. Proinde in casu Ingessionis (si negetur, aut edoctio petatur) ad comprobandam præprimis Genealogiam. Qua sufficienter edocta; unito cum Principali Actore, Jure adversus J. ingerens procedet.

B) Nulli tamen propterea oneri obnoxiabitur, sed ab Ingessione duntaxat, & prosecutione Causæ repelletur: Quam tamen, si velit, mediante alio Processu, iterum suscitabit.

C) In quo Termino, si pars I. promissas literas produxerit, ex earum continentiis, Judicium recipiet: Et quamvis non produxerit; finalem tamen Sententiam audire debebit.

§. 9. Advertendum est autem, quod in eam causam, quæ ratione *Impignorationis* vel *Occupationis Jurium possessionariorum* agitatur, & prosequitur; nemo hæreditatem aliunde Jurium possessionariorum pro se vendicare prætendens, in causam se immittendi habet facultatem. A)

§. 10. Juri enim, & justitiæ disconveniens videretur; ut ille, qui Jura sua possessionaria necessitate rationabili cogente, alteri titulo pignoris ad tempus obligavit, inter litigandum de Dominio eorum, per alium, cum quo prius nullum in hac parte commercium habuit, perpetuo excluderetur: Vel possessio de manu cujuspiam violenter occupata, & in causa prætextu occupationis ejusdem suscitata, non ad illius, unde occupata fuerat; sed alterius manus assignaretur possidenda.

Utrum Actore liti cedente; possit in Causam se ingerens, *in ea procedere?*

TITULUS 85.

SEd quia plerumque fieri consuevit, ut levata jam per Judicem ad discutiendum causa duas inter Partes exorta, productis etiam sæpe nu-

A) Ex quo vides; in causis ratione Impignorationis, vel Occupationis Bonorum suscitatis, non admitti Ingessionem: Sed solum in Causis super perennalitate motis. §. 1. *h. t.* & Kitt. c. 7. q. 23.

umero per utramque Partem Privilegiis; lite-
alibusque Instrumentis; priusquam finalis, &
iffinitiva Sententia inter Partes pronunciaretur
um jam *a tertia* quoque, aut *quarta parte* ali-
uis se in eam causam immisisset; Partes princi-
ales, Actor scilicet, & in causam attractus aut
roprio eorum motu, aut aliorum fratrum, &
micorum suorum de consilio, per bona media
n concordiam, & unionem deveniat; causæ
li, & ulteriori prosecutioni ejusdem, omnino
nem imponentes:

§. 1. UNDE quæritur; utrum in causam
le se ingerens, & immiscens, possit contra
n causam attractum, ulterius in eadem causa
non obstante præmissa concordia, & unione
um Actore jam facta, & stabilita) procedere:
eneaturque in causam attractus, ad instantiam
lius respondere, literasque producere: Vel ex
enoribus literarum, adversus Actorem jam
orte per attractum exhibitarum, valeat Judi-
ium, & Justitiam, Sententiamque diffinitivam
abere? A)

§. 2. DICENDUM; quod si concordia, & unio prænarrata inter duas Partes principales, Acto-

A) Ex contextu *h.* & *pri. tit.* patet, Ingressionem debere fieri in figura Judicii. Potest autem illic fieri, vel allegative, vel in scriptis; ut habet Prax. Qualiter autem, & in quas Causas, Fiscus Regius; aliique Fisci Magistratuales, & Consistoriales, semet ingerere soleant; *habes in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

Actorem videlicet, & attractum, *ante Sententiam diffinitivam* per Judicem ferendam (si etiam ex utraque Parte literæ jam productæ extitissent) facta, celebrataque fuerit, amplius in causam se ingerens, & immiscens, in ea procedere non potest: A) Neque tenetur attractus ipse, contra illum de cætero in eadem causa respondere.

§. 3. Quoniam *ruente fundamento* (principali scilicet Actore) *ut cætera quæque superædificata ruant, necesse est.*

§. 4. Verumtamen, si concordia ipsa, B) & unio *post latam. & pronunciatam* inter omnes Par-

A) Excipe Casum, quo A. principalis, ita cum I. concordasset, ut de Bonis liti subtitutis portionem habeat aut pecunia exolvatur, aliudve commodum inde ferat, idque (ut non raro fit) potissime ad excludendum Ingerentem: Tunc enim æquitas naturalis dictat, ut Ingerens etiam, portionem se concernentem prætendere possit. Neque Lex, justæ prætensioni viam præcludit: Nec sinit fraudem, & dolum cuiquam patrocinari. per p. 2. t. 83. §. 3.

B) Concordiam, & amicabilem Unionem inter Partes litigantes de Jure etiam nostro admitti; patet ex Lud. I. Decr. a. 24. Sigis. Decr. 6. a. 5. Albert. Decr. a. 31. Mat. Decr. 6. a. 5. Ulad. Decr. 1. a. 68. Et ejusd. Decr. 2. a. 13. Et eandem de Praxi nostræ Patriæ, Judices suadent ex Officio, tum ante ingressum litis, tum litis intermedio: Cum *sæpe præstabilior sit mediocris compositio, quam Causa pinguissima.* Procuratores vero moderni, Juramento sunt adstricti, ad non impediendam suorum Principalium amicabilem compositionem, sine legali, & sufficienti ratione.

Partes, Actorem videlicet, & attractum, atque ingerentem, *Sententiam*, A) lata, facta que fuerit, dum jam de Juribus possessionariis litigiosis etiam ingerenti portio congruens, aut Dotalitium, sive Quartalitium, vel Jus forsitan impignoratitium extitisset adjudicatum, aut literalium saltem Instrumentorum exhibitio fuisset attracto, contra Ingerentem adjudicata, tunc etiam principali Actore liti cedente, & ulteriori prosecutioni hujusmodi causæ renunciante, ingerens, & in causam se immiscens, nihilominus juxta Judiciariam Commissionem, & deliberationem Judicis, in eadem causa procedendi habet facultatem. B)

Qualiter Birsagia, *in Processu Causarum accumulari solita, exigi debeant?*

TITULUS 86.

QUoniam finitis causis, longo litis processu terminari solitis, universa Judiciorum onera, vel Juridica gravamina, in processibus earundem causarum aggregata, & accumulari con-

A) Scilicet: *Definitivam.*

B) Quia nempe, per Definitivam Sententiam, etiam Ingerenti fuit adjudicata aliqua portio, ratione cujus A. principalis, cum I. concordare, invito Ingerente non potuit: Vel quia ad minus literarum productio ex parte I. fuit adjudicata Ingerenti, cui renunciare, vel contravenire, A. principalis, per accordam suam haud potuit.

consueta A) quæ communi vocabulo *Birsagia* B) nuncupantur) exigi solent.

§. 1. SCIENDUM igitur, quod si in causam attractus Juridica ipsa gravamina, in processu cujuslibet causæ contra se aggregata, mox finita causa coram suo Judice paratis in pecuniis deponere, & persolvere voluerit; tunc *quamlibet Marcam*, *uno floreno* C) deponere, & refundere poterit.

§. 2. Et hujusmodi onerum, & Birsagiorum duæ partes semper Judici cedunt, & tertia pars Actori manebit. D)

§. 3. Ubi vero coram Judice suo illa deponere noluerit, aut non poterit; attamen Judicem super eo postulaverit, pariter ad admonuerit; ut hominem suum mittat, coram quo de Bonis, & Juribus suis possessionariis per eorun-

A) Hodie Birsagiorum accumulatio, seu aggregatio; non expectatur, sed statim, atque emergunt, per Sententias Interlocutorias a Judicibus exiguntur. Kitt. Dub. 86. & *Prax.*

B) Vox solis Ungaris nota, ex radice *Birság* (seu mulcta, & pœna Judiciaria) desumpta.

C) Confer. sup. p. 2. t. 69

D) Congruit Ulad. Decr. 2. a. 12. Et in Sedibus quidem Judiciariis Commitatuum, portionem Judiciariam, Supremus; aut V. Comes, æqualiter dividere debet, cum Judicibus Nobilium. Sigis. Decr. 6. a. 3. Præprimis autem adversa Pars per Judicem contentanda est. Math. Decr. 6. artt. 52. & 69. Ulad. Decr. 1. art. 66.

rundem occupationem, non expectata super ea re Executione solito more fienda, satisfactionem super ejuscemodi Judiciorum oneribus impendere curabit; tunc *singula* quæque *Marca*, *singulis duobus florenis* deponi, & persolvi valebit.

§. 4. Si autem nulla admonitio facta, nulla etiam satisfactio per ipsorum Bonorum occupationem impensa, sed simpliciter ad Executionem causa ipsa simul cum oneribus suis submissa fuerit; tunc non aliter, nisi *quamlibet Marcam ad singulos quatuor florenos* taxando, reus ipse compensare, deponereque tenetur.

§. 5. Super quibus, primo de rebus mobilibus convicti, A) si reperiri poterunt; aliter autem de Juribus ejusdem possessionariis satisfactio impendenda erit.

§. 6. Qualiter vero, & quo ordine ejusmodi Birsagia, seu judiciorum onera, in processibus causarum contra quospiam accumulari soleant; non existimo necessarium sermone prolixo describere: Eo, quod longus ille causarum processus, in quo juxta antiquorum, & prædecessorum nostrorum Consuetudinem Birsagia, ac Judicia ipsa sæpe *duplari*, sæpe etiam *cum duplo duplato*, de uno Juridico termino in alium propagari consueverant; per Gene-

A) Facile in pecuniam convertibilibus. *Prax. & Com. Syst. hic.*

rale Decretum noſtrum abolitus, & extinctus eſt.

§. 7. SECUNDUM namque modernorum Legem, & Conſuetudinem, univerſæ cauſæ longo litis proceſſu olim terminari ſolitæ, in quatuor tantummodo terminis Octavalibus decidi, & finiri debent: In quibus, Judicia ipſa *ſimplo duntaxat modo* cumulantur: Et non niſi *in tertia Evocatione*, quæ ex ſimplici admonitione, vel Evocatione proceſſura eſt, *duplantur*.

§. 8. In primo namque Octavali termino, dum in cauſam attractus non comparuerit, in Judicio *trium Marcarum* convincetur, & aggravabitur: Et per Actorem tam ad earundem Marcarum reſtitutionem, quam etiam ipſius cauſæ proſecutionem, iterum evocabitur. Et hæc Evocatio ſecunda apellatur.

§. 9. Unde Si in ſecundo termino Juridico in cauſam attractus non comparuerit; tunc pro iſta ſecunda non comparitione, *rurſus in trium Marcarum Judicio*, & pro non ſolutione priorum trium Marcarum; *in duplo* earundem condemnabitur. A)

§. 10. In ſimplici autem poſſeſſionaria Statutione, vel metali Reambulatione; ſemper ſimpliciter Birſagia ipſa aggregantur.

§. 11.

A) De uſu modernorum; ne iſta quidem *Duplatio*, contra Partem J. non comparentem, ſubſiſtit Kitt. Dub. 87.

§. 11. In brevi quoque causarum processu, in causam attractus, similiter *in tribus Marcis*, per se; & si Jobagionum, vel familiarium suorum Ignobilium Statutio interserta fuerit, tunc pro Statutione singulorum in singulis Marcis, hoc est: pro quolibet eorum in una Marca: Actor vero, si non comparuerit; *in Regali Judicio, sex Marcas faciente* gravari consuevit.

§. 12. Et in hujusmodi Judiciorum, ac Birsagiorum solutione, *quælibet Marca, uno floreno*, vel centum denariis, in Sede Judiciaria coram Judice causæ (modo prædeclarato) deponi, atque persolvi poterit. A)

§. 13. Si tamen ad executionem submissa fuerit, tunc unaquæque Marca *quatuor florenis*, vel quadrigentis denariis, compensanda erit.

§. 14. Verumtamen si reus, & in causam attractus voluerit, & rebus mobilibus abundaverit; juxta modum in serie æstimationis rerum mobilium, propter finem primæ Partis B) de-

A) Consonat Ulad. Decr. 1. a. 99. Et habent Judices ad exigenda sua Birsagia, plenariam omnino facultatem Math. Decr. 6. a. 52. Kitt. c. 10. q. 2. Comitatenses tamen Judices, debent Convicto, post admonitionem, quindenam unam relinquere, pro persolutione Birsagiorum, quæ in Sedibus Judiciariis intervenerunt cit. art. 52. priusquam scilicet ad Executionem, pro non persolutis Birsagiis procedant.

B) Scilicet tit. 133.

descriptum, Juridica ipsa gravamina Judici adversæque Parti persolvendi habet potestatem. A)

A) Præter *Birsagia Judicialia*, isthic commemorata, sunt alia *Birsagia Quasi Judicialia*, quæ nimirum, cum instituendo novo Processu, vel saltem aliquo Juris strepitu, exiguntur. Alia vero *Extra Judicialia*, quæ ob certos Casus per quempiam commissos, v. g. Ob voluntariam malefactorum, ex Captivitate dimissionem: Ob contemptum Regiorum Mandatorum. &c. a Legibus instar Pœnæ determinata sunt, & a Judicibus, aut Fisco Regio, etiam extra figuram Judicii desumuntur. De quibus consule Cynosuram Decreti. V. Birsagium.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

DE TERTIA PARTE JURIUM, ET CONSUETUDINUM INCLYTI REGNI HUNGARIÆ, IN GENERALI.

TITULUS 1.

Bſolutis, auxilante DEO, ſuperius Judiciariis Proceſſibus, & Sententiarum ſpeciebus, atque diverſitatibus Curiæ Regiæ; in hac jam *Tertia*, & *Ultima Parte* hujus Opuſculi, ſupereſt tractare Litium, & Cauſarum in ipſam Curiam Regiam, *per viam Appellationis* deducendarum, atque transmittendarum, ſeriebus:

§. 1. Et conſequenter, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, atque Tranſylvaniæ, ſacræ videlicet Coronæ Regni hujus Hungariæ dudum *ſubjectorum*, & *incorporatorum* Conſuetudinibus, a noſtra Lege parumper diſtantibus, atque diſcrepantibus: De quibus plurimæ cauſæ poſt finalem earum deciſionem, in dictam Curiam Regiam, *maturioris reviſionis*, & *evidentionis diſcuſſionis gratia* transmitti conſueverunt:

§. 2. Liberarum quoque Civitatum Legibus:

§. 3. Et de modo *impensionis Judicii*, ex parte colonorum, & rusticorum nostrorum fieri consueti: Prout in Titulis subsequentibus patebit.

Utrum quilibet Populus, vel Comitatus, possit per se condere Statuta?

TITULUS 2.

QUia Leges dudum approbatæ, ac Consuetudines prædictorum Regnorum *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Sclavoniæ*, & *Transylvaniæ*, certis in Terminis, & Articulis, a nostræ Patriæ, Regni scilicet hujus Hungariæ Legibus, & Consuetudinibus discrepare: Nonnulli etiam Comitatus, distinctim, ac separatim ab aliis Comitatibus; imo etiam ab ipsa Curia Regia certas Consuetudines, *utcunque inductas*, loco Legum observare videntur:

§ 1. Ideo quæritur; utrum quilibet Populus, A) vel Comitatus, B) aut quælibet Civitas, possit per se, & seorsim facere Statuta? DICENDUM, quod nullus Populus, & nulla Uni-

A) Qui, nomine *Populi* intelligendi veniant; Vid. supp. 2. t. 4.

B) *Comitatus*, nobis significat Districtum quendam, seu Provinciam, complexam in se Potissimum eos, qui de stylo Patriæ nost æ usurpare illud solent: *Nos Universitas Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, & Nobilium, &c.* Quot aut in Ungaria sint tales Provinciæ; quibusve Magistratibus gubernentur; & quæ singulorum sint officia, atque obligationes; disces ex *Tyr. Jur. Ung. adh. 1.*

Universitas potest condere Statuta, quæ non habet Jurisdictionem propriam, sed alterius subest Dominio, nisi cum consensu sui Superioris: A) Et hoc quoque in casibus; qui Juri Divino, & humano præjudicare non dignoscuntur: Ita, ut Statuta ipsa iniquum aliquid, salutique contrarium non contineant, neque Juribus aliorum palam derogare, præjudiciumque inferre videantur.

§. 2. UNDE licet *Dalmatini*, *Croatienses*, *Sclavonienses*, & *Transylvanienses*, in Homagiorum, & Birsagiorum solutionibus, aliisque certis causarum processibus, & terminorum observationibus (sicuti infra B) clarius dicetur) alia & alia Consuetudine a nostra longe discrepante utantur; utendique, & fruendi habeant authoritatem; & inter se modo quoque, illis simile aliquid, de consensu Principis statuere, & ordinare possint: Contra tamen Generalia Statuta, & Decreta Regni hujus Hungariæ; & contra Judicia, Judiciariasque deliberationes, super facto Bonorum, & Jurium possessionariorum, in Curia Regia, per Judices Ordinarios administrari solita, celebrarique, & pronunciari consuetas; nil quidquam constituere possunt, nullamque statuendi habent facultatem. C)

A) Nisi proinde adsit ei Jurisdictio a Principe concessa, vel saltem Consuetudine acquisita, proinde tacitum Superioris consensum inbibens.

B) Maxime titt. 3. & 4.

C) Et merito; cum *inferiori in superiorem*; *nulla sit aut*

§. 3. Et in hujus documentum, atque signum; universæ causæ, super facto Jurium possessionariorum, in medio eorum motæ, finitis inibi causis, in Curiam Regiam, tanquam scilicet *Locum Interrogatorium, gratia sanioris, & naturioris revisionis*, examinationisque, & discussionis, transmitti consueverunt.

§. 4. Ubi quidquid deliberatum, & conclusum fuerit; ratum semper erit, atque firmum; *Banali*, vel Wajvodali deliberatione non obstante.

§. 5. Sic etiam in diversis Comitatibus, diversas Constitutiones, super agrorum, pratorum, silvarum, & fluviorum custodia, vel molendinorum statu, atque proventibus, & aliis ejuscemodi rebus; imo & terminorum, ac processuum observationibus; ut scilicet hic brevio-

authoritas. Confer Kitt. c. 11. q. 8. Excipe tamen; si Princeps noster, privata eorundem Statuta confirmet, & inter eos, pro Lege servari velit. Huc facit art. 66. 1681. & art. 120. 1715. Vid. etiam Articulos DD. Statuum, & Odinum Croatiæ, & Sclavoniæ Regnorum, a Ferdinando II. Anno 1636. Item alios, a Leopoldo Imp. confirmatos: Qui referuntur *in Tyroc. Jur. Ung. ad t. 3 b. p.* His adde 11. art. horum Regnorum, qui reperiuntur in Corpore Juris nostri, post Decr. 1. Vlad. & 26. art. Constitutionum Crisiensium, post Decr. 1. Ferdinandi I. Quamquam & alibi sparsim sæpius mentio fiat Jurium, Privilegiorum, & Consuetudinum, horum Regnorum. Illud peculiari laude dignum: Quod in his Regnis, nemo præter *Romano Catholicos*, Bona, Juraque possessionaria tenere valeat. a. 23. 1687. a. 125. 1715.

viori, & ibi longiori processu, causa in Sede Judiciaria Comitatus, coram Comite Parochiali mota terminetur; sana inter sese deliberatione præhabita, facere quidem, & stabilire possunt: A) Generali tamen Decreto totius Regni, atque vetustæ, & approbatæ Consuetudini Curiæ Regiæ, in Judiciis observari (ut præmittitur) solitæ, præjudicare, ac derogare nusquam possunt.

§. 6. Et hujusmodi eorum Statuta, solummodo inter eos, & in eorum medio valent, atque tenent: B) Ad exteros tamen, & aliorum Comitatuum Nobiles, qui Bona, & Jura possessionaria, in ipsorum medio non habent; se non extendunt. C)

§. 7. Et hoc modo, Civitates quoque Liberæ; nec non *Mercatores*, *ac Institores*, *Sartores*, *Pellifices*, *Sutores*, *Cerdones*, & alii opifices, in ipsorum Collegio, & inter sese Statuta condere possunt, *consensu Principis accedente:* D) Dummodo hujusmodi Statuta, *justa*, & *honesta* fiant, aliisque, & aliorum libertatibus, ac Juribus damnum, & *præjudicium non inferant.*

A) Hinc, qui litigare intendit, diligenter debet investigare, quæ circa controversam materiam, in illo Comitatu, Civitate, aut Regno, Statuta vigeant: Ne contra illa delinquens, opposita exceptione, vel allegato Statuto, ab incepto repellatur. Kitt. c. 11. q. 8.

B) Quasi, vi pacti, & promissionis.

C) Extra Territorium enim non ligant: ut pluribus dictum supra p. 2. t. c. Congruit p. 2. t. 65.

D) Consensus iste Principis, tempore creatæ talis Communitatis, in Diplomate, si quod impetrarunt; aut exprimitur, aut tacite imbibitur.

rant. Quæ, ſicuti præfertur, in eorum duntaxat medio valent, atque durant.

§. 8. DEBENT autem ejuscemodi Conſtitutiones, & Statuta, cum majori, & ſaniori parte Populi fieri, atque ſtabiliri: Quia aliter, non dicerentur Populi, vel Communitatis Statuta. Verum, ſi Populus in duas divideretur partes; tunc Conſtitutio ſanioris, & potioris partis valet. Sanior autem, & potior pars illa dicitur; in qua dignitate, & ſcientia A) fuerint præſtantiores, atque notabiliores.

De Conſuetudinario Jure Regnorum, Sclavoniæ & Tranſylvaniæ, *peculiari.*

TITULUS 3.

SCiendum itaque eſt, quod Nobiles Regnorum *Sclavoniæ*, & *Tranſylvaniæ*, B) pluribus in Articulis peculiari Conſuetudine gaudent, & utuntur: Maxime vero in Homagiorum ſolutione.

§. 1. Quoniam Sclavonienſes *centum;* Tranſylvanienſes autem *ſexaginta*, & *ſex* florenis eorum Homagia compenſare ſolent.

§. 2. Et proinde, *Reſponſiones* quoque *Procuratorum* in ipſorum medio, terminis in Octavalibus ſimili cum onere revocantur.

§. 3.

A) Præſertim *Juridica*

B) Quando hæc Regna, & Provinciæ, ad ſacram Regni Ungariæ Coronam acceſſerint; prout etiam Eorundem Diſtrictus, & Comitatus, cum præcipuis ipſarum Municipiis, & Familiis; Vid. *in Tyr. J. U. ad h. t.*

§. 3. *Dotalitia* etiam uxorum quorumcunque decedentium (demptis officio Baronatus fungentium, vel functorum) in ipso Sclavoniæ Regno, pari modo *centum*; Transylvaniæ vero, *sexaginta & sex* florenis persolvuntur.

§. 4. Hoc tamen intellige, si Bona, ac Jura possessionaria maritorum defunctorum, ad tot Marcas se extendunt: Nam aliter, si minoris æstimationis Bona ipsa fuerint; etiam ibi (prout in Hungaria A) Relictis eorum, pro Dote minus datur.

§. 5. *Uxoribus* autem *Baronum*; eo, quo in Hungaria modo, fieri debet solutio Dotalitiorum.

§. 6. *Causæ* vero *in utroque Regno*, ratione Jurium possessionariorum, vel aliorum specialium, arduorumque negotiorum, in Octavalibus terminis motæ; post diffinitivam Sententiam, ad Appellationem cujuslibet Partis, semel in Curiam Regiam, Domini videlicet Judicis Curiæ Regiæ in præsentiam, maturioris examinis, & discussionis gratia, transmittuntur; & pro finali conclusione, atque Executione earundem, rursus ad priorem Judicem, Banum scilicet, aut Wajvodam B) remittuntur. C)

§. 7.

A) Sensu p. 1. t. 93.

B) Ex parte Sclavoniæ stat, & viget hæc Appellatio. Non item ex parte Transylvaniæ: Ubi loco Wajvodæ; Gubernator, & Consilium, quod Gubernialc vocant, Jura hodie moderatur.

C) Confer Ulad. Decr. 4. a. 6.

§. 7. Cæterum Nobiles Transylvanienses, A) pro minoribus potentiariis actibus, in *quinquaginta Marcis* totidem florenos auri facientibus convincuntur: Vice-Comites autem, & Judices Nobilium in duplo condemnantur.

§. 8. Homagium vero vivum; *triginta & tribus florenis* apud eos compensatur.

§. 9. Item, Dotalitiorum solutio, quoad duas partes, paratis, & numeratis pecuniis; ad tertiam siquidem partem rebus mobilibus, atque venalibus absolvi consuevit.

§. 10. Item violatio Generalis Diætæ, & Conventionis Nobilium Transylvanienſium, de Regio Mandato, vel Domini Wajvodæ Transylvani Edicto celebrandæ, *centum*, Sedis vero Judiciariæ, *quinquaginta Marcis* totidem florenos valentibus taxatur.

§. 11. ITEM, in facto recuperationis damnorum, ac debitorum; *principalis Nobilis*, Actor scilicet, vel in causam attractus *ad tres flo-*

A) Duplex apud Transylvanos Legum Municipalium Codex circumfertur, uterque Ungarico idiomate (ipsis, etiam in Procuratorum allegationibus familiari) conscriptus. Primum *Approbata*, secundum *Compilata* vocant: seu Approbatas, aut Compilatas Constitutiones. Primus complectitur Articulos, & Constitutiones Comitiorum, nec non Edicta variorum Principum, ab Anno 1540. a. morte scilicet *Joannis Zapolya*, usque ad annum 1653. inclusive: quo confirmatus est a Principe *Georgio Rákóczi II.* in Comitiis Albensibus. Secundus continet Articulos Diætales, et Edicta Principum, ab Anno 1654. usque ad Annum 1669. quo confirmatus est a Principe *Michaele Apaffi*, in Comitiis itidem Albensibus.

florenos jurare permittitur. Cæteri autem Nobiles, ejus Conjuratores, non plures, quam *singuli singulum florenum* suo Juramento recuperandi habent facultatem.

§. 12. Et licet in processibus causarum prænarratarum, *quælibet Marca* Transylvanorum more, *centum denarios* valeat; *Birsagia* tamen, ac Juridica gravamina in processibus causarum Octavalium accumulata, instar Nobilium Regni Hungariæ, quadringentis denariis (juxta modum in fine primæ Partis descriptum) absolvi semper solet.

§. 13. ITEM, Causæ in Sedibus Judiciariis Comitatuum, coram Vice-Comitibus Parochi alibus, ac Judicibus Nobilium, ratione rerum *infra tres florenos* valentium motæ in præsentiam Wajvodalem, ad terminos Octavales non transmittuntur.

§. 14. ITEM, Homagium Rusticorum Transylvanorum integrum, *viginti quinque*: medium vero (quod vivum Homagium vocatur) *duodecim florenis*, & *quinquaginta denariis*: Mutilatio autem membrorum; ut manuum, aurium, eruitioque oculorum, & vulnus faciei, *viginti*: Excussio vero dentium; *sex florenis* æstimatur.

§. 15. ITEM, si rusticus de loco delicti aufugere poterit; pœna violentiæ, & actus potentiarii per eum commissi, atque patrati, non laso, sed terrestri Domino Coloni cedit: Læsus cu-

autem, damnati duntaxat, vel susceptí vulneris compensam rehabebit.

§. 16. ITEM, rustici propter pecudum, & pecorum de damnis illatis abactorum violentam emissionem, & ablationem, vel aliam quamlibet indebitam rerum arrestationem; in æstimatione hujusmodi pecudum, & pecorum, ac rerum arrestatarum, convincuntur.

§. 17. Et in hac parte de Nobilibus quoque idem Judicium observatur.

§. 18. ITEM, in facto recuperationis damnorum, ac debitorum, rusticus principalis Actor videlicet, aut attractus, unum florenum Juramento suo acquirere permittitur: Cæteri vero sequentes rustici, ejus, ut puta, Conjuratores; *tres personæ florenum unum*, & non plures, eorum Juramento recuperare possunt.

De Scythulis Transylvanis, *quos* Siculos *vocitamus*.

TITULUS 4.

SUNT præterea Transylvanis in Partibus *Scythuli*, *Nobiles Privilegiati*, A) a Scythico Populo, in primo eorum ingressu in Pannoniam propagati, B) quos Nos, corrupto quodam vocabulo, *Siculos* appellamus: Dissimili penitu

Le-

A) Hi, cunctique Transylvani Nobiles, veluti ejus dem sacræ Coronæ Consortes, etiam in Ungaria, pro veri Regni Nobilibus reputantur, ut monet *Com. Sy*

B) De his Vid. Bonf. lib. 9. pag. 132. & seqq.

Lege, & Consuetudine gaudentes: Rerum bellicarum expertissimi: a) Qui per Tribus, & generationes, atque Lineas generationum (antiquorum more) hæreditates, ac officia inter se partiuntur, & dividunt.

§. 1. Horum Homagia, *viginti, & quinque florenis* compensantur.

§. 2. Emenda vero linguæ, ad *duodecim florenos*, & *quinquaginta denarios*, in eorum medio taxatur.

§. 3. Capitalis autem Sententia, contra Scythulum, coram eorum Comite lata; ad *viginti quatuor Marcas*, totidem florenos valentes, se extendit: Hæreditatesque, convictus, & sententiatus ipse non amittit, sed ad hæredes, fratresque ejus derivantur. Caput etiam, demptis casibus Notæ Infidelitatis, & causis criminalibus; salvum præservabit.

§. 4. In Sede vero ipsorum Judiciaria, *quæ-libet Marca quinquaginta denariis* deponi, & persolvi consuevit.

§. 5. ITEM, in quavis causa, statim post lam, & pronunciatam Sententiam, Comes, & Vice-Comes eorum, b) portionem suam Judicia-

a) De his Leopoldus Imp. in Diplomate suo, An. 1691. quo Res Transylvanicas ordinabat, art. 140. sic loquitur: *Siculi, genus hominum bellicosissimum, ab omni tributo, ab omni hybernorum, aut æstivorum molestia, a Decimis, & præstationibus, sint penitus exempti. E contra pro defendenda Transylvania, propriis stipendiis militare obstricti.*

b) Hodie supremus, & Vice; *Judicem Regium* vocant

ciariam, (si etiam convictus cum adversa Parte concordaret) exigendi habet authoritatem.

§. 6. ITEM, causæ in facto hæreditatum, ultra valorem *trium florenorum* inter eos suscitatæ (servatis Appellationibus solitis) in Curiam Regiam pro evidentiori discussione transmitti solent.

§. 7. Reliqua autem *Jura* horum Regnorum, atque Nobilium A) *Municipalia* (quia in eorum duntaxat medio valent, & inter sese nota sunt) ampliori declaratione non egent. B)

Quid sit Homagium? *& quot modis intelligatur?*

TITULUS 5.

SEd quia de Homagio, ac Marcis Homagialibus mentio sæpenumero præhabita est ideo sciendum breviter, quod Homagium dupliciter accipitur.

§. 1.

A) Qui plura Siculorum peculiaria Jura pernosse cupit consulat Approbata Transylvaniæ, notanter p. 3. t. 76. & p. 4. t. 14. In compilatis vero p. 3. t. 8.

B) Incolunt Transylvaniam præter Ungaros, & Siculos etiam *Saxones*, septem *Sedibus*, velut totidem Comitatibus, amplissimis nempe terrarum tractibus definiti: Hos velut peculium Regium, *Sensu Ulad Decr.* 7. *art.* 3. Reges Nostri, peculiari favore semper sunt prosecuti. Horum municipalia Jura & Consuetudines speciali libello contenta, referuntur *in Tyroc. Jur. Ung. ad h. t. p.* 3. De *Armeni* autem & *Valachis*, Transylvaniæ Incolis; consuletiam potest *cit. Troc. ad h. t.*

§. 1. UNO modo secundum Leges, quasi *ominis ligium*, seu ligamen. Et est; *fidelitas præstita superiori per inferiorem.* A) Vel est; *delitas, quæ debetur soli Principi, nullius alteius fidelitate salva:* B)

§. 2. ALIO modo sumitur Homagium, secundum communem usum, & tunc est; *mul-a*, vel *æstimatio homicidarum:* Quæ talis est, t homicidæ redimant se ab his, quibus compet, juxta æstimationem capitum suorum, ultra lias pœnas pro actibus potentiariis penes homicidium forsitan patratis, debitas, & infli-i solitas.

§. 3. Nonnulli tamen dicunt; *Homagium, pretium esse hominis perempti:* Licet ɔsurdum sit ita dicere. Nam mortuus nullo retio redimi, & a mortuis suscitari potest. Sed omicida, ne talionem subeat, ut caput suum non illius, quem peremit, redimat, neesse est.

§. 4. Et hoc; si manus Judiciarias, vel adersæ Partis evaserit. Nam si in persona sua tineri poterit, homicidiumque *deliberate* C) atratum fuerit; non Homagium suum depone-, sed pœnam capitalem subire debet.

A) Si nempe *Homagium* sumatur latius, & in ampliori significatione.

B) Et sic, *Homagium* sumitur stricte, ac in propria significatione.

C) Proinde Homagium; est æstimatio seu mulcta homicidii Casualis.

§. 5. Homagium itaque secundo modo sumptum; *capitis emendam*, ac Redemptionem, Nos communiter esse tenemus. A)

Qualiter Causæ *de Sedibus Judiciariis Comitum Parochialium, in Curiam Regiam* transmittantur? *& de Procuratorum in eisdem Sedibus Revocatione.*

TITULUS. 6.

QUia vero causæ in Sedibus Judiciariis Comitum Parochialium, B) Comitatuum hujus Regni, motæ, facta primum per eosdem Comites, Vice-Comites, ac Judices Nobilium juxta Responsiones Partium, deliberatione Juridica, & Sententia lata (ut plurimum) in Curiam Regiam, ad approbandam, vel reprobandam ejuscemodi ipsorum Sententiam, ac Judiciariam deliberationem, de vetusta Regni nostri Lege, & Consuetudine transmitti; & ibidem præ-

A) Aguntde Homagiis, p. 1. titt. 2. & 12. p. 3. titt. 3. 9. 21. 23. & 26. Quibus autem præterea casibus pœna homagialis de Jure Nostro solvatur; prout & eruditas ad h. t. Observationes, Excelsæ Commissionis systematicæ (Vide *in Tyroc. Jur. Ung.*

B) Comitatus, *Parochia*, & supremus Comes sæpe *Parochialis*, in Decretis nostris, præsertim vetustioribus audit, ut S. Lad. l. 3. c. 16. &c. Nam sicut Parochia, est locus, in quo degit Populus alicui Ecclesiæ deputatus, certis limitibus constitutus; ita Comitatus est locus, in quo degit Populus Provinciali Pedaneo Magistratui subjectus, certis limitibus circumscriptus.

præhabita per Judices Regni Ordinarios matura pſarum cauſarum diſcuſſione, aut probatæ, aut mprobatæ, rurſus in præſentiam prædictorum Comitum Parochialium, & Judicum Nobilium, pro Executione, & perfecta concluſione hujusnodi Sententiæ, ac Judiciariæ Commiſſionis :orum, crebra remitti; & poſt ipſam remiſſionem, Partes convictæ, & in cauſa ſuccumbentes, a Principe novum Judicium impetrare, & æpenumero etiam virtute ipſius novi Judicii, Procuratores ſuos revocare, conſueverunt:

§. 1. Unde ſciendum, quod poſt cauſæ de Curia Regia remiſſionem, & Judicum ipſorum Ordinariorum approbationem, vel reprobationem, ſi Partem per convictam, & ſuccumbentem, novum Judicium impetratur, aut Procuratoris reſponſio revocatur; qualecunque Judicium poſtea per Comites, Vice-Comites, & Judices Nobilium celebretur, & qualiscunque Sententia feratur; de cætero tamen pro evidentiori ejusdem diſcuſſione, Cauſa ipſa in Curiam Regiam, etiam vigore hujusmodi novi Judicii, transmitti non debet. a)

§. 2. VERUM, ſi altera Pars ſuccubuerit, ad cujus videlicet Inſtantiam cauſa hujusnodi in dictam Curiam Regiam transmiſſa, deductaque nondum fuiſſet; illa Pars cauſam eandem,

a) Confirmatur talismodi Cauſæ inappellabilitas, per art. 30. 1729. Ex quo Articulo multos præterea diſces Caſus, non admittendæ Appellationis in Curiam Regiam.

dem, pro faniori sui revisione, discussioneque in ipsam Curiam Regiam deducendi habet authoritatem. A)

§. 3. In Sede autem Judiciaria Comitum Parochialium, Comitatuum Regni hujus, *Procuratoria revocatio* plerumque occurit, & contingit. B) Ubi *tribus* duntaxat *florenis*, in duabus, Judicibus, hoc est: Comitibus, vel Vice-Comitibus, & Judicibus Nobilium: In tertia vero Partibus; litiganti, illi adversus quem ipsa Revocatio fieri debebit, persolvendis; etiam post latam ibidem Sententiam, responsio cujuslibet Procuratoris coram eisdem Comitibus, aut Vice-Comitibus, & Judicibus Nobilium, vel altero eorum, retractatur, & revocatur.

§. 4. Verum post factam in ipsa Curia Regia ejusdem causæ ratificationem, & approbationem, ac in præsentiam eorundem Comitum, vel Vice-Comitum, ac Judicum Nobilium remissionem; *onus Revocationis*, responsionis Procuratoris (si quando fieri contigerit) propter hujusmodi approbationem per superiorem Judicem factam; *duplicatur*, & per *sex florenorum* solutionem compensatur.

Qua

A) Hactenus præsenti titt. actum est de Causatum Fori Comitatensis, in Curiam, seu Tabulam Regiam, transmissibilitate, aut non transmissibilitate. Quæ autem sint Causæ huic Foro peculiares, & propriæ, discces *ex Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

B) De Procuratoria Revocatione actum est sup. p. 2. titt. 80. & 81.

Quales Causæ de Curia Regia rursus in præsentiam Comitum Parochialium remitti debeant?

TITULUS 7.

UTRUM autem causa in Sedibus Comitatuum suborta, & in Curiam Regiam transmissa (facta ibidem, & habita approbatione, & ratificatione Sententiæ, ac Judiciariæ deliberationis Comitum, vel Vice-Comitum Parochialium, & Judicum Nobilium Comitatuum) de ipsa eadem Curia Regia, per Judices Ordinarios ad Executionem submittatur; vel in præsentiam rursus eorundem Comitum, &c. remittenda censeatur? variorum varia est opinio.

§. 1. Verumtamen sciendum pariter, & tenendum est; quod illæ causæ, quarum in processu, Juridica gravamina, seu onera Judicialia solvi, deponique debent; sicuti sunt, omnes minores actus potentiarii, & Sententiæ inde fendæ: Violationes Sedis Judiciariæ: Emendæ inguæ, & hujusmodi, ex quibus, ut puta, etiam Judices portiones habere solent: Rursus, & terum in præsentiam illorum Judicum, de quorum conpectu fuerunt per Appellationem in Curiam Regiam transmissæ, atque deductæ, emitti debent.

§ 2. Nam alioquin grande præjudicium eisem prioribus Judicibus inferri dignosceretur, bi per hujusmodi Appellationem portio eorum,

& Pars Judiciaria, in alterius potestatem, ac Jurisdictionem converteretur.

§. 3. ALIÆ tamen causæ, quæ onerum, vel Birsagiorum solutionem non important, sed magis Executionem debitam expostulant; prout Dotum, & rerum Paraphernalium, ac Jurium Impignoratitiorum causæ, a) & aliæ similes, de ipsa Curia Regia ad Executionem commode transmitti, effectuique mancipari possunt.

§. 4. Secus est de causis, in Curia Regia, coram Judicibus ejusdem Ordinariis motis: Nam ibi causæ cum omni plenitudine Juridicorum gravaminum, qualitercunque subsecutorum, & subsequendorum, de præsentia unius Judicis in alterius præsentiam transmittuntur.

§. 5. Causæ vero in facto Dotum, ac rerum Paraphernalium, nec non Jurium Impignoratitiorum motæ, vel movendæ, quæ ultra valorem, seu æstimationem *centum florenorum* se extendere dignoscuntur: in Sedibus Judiciariis Co-

a) Pro Exemplis Causarum, quas Tabula Regia non tenetur transmittere ad Sedem Judiciariam Comitatus, ponit isthic Werbőczius Causas, *Dotum* Rerum *Paraphernalium*, Jurium *Pignoratitiorum*, & similes. Quæ tunc demum non remittendæ, at JCtis modernis censentur, quando in Sede Judiciaria Comitatus, in earum processu non intervenit aliquod Birsagium, seu onus Judiciarium: secus enim, ad ejus deumptionem remitti pro Executione omnino debent: Cum & isthic quadret illud Werbőczii effatum: *Num alioquin grande præjudicium, &c. §. prioris.*

Comitatuum, vel Comitum Parochialium tra
ctari, & adjudicari non possunt. a)

DE LIBERIS CIVITATIBUS, ET EARUM CONDITIONIBUS IN GENERALI. b)

TITULUS 8.

QUia de Liberis quoque Civitatibus, paucis tractandum occurrit, idcirco sciendum; quoad *Civitas* dicitur, *quasi Civium unitas*, eo, quod ibi populorum pluralitas sit convocata.

§. 1. Est autem Civitas, *domorum, & virorum pluralitas, mœniis, & præsidiis circumcincta necessariis, ad bene, honosteque vivendum privilegiata.*

§. 2. Sed quoniam hæc Civium pluralitas unam communitatem causat, atque repræsentat; & hujusmodi collectiva communitas, sicut locorum situ, ita etiam Privilegiorum, & Consuetudinum diversitate inter se differt, & variatur; Civitatum itaque Liberarum aliæ subsunt Jurisdictioni Personalis Præsentiæ Regiæ Majestatis, ut Alba-Regalis, Strigonium, & Leuchovia: c) Aliæ vero, ex antiqua Regni

a) Jam extensa est authoritas Judiciaria Comitatuum per a. 28. 1715. & a. 35. 1729.

b) De his agitur per 13. seqq. titt.

c) Quibus addantur: Cibinium, vulgo *Kis-Szeben*, Trenchinium, Varasdinum, Crisium, Capronczа, Sa-

Consuetudine, Jurisdictioni Magistri Tevernicorum Regalium, sicut Buda, Pesth, Cassovia, Posonium, Tyrnavia, Sopronium, Bartfa, Eperies. A)

Quod Cives Liberarum Civitatum, in eorum Homagiis, Nobilibus æquiparantur.

TITULUS 9.

QUarum quidem Civitatum Cives, & inhabitatores, in eorum Homagiis, B) Nobilibus Regni hujus æquiparantur: In aliis tamen libertatibus, Nobilibus inæquales habentur; C) & eorum Privilegiis non utuntur. D)

§. 1. Nam & testimonia ipsorum Civium extra eorum Civitates, & Territoria, penes Nobiles non acceptantur: Neque pro damnorum, aut debitorum recuperatione, extra Civitatem, sin-

Segnia, Cremnicium, Schemnicium, Neosolium, Veterosolium, Baka-Bánya, Belo-Bánya, Uj-Bánya, Libet-Bánya, Nagy-Bánya, seu *Rivuli Dominarum*, Brezo-Banya, Kesmárk, Rusat, Bazinium, & S. Georgius.

A) Præterea; Szegedinum, Szakolcza, Zagrabia, seu *Mons Gratiæ*, Carpona, Modra, Cibinium, Kis-Martonium, Debreczinum, & Szattmár-Németi.

B) Sive *Homagium* sumatur pro mulcta necis, sive pro Fidelitate, qua Principi nostro obstringimur: sensu *p.* 3. *t.* 5.

C) Confer *art.* 81. *An.* 1647. Et 18. *An.* 1649.

D) Nisi sint quoad personam suam Nobiles: Multæ namque, vetustæ Nobilitatis Familiæ, in medio Civium degunt; quæ idcirco Privilegiis suis haud destituuntur.

singillatim, ultra unum florenum, jurare permittuntur. A)

Qualiter Causæ Civium Liberarum Civitatum, in præsentiam Magistri Tavernicorum Regalium transmittantur?

TITULUS 10.

HArum autem Civitatum quædam Magistros Civium; quædam vero Judices, & Juratos Cives, atque Consules B) habent. Quorum Judicio universæ causæ inter incolas, & inhabitatores earundem Civitatum; sed & aliorum externorum hominum lites, contra quospiam forsitan illorum motæ, decernuntur, dirimuntur, & terminantur.

§. 1. Deinde vero ad Partis super eorum Judicio non contentæ provocationem, in Sedem Judiciariam Magistri Tavernicorum Regalium, Appellationis via transmittuntur.

A) Sed hæc antiquo Jure. Hodie enim, inquibuscunque causis, & negotiis, ad perhibendum Veritati testimonium promiscue admittuntur, & penes Mandatum Compulsorium examinantur, atque etiam in merito Causæ, quantumvis pretiosæ. Juramentum eorum acceptatur: Modo nulla alia Legalis Exceptio in contrarium occurrat. Ita *Prax. & Com. Syst. ad. h. t.*

B) Capitaneos item, Tribunos Plebis, Quartalitios Magistros, seu quartæ Regioni, & parti Urbis Præpositos, aliosque subalternos publicos Officiales, De quorum omnium *libera electione*, ac Constitutione; Vid. art. 36. An. 1715

§. 2. Demum autem Parte aliqua non contenta; ad examen Personalis Præsentiæ Regiæ Majestatis deducuntur, ubi solummodo Sententiæ Civitatum, & Magistri Tavernicorum Regalium, revidebuntur: Utrum videlicet juste, vel injuste, debite, vel indebite, Sententiæ fuerint pronunciatæ? Justas approbando, indebite vero latas emendando, vel per totum invalidando: Cunctis Partium exceptionibus; ex novo pro tunc proponendis, per omnia *postergatis*.

§. 3. Nisi forte talia dicerentur, & proponerentur; quæ merito, & de necessitate, ad causarum, vel Sententiarum informationem, ac clariorem declarationem, & intelligentiam cederent: Nam in tali casu, quælibet Partium audienda erit. A)

Quomodo novum Judicium, B) *in Causis Civium Liberarum Civitatum, impetrandum sit?*

TITULUS II.

ITEM, si contingat causam ab examine, & Judicio Personalis Præsentiæ Regiæ Majestatis (ra-

A) De Processibus Causarum Civitatensium, earumque Appellatione, & Revisione; consuli debet *Jus Tavernicale*, cujus Synopsim per aliquot §§. exhibet *Tyroc. Jur. Ung. adh. t.*

B) De Novo, Judicio, Vid. *p. 2. t.* 77. Cujus dispositio, proportionaliter etiam a Judicibus Civilibus, & Causantibus. atque Novizantibus coram Civico Magistratu, observari solet, ac debet: Nisi quod hi Man-

(ratione forte incidentium, vel dependentium particularum, pro ejus maturiori revisione) ad priorem Judicem remitti; tunc si qua Partium super nova hujusmodi revisione, vel discussione non contentabitur, ulterius ipsa causa in præsentiam Magistri Tavernicorum Regalium non erit transmittenda: Sed directe in conspectum solius Personalis Præsentiæ Regiæ Majestatis, qui videlicet illam remiserat, erit deducenda.

§. 1. VERUM, si post obtentam etiam secundam, vel tertiam sententiam, altera Partium noluerit contentari; poterit causam suam, vel pendente adhuc lite post secundam Sententiam, coram Personali Præsentia Majestatis Regiæ latam, aut etiam post tertiam, coram ea pronunciatam; per formam, & gratiam, novumque Judicium, resuscitare; sed coram eo Judice, quo causa hujusmodi primitus mota fuisse dignoscitur.

§. 2. Et, si contra Partem prius convictam, & appellantem, novum Judicium impetrantem, sententiatum fuerit; mox, & de facto, hujusmodi Parti sententiatæ, vigore dicti novi Judicii, silentium perpetuum imponendum erit: Nec amplius causa illa in superiorem Sedem transmitti debebit.

§. 3.

Mandatum Novi Judicii (prout etiam quodcunque aliud Processuale) non ab aliis Judicibus Regni Ordinariis; sed vel a Regia Majestate, vel a Magistro, aut Vice-Magistro Tavernicorum, debeant impetrare.

§. 3. Si tamen altera Pars, prius videlicet vincens, & triumphans, succubuerit; tunc illa quoque adinstar alterius Partis, novum Judicium pro se impetrandi, & in eadem pari modo procedendi potestatem habebit.

§. 4. Attamen, si contra ipsam Partem Sententia lata fuerit, sive per modum approbationis, & ratificationis, sive emendationis, vel invalidationis; ulterior processus non dabitur: Sed perpetuo silentio causa ipsa, ex Parte quoque illius Partis, terminabitur, & de cætero neutra Partium aut novum Judicium impetrare, aut ulterius causam ipsam appellare poterit.

§ 5. Quoniam unaquæque Partium semel novum Judicium impetravit, & in eadem causa secundario impetrare nequibit.

§. 6. Appellationes vero, in quibuslibet causis, post earum decisionem, juxta contenta Privilegiorum suorum, ad Sedem Magistri Tavernicorum Regalium, & in conspectum Personalis Præsentiæ Majestatis Regiæ fieri semper possunt: Nam aliter, denegata Appellanti facultate, pauperes adversus potentes, favore, vel dono destructi, justis in eorum Juribus sæpenumero periclitarentur.

§ 7. Secus est de causis criminalibus, quæ ad pœnam capitum, & mortis damnationem tendunt. Nam in illis locum Appellatio non habet: Nisi forte innocentem omnino temerario Judicio morti tradere conarentur. In quo casu, possunt illico innocentis ipsius fratres,

aut

aut affines, ad Regiam Majestatem solam confugere, pariter & in Curiam Regiam causam ipsam provocare.

§. 8. Item, si in processu causarum ejusmodi Civilium, ante, aut post remissionem earundem, verba, ac *responsiones Procuratoris* necessarium fuerit *revocare;* A) tunc Mos, & Consuetudo Sedis Judiciariæ illius Judicis, coram quo responsio facta fuit, & etiam revocari debet, observanda censetur.

De Testimonio extraneo, inter Cives non acceptando.

TITULUS 12.

ITem, in causis pro rebus hæreditariis, & immobilibus, coram Judicibus, & Juratis Civibus prætactarum Civitatum motis, & vertentibus, nullus in Testimonium coram ipsis acceptatur extraneus. B)

§. 1. Verum pro debitis, & aliis quibuscunque factis, ac negotiis, C) extra territorium eorum gestis, & habitis, quilibet hominum (dum-

A) De Revocatione Procuratoria Vid. *p. 2. t. 81.*

B) Nisi fors aliquando in ea Civitate habitasset, vel alibi unde de merito Rei notitiam sufficientem haberet: Tunc enim non esset ratio ipsum a testificando repellendi: ut innuit *Com. Syst. ad h. t.* Addens; eos universim acceptare debere, qui penes Compulsoria Mandata examinantur, & ad fatendum citantur: Præsertim si Veritas aliter elici non posset.

C) Etiam Criminalibus. *Prax.*

(dummodo bonæ famæ, & honestæ conditionis existat) A) ad testificandum coram eis admitti solet.

De Fassionibus, coram Judice, & Juratis Civibus fiendis.

TITULUS 13.

ITEM, Fassio coram Judice; B) aut duobus Juratis Civibus, ratione, & prætextu quarumcunque rerum, sive mobilium, sive immobilium, in eorum medio, vel territorio existentium, & adjacentium facta; semper rata permanet:

§. 1. Nec valet alia Fassio inter ipsos Cives, super hujusmodi rebus, coram aliis Judicibus Regni, vel in Locis Testimonialibus, Jure perennali c) facta.

Quo-

A) De Testibus, & eorum Qualitatibus. Vid. *p.* 2. *t.* 27.

B) Fassio coram *solo Judice*, vel *solo Consule* peracta non tenet: Sed peragenda est vel coram duobus Juratis Civibus sine Judice, vel coram iisdem, & Judice; ut scilicet Fassioni semper plures interfint: Ita enim hunc Juris textum *Praxis* interpretata est. Cæterum in celebrandis rite Fassionibus, attendenda, & observanda veniunt *Statuta* cujusvis Civitatis, Oppidi, aut Dominii, ac legitime introductæ *Consuetudines*, quæ in fatendis Domibus, Vineis. Agris, aliisque fundis extra Muros sitis, vehementer quandoque discrepant. Quoad Nobiles vero, fundos Civiles possidentes, observetur *art.* 46. *An.* 1655.

C) Aut etiam Pignoratio. *Prax.*

Quomodo Dominium hæreditatum inter Cives ingrediendum?

TITULUS 14.

ITem, si coram prædictis, Judice, ac Juratis Civibus, Fassio ratione rerum immobilium, seu hæreditatum, puta domorum, Allodiorum, Hortorum, Piscinarum, aut vinearum facta fuerit; tunc requiritur, ut per emptorem ejusmodi rerum (ubi Dominium illorum intrare, & pro se vendicare voluerit) fiat apprehensio, sive Ingressio earundem, coram duobus Juratis Civibus, A) ad id deputatis. B)

§. 1. Et, si contradictor quispiam apparuerit, c) ac *velamine contradictionis* obviaverit, infra quindecim dies, rationem contradictionis suæ in præsentia ipsorum Judicis, & Juratorum Civium, ipse Contradictor assignare tenetur. D)

§. 2.

A) Qui de Consuetudine plurimarum Civitatum debent esse ex Ordine Senatorio.

B) Scilicet ab Judice: sine cujus exmissione, & deputatione, si apprehensio talium Bonorum fieret; haud subsisteret: ut tenet *Praxis*. Debent autem Introductores isti, ac velut *Statutores Civiles*, peracta Executione, coram Senatu in Domo Prætoria congregato, relationem facere, eandemque Notarius, erga solitam Taxam, una cum Nominibus referentium, *Libro fundorum* inscribere.

c) In facie loci, puta, Domus, Molæ, Agri, Prati, aut cujuscunque Fundi, ad quem Introductores de more processerunt.

D) Ad id, per Introductores, statim post interpositam contradictionem, evocatus.

§. 2. Si vero Contradictor non apparuerit, A) tunc ille, cui venditio, & Fassio facta fuit, Dominium ipsarum rerum, & hæreditatum ingredi secure poterit.

§. 3. Et, si quispiam hominum aliquid Juris ad illas habere se postea speraverit; tandem infra *anni revolutionem integram, & diem unam*, B) si voluerit, *palam* vel *occulte* contradicere valebit: Nam aliter Juris sui virtus extincta manebit.

§. 4. *Palam* igitur contradixisse videbitur, si possessorem rerum, & hæreditatum ipsarum in causam propterea convenerit, & infra dictam Revolutionem annualem, processus, & exordium causæ, sui Judicis in conspectu inchoabitur.

§. 5. *Occulte* autem sic contradicet; quod coram Judice, vel Juratis Civibus prohibitiones legitimas, & consuetas, infra diem, & annum super hæreditatibus ipsis faciat, & *ad Civitatis librum*

A) Potest autem contradicere, non solum Vicinus, aut alius Concivis, Jus aliquod in eo Fundo prætendens: sed & non Civis, modo rationem legalem interpositæ Contradictionis valeat dein allegare. Et quia talis Introductio; *naturam* quadamtenus imitatur *Statutionis* Bonorum Nobilitarium; hinc non solum Admonitio *sensu Tituli* 60. *p.* 1. erga Consanguineos, & Jura Vicinitatis habentes præmitti debet; sed & tempore Executionis Vicini convocandi sunt, atque in eorum præsentia Introductio peragenda: ut habet *Praxis*, & notavit, quoad priorem Partem, etiam *Com. Syst. ad h. t.*

B) Computando, a die Introductionis, inclusive.

brum A) annotari committat, ne præscriptio per negligentiam inhibitionis interveniat.

De legitima Præscriptione, B) *inter Cives observari solita.*

TITULUS 15.

CIvitatenses enim, licet super rebus alienatis, *duodecim annorum curriculis* præscribi, & præscribere debeant; modo tamen quodam abusivo, C) & villanorum more, solummodo *per integri spatium anni*, *& diem unam*, moderatis temporibus præscribere consueverunt. D)

§. 1. UBI autem Actor, sive Contradictor ille suum Adversarium, hæreditatum scilicet, vel rerum ipsarum possessorem, facta præmissa prohibitione, per anni spatium in litem trahere neglexerit; tunc a die ipsius prohibitionis inclusive computando, rursum quolibet anno, infra alterius anni curriculum, & diem prædictam, inhibitiones (modo antelato) faciat

A) Sive Protocollum.

B) De Præscriptione in genere actum est supra *p. tit.* 77. & 79.

C) Abusus tamen iste, vigore hujus ipsius Tituli, & continui, diuturnique usus; jam Legis naturam induit.

D) Nec solum Cives intra se, sed etiam Nobilis, & Extraneus quiscunque, contra Civem: Nihil in contrarium faciente *Rubrica hujus Tituli*, quam Consuetudo dudum extendit. Nec sine ratione; cum *Præscriptio naturam Fundi sequatur*. Hinc æqualiter, in Bonis Regalibus, 100. in Ecclesiasticis, 40. in Nobilitaribus, 32. in Civilibus, anno uno, & die, præscribimus.

Ut, dum opus erit, & poterit; litem super ea re suscitare valeat.

§. 2. Si vero Judex, odio forsitan, vel rancore præconcepto, aut alia quavis ex causa, factam coram eo, vel Juratis Civibus, hujusmodi prohibitionem in *Protocollum*, seu *librum Civitatis* annotare, aut literas prohibitorias dare recusaret; tunc poterit contra eum, coram Judicibus Regni Ordinariis, vel in Locis Testimonialibus, libere protestari: a) Dummodo ipsa protestatio (ubi necesse fuerit) valeat evidenter comprobari.

Quomodo hæreditas cum pertinentiis inter Cives apprehendi debeat?

TITULUS 16.

ITEM, si quispiam rem immobilem, & hæreditatem, cum suis pertinentiis, in medio Civium ipsarum Civitatum emerit; tunc sufficiet rem illam corporalem solam apprehendere, & pro se statuere: Nam *ea apprehensa, etiam illius pertinentiæ apprehensæ intelliguntur.*

§. 1. Appellatione vero *pertinentiarum* comprehenduntur omnia, quæ ad rem, & hæredi-

a) Inhibitionemque suam illic peragere: Literasque Testimoniales, super Protestatione, & Inhibitione sua authentice abinde extrahere: quæ, in Foro etiam Civili, ubi dein penes illas procedere voluerit; omnino locum, & vigorem obtinere debent. Hoc enim significat, obscurus iste, & ambiguus hujus Tituli ultimus Versiculus: *Dummodo ipsa Protestatio (ubi necesse fuerit) valeat evidenter comprobari.*

litatem hujusmodi corporalem, de Jure, vel Consuetudine Civitatis, spectare dignoscuntur.

§. 2. Nisi forte per venditionem, & emptionem ipsam, aliquid de pertinentiis, *specifice* fuerit exemptum, pariter & retentum.

De debitis Civium, ubi omnis probatio defecerit.

TITULUS 17.

ITEM, si quispiam Civium, occasione debitorum, per aliquem tractus in litem fuerit, & nulla probatio contra eum per Actorem produci poterit; tunc Civis ille, Juramento solius personæ suæ se expurgabit: a) Vetusta Consuetudine Civitatum Liberarum requirente.

De Civibus in terris aliorum hæreditates habentibus.

TITULUS 18.

ITEM, Cives tam prædictarum, quam etiam aliarum quarumlibet Civitatum, in terris, & territoriis aliorum, hæreditates habentes; ratione proventuum, Dominis terrestribus, de hujuscemodi hæreditatibus provenientium (invi-

Kk 2 tis,

a) Dispositionem hujus Tituli vult *Com. Syst.* intelligi, etiam de debitis, quæ penes Extractus Mercantiles prætenduntur: Quæ jam passim *Debita Auszugalia* vocamus. De quibus consule *artt.* 53. An. 1723. Et 44. 1729.

tis, & non consentientibus eisdem) liberari, & a solutione proventuum eximi non possunt. A)

§. 1. Quin potius, occasione ipsarum hæreditatum, ibidem coram Domino terrestri, cuilibet querulanti, atque causanti, Juri parere tenentur.

§. 2. Et, si quid in facie hæreditatum, vel territorio, ubi hæreditates adjacent, excesserint; etiam ratione talis excessus, ibidem pariter Juri stare compelluntur. B)

Quomodo Civitates, ratione Jurium possessionariorum, Juri stare teneantur?

TITULUS 19.

ITEM, quod omnes *Liberæ*, & *aliæ quælibet Civitates*, Jura possessionaria, quocunque titulo gubernantes, ratione hujusmodi Jurium possessionariorum, Judicio, & Judicatui Judicum Ordinariorum Regni, Nobilium adinstar semper obtemperare tenentur.

§. 1. Et, si de hujusmodi Juribus eorum possessionariis, damna, nocumenta, & aliorum malorum genera violenter Nobilibus, vel eorum subditis inferuntur; tunc ratione talium malorum,

A) Ne tamen in exactione ejusmodi proventuum, ab Officialibus Dominiorum, vel Decimatoribus, aut Decimarum Arendatoribus, inique vexentur; præcipitur *art.* 89. *An.* 1655. & 44. *An.* 1681.

B) Utpote cum illic, etiam Jure communi, *Forum delicti* sortiantur.

rum, & actuum potentiariorum, Judex, & Juati Cives, una cum Communitate, poterunt emper Partem per læsam, & damnificatam, n Curiam Regiam evocari: Vel, si Pars ipsa ta voluerit, in Sedem Judiciariam illius Comitatus, ubi Bona illa situata sunt, & adjacent, citari, & in litem conveniri.

§. 2. Qualiter autem in hujusmodi cautis procedendum, qualisve Sententia proferenda sit; in Generali Decreto nostro A) clare continetur, cujus rei notitia, ut hoc quoque in loco pateat, articulum super eadem reditum verbotenus adjeci, qui sic incipit:

§. 3. „ Item, quod Liberæ Civitates, „ videlicet: Buda, Pest, Cassovia, Posonium, Sopron, Barthfa, Eperies, Tyrnavia, nec non „ Leuchovia, Mons Græciæ, & omnes aliæ Liberæ Civitates; earundemque Incolæ, Nobi„ libus, & possessionatis hominibus injurias ali„ quas, seu damna inferentes; si talis Civitas, „ seu Incola, & Civis, injuriam, & damna in„ ferens, habuerit possessiones, & Jura possessionaria in aliquo Comitatu, & ex illis Bonis „ Nobilem læserit, seu damnificaverit, si videlicet tales læsiones, seu damnificationes factum „ minoris potentiæ tangere dignoscuntur; te„ neatur propterea in illo Comitatu, ubi illa „ Bona habet, coram Comite Juri stare.

§. 4. „ Si vero talis Civitas, seu Civis, „ nulla Jura possessionaria in aliquo Comitatu

A) Nempe *Ulad. Decr.* 3. *art.* 31.

„ habuerit, & Nobilis, vel aliquis homo poſ-
„ ſeſſionatus contra privatam perſonam, vel cer-
„ tos tantummodo, & non cum tota Commu-
„ nitate, ſeu Civitate, cauſam, ſeu lites habue-
„ rit; extunc talis Nobilis, & poſſeſſionatus ho-
„ mo teneatur cauſam ſuam coram Judice il-
„ lius Civitatis agitare, & proſequi. a)

§. 5. „ Si autem talis Nobilis, & poſſeſ-
„ ſionatus homo, contra totam Civitatem, vel
„ econtra civitas ipſa contra Nobiles, & alios
„ poſſeſſionatos homines, cauſam aliquam, ra-
„ tione actuum potentiariorum majorum, vel
„ Juris poſſeſſionarii movere prætenderet; ex-
„ tunc talis cauſa coram Perſonali Præſentia
„ Regiæ Majeſtatis, habita ſuperinde legitima
„ Evocatione, moveatur, & ordine Juris ter-
„ minetur.

§. 6. „ Et, ſi aliqua Partium in hujusmodi
„ cauſa contra ſeſe in proceſſu Juris coram ipſa
„ Perſonali Præſentia Regali quovis modo ſuc-
„ cubuerit, ſi talis cauſa factum Juris poſſeſſio
„ uarii tangere dignoſcitur; extunc talis Pars,
„ non majori onere, quam ſolummodo in du-
„ centis florenis auri convincatur.

§. 7. „ Si autem hujusmodi cauſa factum
„ invaſionis domorum Nobilium, nec non de-
„ tentionis, verberationis, vulnerationis, ac
„ nteremptionis Nobilium concernere agnita
„ fuerit; extunc patratores hujusmodi actuum
„ potentiariorum, in Sententia Capitali, ac amiſ-
„ ſio-

a) Confer art. 81. An. 1647.

„ ne cunctorum Bonorum A) suorum mobi-
„ lium, & immobilium condemnentur, prout
„ hactenus fuit observatum.

§. 8. „ Causa autem, quo aliquis Civis
„ sub aliquo Domino, seu Nobili in hoc Regno,
„ vineas, vel aliquas alias hæreditates habuerit,
„ & quidpiam in territorio hujusmodi deliqué-
„ rit, aut aliquem damnificaverit; in tali casu
„ idem Civis tenetur coram Domino illo terre-
„ stri, sub quo hæreditates habet, Juri stare.

Qualiter Cives publicos malefactores punire possint?

TITULUS 20.

ITEM, fures, latrones, homicidas; incendia-
rios, & alios ejuscemodi publicos malefacto-
res, B) juxta eorum demerita, servatis de Jure
in hac parte servandis, castigare, punireque
possunt: Mutilare vero neminem: Nobiles au-
tem, extra delicti locum, nec captivare, nec
ratione suspicionis ad torturam ponere permit-
tuntur.

A) Non copulative, sed disjunctive, *Caput, vel Bona* amitti, hodie intelligimus. Consonat *Com. Syst. ad h. t.* Cujus insignes aliquot observationes, Vide *in, Tyroc. Jur. Ung. ad eund. t.* Ubi etiam invenies, qualiter penes Articulos, super Violentiis editos, etiam coram Judice ac Senatu brevi processu uten dum sit.

B) Quos intra Territorium suum, vel Pagorum, & possessionum suarum, comprehenderint.

§. 1. Si igitur Civitas aliqua, tanquam Communitas, Nobilem quempiam absque justa causa morti tradiderit; tunc non omnes Cives singillatim, sed Judex duntaxat, & Jurati Cives Capitali propterea Sentia feriendi, qui, & cuncta Bona, ac hæreditates eorum ad proprias portiones ipsorum cedentes, & provenientia, amittuut: Quarum duæ Partes Regiæ Majestati, veluti Domino eorum terrestri, & tertia Pars Adversario dari, & assignari debet.

§. 2. Reliquas vero omnes Immunitates, Leges, Libertates, & Consuetudines, a) Civitates ipsæ, in Privilegiis eorum habent conscriptas. Extra quarum continentias, & extra territoria ipsarum, in omnibus rebus, & factis, Regni hujus Hungariæ Legibus & Consuetudinibus subjiciuntur.

De Homicidio, b) *per quempiam in defensione sui patrato.*

TITULUS 21.

QUoniam de *Homicidio* in hac Parte sermo incidit, plura autem videmus Homicidia, sine debitæ ultionis pœna, præteriri, quia multi allegant, illa in eorum defensione patrasse; *de modo* igitur *defensionis*, & *offensionis personarum* breviter aliquid annotandum congruit.

§. 1.

a) De quibus Vide plura, scitu digna, & necessaria; *in Tyrnc. Jur. Ung. ad h. t.*

b) De Homicidio agitur *part. 4. seqq. tit.*

§. 1. UBI sciendum; quod hæc allegatio: *Quia in sui defensione quis Homicidium commisit, atque perpetravit*, non simpliciter est admittenda; sed debet probari, quod fuerit per alium armata manu hostiliter aggressus, & per hoc in vitæ suæ periculo constitutus. Nam, qui gladio evaginato alterum aggrehitur, statim præsumitur; aut necem illi inferre, aut lethalia vulnera infligere machinatur.

§. 2. CERTUM est autem, quod non solum pro interemptione, sed etiam pro sola verberatione, vel vulneratione Nobilium, Capitalis Sententia fertur, atque decernitur. Sive igitur aggressor ille occidat, sive vulneret; neutrum tamen illorum pati, & tolerare, aggressus ipse tenetur. a)

§. 3. Et hinc est, quod si quis rationabili, & justa sui in defensione, suum Adversarium, qui hostili more, nudo cum ense ipsum aggressus erat, occiderit; & Homagium, & sanguinis effusio talis occisi, & interempti, rite peribit, & nunquam recuperari valebit.

§. 4. SECUS tamen est in foro conscientiæ. Quia si aggressus, cum honore, & salvatione personæ suæ, aggressorem evadere poterit; tunc evadere, & *minus malum, ne majus sequatur, evitare tenetur.*

a) Omnia enim Jura, Naturale, Divinum, ac Humanum concedunt *vim vi repellere*, & se defendere, defensione etiam occisiva, ubi alia non suppetit. Vid. *Tyroc. Jur. Ung. ad b. t* §. 5.

§. 5. CIRCA præmissa autem advertendum est; quia ille, qui occidit alium, aut non dum fuit percussus ab aggressore, aut jam defacto fuit percussus ab aggressore, aut jam defacto fuit verberatus; Si primum: Quod scilicet nondum erat percussus, fuit tamen in actu, & puncto percutiendi; tunc quidquid agressus fecerit, indubie sui pro defensione facere, vel feciſſe videtur.

§. 6. Si fuit autem jam percussus, & cessavit actus percussionis per aliquam moram; tunc non est sibi licitum repercutere post moram: Quia hoc modo, non defensio, sed vindicta potius, illa repercussio censetur, atque judicatur. Nisi forte percussus faceret, ut evaderet alias percussiones, quas aggressor de novo facere, & continuare prætendebat. Et sic, differentia est inter defensam, & vindictam: Quia *defensa sit in continenti, vindicta autem post moram infertur.*

§. 7. SI AUTEM non apparet ex testimonio, vel aliunde, quæ percussio præcesserit aliam; tunc culpa in illum redundabit, qui alterum ad contentionem, & percussionem provocavit.

Defensa, quot modis, & qualiter intelligatur?

TITULUS 22.

SCiendum ulterius, quod defensa dupliciter potest intelligi. PRIMO, pro corporis, & per-

ersonæ tutela. SECUNDO vero pro rerum immobilium, seu hæreditatum conservatione.

§. 1. Quantum igitur, ad corporis, & personæ tutelam; debet fieri, & admitti defensa in continenti, & ante consummatam injuriam, vel in eadem pugna, & contentione, flagrante adhuc primo crimine, antequam scilicet aggressor, vel primus percussor de loco recedat: Nam si postea fieret; non defensa, prout prænarratum est, A) sed vindicta diceretur.

§. 2 QUANTUM vero pro rerum immobilium, & Jurium possessionariorum conservatione; spoliatus Nobilis, vel alter quilibet possessionatus homo, pro Jurium suorum defensione, & occupatoris, ac spoliatoris de illis ejectione (sicuti & in prima Parte tactum est) B) anni unius integri revolutionem, de vetusta Consuetudine Regni hujus, præfixam, & deputatam habet: In qua ab occupatore, & violento spoliatore, utcunque poterit, se defendere, & ipsum occupatorem, etiam cum notabili incommodo ejusdem, de Juribus, & hæreditatibus suis ejiciendi plenariam habet potestatem. C)

§. 3. Et in hac parte, Spoliatoris, ac occupatoris defensio qualiscunque fiat, ipsum non excusabit.

§. 4.

A) Titulo immediate præcedenti.

B) P. 1. t. 68.

C) Talis enim, continuando violentam possessionem; in continenti videtur ejici: prout notavit *Com. Syst. ad t. primum.* Confer. *c. 6. de sent. excomm. in 6.* Et *L. 9. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.*

§. 4. ET inde est; quod, si pro rerum, & Bonorum conservatione cuilibet se defendere convenit; multo magis, & fortius pro corporis, & personæ tutela (ubi periculum imminet) se tueri licet.

§. 5. ATTAMEN secundum DEUM, & conscientiæ forum, omnis defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ fieri debet. Quæ quidem inculpata tutela, dicitur fieri; quando quis aliter se, sine periculo rerum, & personæ suæ, defendere nequit, nisi ille, qui eum aggreditur, aut succidatur, aut vulneribus afficiatur.

Utrum propter comminationem factam, liceat aliquem offendere?

TITULUS 23.

SEd quæritur; si quispiam comminatus est alteri mortem inferre, utrum alter ille possit eum offendere?

§. 1. DICENDUM: quod licet de Regni nostri Lege, & approbata Consuetudine, propter minas, & comminationes non sit licitum cuipiam, alterum offendere A) (*præter combustionis, & incinerationis articulum*, atque casum; in quo quilibet civitatem, aut villam, vel alterius domum succendere, ignisque voragine conflagrare minatus, morte damnari solet) de Lege tamen communi, si homo ille, qui mi-

A) Id est: *aggredi*, prout explicat *Com. Syst.* scilicet authoritate propria eum occidendo, vulnerando, aut alias in Persona, vel rebus suis, graviter lædendo.

minatus alteri mortem, solitus est minas suas Executioni demandare, præsertim si fuerit potens, & alias consuetus percutere (quia verisimiliter hoc idem præsumitur etiam de isto) mortis evitandæ gratia admittitur defensa, pariter & offensa.

§. 2. Verum si non fuit solitus alias percutere, nec minas suas Executioni demandare; tunc verbis quidem resistere, & ei contradicere permittitur; sed non ferro, vel gladio: Nisi forte ille expectaret socios, & mora periculum esset allatura.

§. 3. Melius tamen, & salubrius est in hoc casu, illum evitare, & ab eo in alium locum declinare.

An alius alium adjuvare possit?

TITULUS 24.

ADhuc quæritur; an alius alium possit adjuvare.

§. 1. DICENDUM, quod sic. Nam si pro tutela rerum, & hæreditatum mearum possum amicos, & fratres convocare; a) longe fortius pro corporis, & personæ meæ defensione.

§. 2. Unde quilibet, etiam extraneus, dum in adjutorium acclamatur, poterit illum, quem in periculo vitæ constitutum viderit, semper adjuvare.

§. 3.

a) Sic licitum est *Bellum*, etiam offensivum, ad res fortunæ conservandas, & recuperandas, in quo multos occidi necesse est.

§. 3. ATTAMEN latronem, & alium publicum malefactorem, non tenetur, neque debet, alterius de manibus ad hujusmodi malefactoris clamorem eliberare.

DE VILLANORUM, QUOS JOBAGIONES NUNCUPAMUS, CONDITIONIBUS, ET LEGIBUS. A)

TITULUS 25.

CÆterum, habita Jurium, Civitatum Liberarum, ac defensionis, & offensionis declaratione; Jam de Villanis, quos Jobagiones nuncupamus, tractandum est.

§. 1. Quorum multiplex est est conditio. Nam alii sunt *Hungari*, alii *Saxones*, & *Germani*, *alii vero Bohemi*, & *Slavi*, Christianæ Fidei Professores. Præterea quidam sunt *Valachi*, & *Rutheni*: quidam autem *Rasciani*, sive *Serviani*, & *Bulgari*, Græcorum sequentes errores. Sunt insuper *Philistæi*, B) & *Comani*, in terris Regalibus residentes, & habitantes, Christianam pariter Religionem profitentes. c) Ru-

A) Per 6. seqq. titt.

B) Sive Jazyges.

c) Nunquam Gens Hungara terras implevit, quas armis occuparat. Hinc ut *Magister Joannes Turoczi*, in Chronico Ungarorum *part.* 2. *cap.* 22. ait: Præterea intraverunt Hungariam, tam tempore Gejsæ, & S. Regis Stephani; quam diebus Regum aliorum, *Bohemi*, *Poloni*, *Græci*, *Hispani*, *Hismahelitæ*, seu *Saraceni*, *Bessi*, *Armeni*, *Saxones*, *Thuringi*, *Mi-*

snen-

Ruthenorum vero, & Bulgarorum alii noſtræ Fidei, alii autem Græcorum errori ſunt adhærentes.

§. 2. Et quamvis omnes iſtæ Nationes (demptis Philiſtæis, Comanis, Ruthenis, & Bulgaris Regalibus) hac libertatis prærogativa hactenus gaviſi fuerint; ut dum, & quandocunque voluiſſent, de loco reſidentiæ ipſorum ad alia loca, quæ maluiſſent, juſto *terragio* depoſito, debitisque eorum perſolutis, liberam ſeſe moraturos conferendi habuiſſent facultatem; hujusmo-

ſnenſes, & *Rhenenſes*, *Cumani*, & *Latini*. Præmittit autem *per 11. cap.* inſignes variarum Gentium Familiæ, quæ in Ungaria Sedem fixere, mutatis plerumque, aut detortis eorum nominibus, quales ſunt: de *Hedrik*, de *Jakó*, de *Páznán*, de *Honth*, de *Póth*, de *Guthkeled*, de *Wya*; de *Sámbuk*, de *Habólt*, de *Babócha*, de *Sámberg*, &c. Quibus adde *Frangipanes*, qui nomen originarium ſervarunt: Et *Petri Leones*, ſeu *Pierleones*, *qui Oroſzlány* ſunt dicti. Sic *Cajetani*, dein *Kazonai* ſunt vocati. Ex Scilia item venientes *Anſaloni*, & *Saccani*, in *Abſolonffi*, & *Csákányi*, abierunt. Certe dici vix poteſt, Hungaria jam Chriſto ſacra, quot Illuſtres undique Proceres, ex omni Orbis parte, Pannonum Generi ſeſe inſeruerint, ſive Regni felicitatem, ſive ſuam fortunam ſecuti, aut etiam adverſam declinantes, ut hic tutum refugium haberent: Adeo, ut Nobilitas, & Gens Pannonica, ex Orbis Chriſtiani flore, compoſita videri poſſit. Ita *Melchior Inchoffer*: S. J. Auſtr. Vienn. in prævio Chronico Annalium Eccleſiaſticorum Regni Ung. (quos tamen ultra An. Ch. 1059. non produxit) *pag.* 155. Quot vero Nobiliſſimæ, & Vetuſtiſſimæ Familiæ, ſub Auſtriacis dein Principibus, Ungariæ ſint inſertæ; ex Articulis Diætalibus abunde patebit.

modi tamen ipsorum libertatem superiore hac æstate, propter seditionem, & tumultuariam eorum adversus universam Nobilitatem, *sub nomine Cruciatæ*, A) ductu cujusdam sceleratissimi latronis, *Georgii Székely* appellati insurrectionem, B) ex eoque Notam perpetuæ infidelitatis eorum incursionem, penitus amiserunt, Dominisque ipsorum terrestribus, *mera, & perpetua jam rusticitate* subjecti sunt. c)

§. 3. Qui secundum Legem, & Consuetudinem hujus Regni dudum approbatam, ratione quorumcunque negotiorum (exceptis rebus Forum Ecclesiasticum manifeste concernentibus) nec in præsentiam Judicum Ordinariorum Regni, nec Vicariorum Ecclesiarum, vel aliorum Judicum Spiritualium, sed neque Comitum Parochialium aliquorum Comitatuum, simpliciter, & directe citari possunt; sed eorum ex Parte, cuilibet querulanti, atque causanti, Domini ipsorum terrestres, atque temporales, sive sint Seculares, sive Spirituales, Judicium, & justitiam primum impendere tenentur.

§. 4. Et tandem super hujusmodi Judicio, si Partium ipsarum altera contentari noluerit; cau-

A) Unde nomen *Kurucz* (emollita scilicet asperitate vocis *Crux*) enatum.

B) Ejus Historiam Vid. apud Istvánffi, *toto lib.* 5. descriptam: Pœnas vero Rusticis dictatas; *Ulad. Decreto* 7. fere per totum.

C) De migratione Colonorum, multi admodum Articuli, invicem contrariantes, sunt diversis temporibus constituti. Ex quibus, qui aboliti, qui usu sint retenti, disces ex *Tyroc. Jur. Ung. ad h. t.*

causam ipsam in præsentiam Judicis sui superioris, ad quem scilicet cognitio ejusdem causæ spectabit, evidentioris, & maturioris discussionis, & revisionis gratia, deducere poterit.

§. 5. Ita videlicet, quod, si causa ex ejus serie Forum Ecclesiasticum concernere videbitur, in Ordinarii sui Diœcesani, ejusque Vicarii: si autem ad seculare Judicium attinere dignoscetur; in Comitis Parochialis, ac Judicum Nobilium præsentiam transmittenda erit.

§. 6. Et hujusmodi Judicii, ac Justitiæ impensio, sive causa, seu in Curia per Evocationem, sive coram Comitibus Parochialibus, vel Ecclesiarum Vicariis per citationem mota, & suscitata existat; dum in præsentiam Domini sui terrestris remittitur, semper coram uno, vel duobus Judicibus Nobilium fieri, celebrarique, & administrari debet.

De modo, & ordine impensionis Judicii, ex parte Jobagionum fiendæ.

TITULUS 26.

IN primis igitur de modo, & ordine impensionis ejuscemodi Judiciorum dicendum est.

§. 1. UBI quæritur; utrum Dominus terestris, sive temporalis. per querulantem sim-

a) De impensione Juris, & Justitiæ, super subditis suis a DD. Terrestribus fieri solita; Vid. *tit. seq.* & illic *Tyroc. Jur. Ung.* in quo, & Praxim modernam celebrandæ *Sedis Dominalis*, invenies.

pliciter requisitus, teneatur ex parte Jobagionum suorum de facto Judicium, & Justitiam impendere? Et si impendere recusaverit; an propterea onus aliquod Juridicorum gravaminum incurrat? Et, an possit postea (citatione contra ipsum super ea re facta, ut Jobagiones suos coram Comite, & Judicibus Nobilium statuat) ex parte eorundem Jobagionum suorum Judicii impensionem promittere; vel solus Comes Parochialis cum Judicibus Nobilium ex parte illorum, Judicium jam impendere teneatur?

§. 2. Dicendum; quod licet Divino, & humano quoque Jure, ac communi de Lege, quilibet Dominus terrestris, ex parte quorumlibet Jobagionum, & Rusticorum, ac etiam Familiarium suorum *Ignobilium*, A) cuilibet querulanti, & læso, aut damnificato homini, ad simplicem duntaxat requisitionem, & querimoniam mox Judicium, & Justitiam facere, ac administrare teneatur; antequam tamen Juridice, hoc est: per Evocationem, vel Citationem ad hujusmodi Judicii, & Justitiæ impensionem requisitus, & admonitus non fuerit (si etiam facere, & impendere neglexerit) nulli propterea pœnæ subjacebit: Eo, quod pœna ob contemptum, &

trans-

A) Non tamen *Nobilium*. Nam contra hos, non *processu impensorio*, sed perinde, ac contra alios Nobiles, *processu querulofo*, utendum est. Imo, si quitales, Juri statui peteret; pœnam homagialem 200 florenorum incurreret. *p.* 2. *t.* 23. Qualiter autem Magistratus Civiles super privata persona Civili Judicium impendat; Vid. *Art.* 33. *An.* 1662.

transgressionem Judiciariæ Commissionis, in causarum processibus subsequi, & imponi consuevit.

§. 3. Non igitur Comes Parochialis cum Judicibus Nobilium, sed per se ipsum, etiam expost, Judicium illud administrare tenetur.

§. 4. UNDE sciendum est; quod si quisquam Nobilis, aut possessionatus homo (sive spiritualis, sive secularis persona existat) in Curiam Regiam evocatus, vel in Sedem Judiciariam Comitis Parochialis citatus ita fuerit, ut & per se ipsum comparere, & Jobagiones quoque, aut Familiares suos Ignobiles sistere, ac juri statuere teneatur; tunc, si talis Nobilis, aut possessionatus homo non venerit, solus ipse in persona sua propria, in tribus Marcis gravis ponderis, Jobagiones vero, vel Familiares sui Ignobiles, quotquot fuerint, nominatim statui commissi, per singula capita in singulis Marcis, hoc est: quælibet persona statui commissa in una Marca gravis similiter ponderis, convinci, & agravari; & insuper in actione, acquisitioneque Actoris condemnari solet, atque debet. a)

§. 5. Sic videlicet; quod, si causa ratione facti majoris potentiæ in Curia Regia mota fuisse dignoscitur, tam Nobilis: vel possessionatus homo, quam etiam sui Jobagiones, aut Familiares Ignobiles, nominati, & per expressum statui commissi, in amissione capitum, & Bonorum suorum quorumlibet, mobilium scilicet, & immobilium,

a) Huc facit. *art.* 23. *An.* 1613. *art.* 41. *An.* 1729.

ad portionem ipsorum cedentium, condemnantur. a)

§. 6. Ubi vero causa, prætextu negotiorum, factum minoris potentiæ tangentium, etiam in Sede Judiciaria Comitatuum suscitata fuerit; tunc Nobilis in centum florenis, partim Judici, & partim Actori solvendis; Jobagiones autem, & Familiares sui, singillatim in eorum Homagiis, quadraginta florenos facientibus, Actori solummodo cedentibus, aggravantur. Nam in Sedibus Judiciariis Comitatuum ratione violentiarum; & actuum potentiariorum; pœna, ultr. centum florenos, decerni non potest.

§. 7. VERUM, si venerit, & responsione facta, ex parte hujusmodi Jobagionum, ac Familiarium suorum Ignobilium, super objectis, & actionibus Actoris, Judicium, & Justitiam impendere promiserit; tunc in facie illius possessionis, ubi tales rustici, vel ignobiles famuli residentiin termino per Judicem suum ordinarium ad i præfigendo, coram uno (ut prætactum est) au duobus Judicibus Nobilium ipsius Comitatus, i quo possessio talis adjacet, ejuscemodi Judicii & Justitiæ impensionem perse, vel Officialem aut villicum suum facere, & peragere tenetu

§. 8. Si autem in tetmino per Judicem a id deputato, Judicium, & Justitiam hujusmodi facere, impendere renuerit, & neglexerit; tunc idem Nobilis, aut alter quilibet possessionatus homo, pro non impensione ipsius Judicii, ac mandati Judicis refutatione, prætex

a) Confer supra p. 2. t. 55. sin-

singulorum Jobagionum, vel famulorum ignobilium (quorum ex parte Judicium, & Justitiam administrare, ac impendere tenebatur) in singulis tribus Marcis, in duobus semper Judici, in tertia vero Partibus Actori persolvendis, condemnatur: Et cum aliis singulis tribus Marcis, ad impensionem ejusdem Judicii, & Justitiæ, in termino iterum ad id per Judicem præfigendo, cogetur, & compelli debet. A)

§. 9. UBI vero secundario quoque ab ipsa Judicii, & Justitiæ impensione se retraxerit, & illud administrare subticuerit, atque neglexerit; tunc in Homagiis singulorum defacto condemnabitur. Et super eisdem Homagiis, de Bonis, ac rebus talis Nobilis, vel alterius possessionati hominis mobilibus, si reperiri poterunt; aliter autem, de Juribus suis possessionariis, Actori satisfactionem Judex impendere tenetur.

§. 10. ET HOC super Homagiis verum esse accipe; si actus violenti, quorum prætextu causa ipsamota fuit, factum minoris potentiæ repræsentabunt: Nam si Capitalem Sententiam tangunt; tunc non in Homagiis, sed in amissione capitum, & omnium Bonorum ipsorum, omnes illi, ex parte quorum Judicium celebrari debebat, condemnantur, & cuncta eorum Bona, mobilia videlicet, & immobilia Judici, atque adversæ Parti adjudicabuntur: Et insuper, vigore Literarum Adjudicatoriarum, ubicunque deprehendi poterunt,

A) Hodie non cogitur iterato, sed proceditur juxta *artt.* 29. *An.* 1609. Et 23. *Ann* 1613.

sive intra proprierum Dominorum, sive aliorum territorium (ut condignam luant pœnam) cum Literis Adjudicatoriis, & Sententionalibus, per Adversariorum, & Actorem libere captivabuntur.

§. 11. ATTAMEN, si juxta Domini terrestris promissionem, & judicis commissionem, in termino, & loco, ad id deputatis, judicii, & justitiæ hujusmodi impensio rite peracta fuerit, & Jobagiones, vel Familiares Ignobiles, facto majoris potentiæ, Rei, & culpabiles reperti, ex eoque in Sententiis Capitalibus, atque amissione cunctorum Bonorum suorum mobilium, & immobilium condemnati, & aggravati extirerint; tunc hujuscemodi Bonorum duæ partes, Domino ipsi terrestri tanquam judici, & tertia pars Actori, Adversarioque cedent in portiones. Et præterea tenebitur Dominus idem terrestris, capita illorum convictorum, & condemnatorum, manibus Adversarii jure punienda tradere, & assignare.

§. 12. QUOD si facere Dominus ipse terrestris nollet, aut non curaret quovis modo; tunc Homagia singulorum, de rebus, & Bonis suis propriis deponere, persolvereque tenebitur.

§. 13. Et hoc verum est, si in termino, quo judicii, & justitiæ impensionem facere promisit, ejuscemodi convicti, & condemnati, erga ipsum, & in potestate ejusdem fuerunt.

§. 14. NAM si tempore medio aliquis illorum Jobagionum, vel Familiarium Ignobilium aufugeret, & manus, Jurisdictionemque, & potestatem Domini sui evaderet quoquo modo;

tunc

tunc idem Dominus terrestris in nullo propterea onere gravari debebit.

§. 15. VERUM, si quispiam illorum post promissionis, & ante impensionis Judicii diem, & terminum, invito Domino suo terrestri, palam, vel occulte discederet, & aufugeret; tunc universas res, & quælibet Bona, mobilia videlicet, & immobilia illius, in territorio ipsius Domini sui existentia, & adjacentia, idem Dominus libere pro se occupare poterit.

§. 16. Tamen iisdem (si actus potentiarii majores fuerint) Homagium illius, decem scilicet Marcas, quadraginta Florenos auri facientes, primum Actori persolvere; & tertiam quoque partem residuitatis Bonorum suorum mobilium ejusdem Adversario dare tenebitur, duas partes eorundem Bonorum mobilium pro se reservando. Et nihilominus hæreditates, & Bona immobilia ipsius Rustici, vel Familiaris Ignobilis, æstimare, & tertiam partem æstimationis, atque valoris earundem hæreditatum Actori pariter assignare debebit. Reliquas duas partes pro se similiter auferendo, & occupando

§. 17. Et insuper, Adversarius ipse ubicunque talem fugitivum reperire poterit; liberam detinendi, & juxta sua demerita, Capitali Sententia feriendi plenariam habebit authoritatem.

§. 18. Si autem actus violenti, minores fuerint; tunc solummodo Homagium illius, Actori persolvere, & cum hoc, super damnis per Rusticum, vel Famulum Ignobilem illatis

(si in Actionis serie damna declarata fuerint) de Bonis ejusdem Rustici, vel Familiaris, Adversario satisfactionem impendere tenetur. A)

Qualiter Jobagionibus, & Famulis Ignobilibus, Juramenta decernantur?

TITULUS 27.

ITem, si causa in facto Statutionis Jobagionum vel Famulorum Ignobilium, in Curia Regia per Evocationem, aut Sede Judiciaria Comitum Parochialium per Citationem mota, & in præsentiam sui Domini terrestris (ut Judicium, & Justitiam illorum ex Parte querulanti, & Adversario impendat) per Judicem remissa fuerit, & Actor tempore impensionum Judicii tres Literas Inquisitorias contra reos exhibuerit, & illi actionem adversus se propositam simpliciter negaverit; tunc cuilibet Jobagioni, vel Famulo in causam attracto, & statui commisso, Juramentum secundum Homagii sui exigentiam, quadragesimo se hominibus sibi similibus, hoc est: Rusticis, & Ignobilibus, bonæ tamen famæ, & honestæ conditionis personis, pro sui expurgatione imponendum erit. B)

§. 1.

A) Ad hunc, & præcedentem Titulum. referendi, & combinandi sunt. *art.* 23. 1613. 27. 1638. 29. 160). 60. 1618. 16. 1635. 81. 1647. 31. 1729. Item Sigis. *Dect* 3. *art.* 10. ex quo originem duxit processus noster impensionalis. De Judicicio autem per Civitates Liberas, & Oppida privilegiata impendendo; agunt *artt. citt.* 60. 16. & 81.

B) Confer cum hoc Titulo *p.* 2. *titt.* 30. 31. 32, & 33.

Item

§. 1. Nam quilibet rusticus, & impossessionatus homo, cum suo Juramento unum Florenum centum Denarios valentem, & non plure, accipere potest, & ex consequenti; ad majus Sacramento suo nec expurgare, nec condemnare quemquam poterit.

§. 2. Secus est tamen in causis criminalibus quando ad caput malefactoris cujuspiam juratur. Nam eo tunc; non Homagium, sed demeritum, & criminis pœna ponderatur.

§. 3. Si vero binas Literas Inquisitorias produxerit, tunc vigesimo se; si autem unas exhibuerit, decimo se, sibi (ut præfertur) æqualibus rusticis, Sacramentum adjudicari, & imponi debet: Et hoc, contra Nobiles, & alios possessionatos homines: Nam si inter Ignobiles, & rusticos Judicium administrabitur, tunc modus, & ordo loci, ac patriæ (ubi reus moram trahit) observatur.

§. 4. Literas autem Inquisitorias intellige semper illas, quæ ad literatorium mandatum Regium, vel literatoriam petitionem aliorum Judicum Regni Ordinariorum, in locis testimonialibus, aut coram eisdem Judicibus Ordinariis Regni, in Conventionibus Generalibus Dominorum, & Nobilium sunt confectæ.

§. 5. Nam Inquisitoriæ simplices, ad legitimam scilicet, & instantem petitionem cujus-

Item *artt.* 26. 1729. 23. 1613. 29. 1607. 16. 1635. Et *Math. Reg. Decr.* 6. *art.* 14. Per quas Leges, præsentis Tituli dispositio, maxima sui parte jam immutata est.

cunque litigantis, in Sedibus Judiciariis Comitum Parochialium emanatæ; in parte solummodo, & non in pleno continent vigorem.

§. 6. ADVERTENDUM tamen est, quod, si præmisso tempore impensionis Judicii, in causam attracti, actionem, & acquisitionem Actoris, & adversarii contra eos propositam negaverint; & testimonio vicinorum suorum, aut alio probabili documento sese immunes, & innocentes esse declarare voluerint; & Actor hujusmodi testificationem acceptare noluerit, sed simpliciter, & de plano, juxta exhibitarum Literarum Inquisitoriarum vigorem, Judicium, & Justitiam a Judice postulaverit; tunc in tali casu, Juramentum illud, quod virtute ipsarum Literarum Inquisitoriarum adjudicari, ac imponi deberet, pro media parte defalcabitur, & condescendet: Prout ista Consuetudo etiam in causis Nobilium observatur.

§. 7. Opinione tamen communi, atque vulgata, cum quot personis Nobili, vel Domino terrestri, in Curia Regia, vel Sede Comitum Parochialium Judiciaria, Juramentum decernitur; cum tot personis etiam Jobagionibus, vel Famulis ejus Ignobilibus imponendum erit.

§. 8. Et, si Nobis post communem Inquisitionem, Juramentum præstiterit; etiam Coloni, ac Familiares sui, absoluti manebunt: Si vero succubuerit, illi quoque condemnati intelliguntur.

Qua-

Qualiter Damna, & Debita per Rusticos, res, ac hæreditates non habentes, recuperari debeant?

TITULUS 28.

NEc hoc prætermittendum est, quod, si quispiam litigantium rusticum aliquem in Homagio suo, aut damnorum, vel debitorum solutione Juris ordine condemnaverit, & convicerit, & convictus ille nec res mobiles nec hæreditates habuerit, ut super ea re satisfacere possit; tunc tenetur Dominus terrestris ipsum rusticum convictum manibus Adversarii sui captum tradere, & assignare: Qui quidem Adversarius, vel Actor, infra quindecim dies (si interea cum eo, convictus ipse non concordaverit) poterit illum suis in carceribus detinere: Nullum tamen detrimentum in corpore suo, sub pœna Homagii ejusdem, ipsi inferre valeat: Sed de pane, & aqua, interim sibi providere debet.

§. 1. Qui si etiam interea temporis, se de hujusmodi captivitate eliberare non posset, tamen Adversarius rusticum ipsum in servitutem adhuc redigere non poterit: Sed accepta ab eo fidei cautione (quod quidquid laborando, aut mendicando acquirere valebit, tertiam partem Adversario suo, omni hebdomada, donec debitum suum suppleverit, fideliter administrabit) liberum dimittere tenetur.

§. 2. Qui si Juramentum præstare, & onus hoc subire, in seque levare recusaret; vel forte

ac-

accepta securitate, Adversarium suum defraudaret; tunc Adversarius ipse rusticum illum (ubicunque locorum poterit) rursus detinendi, ac incarcerandi, & in suam securitatem redigendi, ad effectum usque restitutionis ejuscemodi Homagii, aut damni, vel debiti, ptenariam habet facultatem, illeque supplere tenebitur invitus, quod noluit liber, & manumissus: A)

§. 3. ET IDEM est intelligendum, etiam de causis inter Nobiles, prætextu debitorum, & damnorum motis, & subortis: Ut scilicet Nobiles, hæreditates, & res mobiles ad satisfaciendum, de debitis contractis, & damnis per eum illatis non habere compertus etiam in persona sua detineatur, & ad satisfactionem per Judicem, modo de rusticis immediate prædeclarato, compellatur. Prout in secunda quoque Parte, serie videlicet Sententiarum, B) paucis tetigi.

§. 4. DE crescentiis autem duplici debitorum, si quando Reus terminum solutionis per Judicem præfixum præteriisset (prout apud Veteres observatum legimus) nostra hac tempestate non est quidquam judicandum.

Quomodo res mobiles, & immobiles Rusticorum, inter Filios, & Filias dividantur?

TITULUS 29.

ITEM, si rusticus filium genuerit, filiam quoque nondum emancipatam habens, tunc uterque

A) Confer Kitt. *Dub.* 98. Cui tamen *Com. Syst.* contrariatur, dum contextum huius Tituli stare jubet.

B) *Tit.* 68.

que in rebus paternis, tam mobilibus, quam immobilibus, æquali Jure ſuccedit. A)

§. 1. Si tamen de rebus mobilibus filia emaritata fuerit, tunc advertendum eſt; quia illæ res, aut avitæ, aut paternæ fuerunt? Si *avitæ*; B) fraus nulla in emaritatione ſequi poteſt: Quoniam filia æqualem portionem ſortiri debet. Si autem res *paternæ* extiterint; tunc pater juxta condecentiam ſtatus, & honoris ſui, poterit eam emaritare, & amplius, portionem rebus de eisdem non habebit, ſed mortuo patre, ad filium devolventur, & illo quoque decedente, ad fratres, & conſanguieos ſuos ab eodem ſtipite derivatos, condeſcendent.

§. 2. VERUM, ſi pater de ſua portione Teſtamentum condere voluerit; id quidem facere poterit, absque tamen fraude uxoris, Nam uxor in rebus per maritum ſuum, ſtante conjugio, conquiſitis, ſemper particeps, & condiviſionalis efficietur: Ita, quod viro inteſtato decedente, ad eam univerſa Bona ſua per ipſum, ut præfertur, conquiſita devolventur. C)

§. 4. UBI vero pater, mortua prima uxore ſua, aliam duxerit conſortem; tunc filius ex prima uxore natus, ſi cum patre ſuo, in rebus mobilibus, & immobilibus diviſus fuerit, ſecunda uxor ejus-

A) Deducto tamen, ex acquiritis, Jure, & ære alieno; His vero non ſufficientibus; etiam ex kæreditariis, *Com Syſt. ad h. t.*

B) Id eꝟ: ſeu paterno - ſeu materno - aviticiæ fuerint.

C) Et xiciſſim, Uxore ab inteſtato decedente; portio ejus devolvetur in Maritum. *arg. art.* 11. *An.* 2687.

ejus, de portione filii, pro se nullam portionem habere permittitur, & neque fratres sui ex ipsa secunda uxore patris generati, sese ad illam ingerere possunt: Sed de eisdem filius ipse, prout voluerit, liberam disponendi habet facultatem.

Qualiter Bona Rustici intestati in Dominum terrestrem devolvantur?

TITULUS 30.

ITEM, rusticus, una, & singularis persona existens, nullumque post se hæredem, & successorem legitimum relinquens; super rebus suis *mobilibus* A) libere testari potest. *Hæreditates* tamen, si *avitæ* fuerint, omnino in Dominum terrestrem devolvuntur.

§. 1. Si vero per semetipsum extiterint *acquisitæ*; in duas dividentur partes, quarum una Domino ipsi terrestri; altera vero, cui testamentaliter legaverit, effective cedet.

§. 2. Si autem intestatus B) decesserit; omnia ipsius Bona, tam mobilia, quam etiam immobilia, ad Dominum terrestrem C) devolvuntur.

§. 3. Qui ante omnia, de eisdem Bonis pro Exequiis, & Sepultura illius providere: Cunctos deinde Creditores suos contentos reddere: Et debita sua persolvere tenetur: Et residuum Bonorum pro se tandem tollere potest.

§. 4.

A) Avitis, & acquisitis, cujuscunque speciei, vel pretii fuerint.

B) Et simul, legitimo hærede destitutus.

C) Sive is Hypothecarius, sive perennalis fuerit.

§. 4. UBI tamen rusticus hæredem post se reliquerit legitimum, & hæres parvulus fuerit, & ætatem duodecim annorum non attigerit; tunc poterit pariter non solum *de portione sua testari*, A) verum etiam hæredi parvulo, infra ipsam quodecim annorum ætatem forsitan decedenti, hæredem alium (quem maluerit) substituere: Ita; ut si interim hæredem ipsum legitimum præmori contingat, substitutus hæres succedat.

§. 5. Si tamen verus hæres ætatem postea prædictam atigerit, vel transcenderit; ejuscemodi substitutio extinguetur, & in hæredis potestatem Bonorum omnium conservatio pariter, & dispensatio reponetur.

§. 6. Verumtamen Colonorum quemadmodum multiplex est conditio; ita & *Consuetudo Juris*: Quæ *juxta veterum locorum usum* observanda censetur. B)

§. 7.

A) Qualiter Rustici de acquisitis suis testari possunt; Vide uberius *in Tyroc. Jur. Ung. h. t.* §. 5. Solennitates autem rusticani Testamenti, ejusque revisio; discutiuntur *ibid.* §. 8. Successio vero Domini terrestris in bonis Rustici, Notam Infidelitatis incurrentis; §. 9. conformiter ad *art.* 62, *An.* 1715.

B) Et quidem aliæ ipsorum consuetudines sunt *Urbariales*, aliæ *Extraurbariales*. Suntque multa in variis Dominiis, aut usu contrario, aut diversis Conventionibus, & Pactionibus jam abrogata; quæ in antiquis *Urbariis* erant scripta: Confer *art.* 18. *An.* 1729. Ubi Urbaria; sed non nisi rite confecta, approbantur. Et secundum has *Consuetudines Juris* (seu quæ longo, ac *vetere usu*, vim Juris, & Legis

seri-

§. 7. Per hoc tamen non est intelligendum, ut hæreditas per rusticum cuipiam legata, vel vendita, Jure perpetuo a Domino terrestri alienari possit; Nam *rusticus præter laboris mercedem, & præmium, in terris Domini sui, quantum ad perpetuitatem nil Juris habet: Sed totius terræ proprietas, ad Dominum terrestrem spectat, & pertinet.*

§. 8. PER hujusmodi igitur legationem, aut venditionem, Colonus nonnisi laboris sui mercedem, & præmium, condignam scilicet æstimationem terræ, prati, molendini, vel vineæ, cuipiam legare, vel vendere potest, perpetuitate Domino terrestri salva semper remanente. Qui dum voluerit terras, prata, & molendina, secundum æstimationem communem; vineas vero, juxta condignum earum valorem ad se recipiendi habet facultatem. A)

Quod Rustici per semetipsos, cum Nobilibus lites ingredi non possunt.

TITULUS 31.

ADvertendum præterea est; quod, quia rustici Dominis eorum temporalibus in tantum

scriptæ obtinuerunt, Urbariisque obsoletis indubitanter derogant) in *Sede Domiuali* Sententiam pronuntiandam esse; præstationesque, labores, vecturas, & alia Colonorum onera regulanda, ac moderanda esse; extra controversiam est. Id enim significat textus præsentis §.

A) Vid. *art.* 58. *An.* 1625. Et *Tyroc. Jur. Ung. adh. t.* Ubi etiam declaratur; quibus in rebus Jobagiones nostri sint Emphyteutis similes.

tum subjecti sunt, ut per semetipsos cum Nobilibus, ratione quorumcunque negotiorum, lites protrahere non possint.

§. 1. Cum igitur rusticus, A) per Nobilem quempiam indebite verberatus, aut vulneratus, vel aliter læsus; sive etiam in rebus suis potentialiter damnificatus fuerit; & Dominus suus terrestris hujusmodi Nobilem in causam conveniendo, reum esse declaraverit, atque convicerit; B) tunc idem Nobilis, adversus Dominum terrestrem in facto minoris potentiæ, centum Florenos faciente; & insuper Homagio ipsius C) vulnerati, aut verberati rustici vel damnorum illatorum refusione, & restitutione D) juxta videlicet negotiorum qualitatem, E) condemnari debet.

Qualiter publici Malefactores, per Comites Parochiales, ac Nobiles privilegiales puniri debeant?

TITULUS 32.

HOc quoque sciendum, quod omnes Nobiles, nec non oppida, & villæ, qui, vel quæ Literas Regias, super malefactorum, & pravo-

A) Vel Servitor, seu Famulus, aut Familiaris Ignobilis

B) Subaudi: In Foro compententi. Nam & in his; *Actor sequitur Forum Rei.*

C) Homagialis autem pœna; & damnorum refusio, cedunt injuriato.

D) Huc faciunt *art.* 27. *An.* 1638. Et *art. pr. An.* 1659.

E) Ita, ut aliquando sola damnorum refusio; aliquando simul cum Homagio solvatur.

rum hominum punitione, ac exterminatione profe non habent confectas; universos fures, prædones, & alios publicos malefactores, per eos, & in eorum medio deprehensos, atque detentos; manibus Comitum, aut Vice-Comitum, & Judicum Nobilium illius Comitatus; ubi hujusmodi Nobiles residunt, aut oppido, vel villæ adjacent, sub pœna Homagii malefactoris detenti, tradere, & assignare tenentur puniendos: *Nec ultra tres dies* apud se illos tenere possunt a)

§. 1. Nam si ultra triduum conservarent, per singulos dies, in singulis tribus Marcis gravis ponderis, pro qualibet persona detenta, contra Comites, Vice-Comites, ac Judices Nobilium prænotatos (ob vendicationem Jurisdictionis eorum temere per illos factam) merito convincitur.

§. 2. *Homicidas* tamen, & *Incendiarios*, ac *in adulterio violento deprehensos*, in loco delicti; sive facie, vel territorio illus oppidi, aut possessionis, ubi facinus hujusmodi patratum fuerit, captos, & detentos; etiam oppida, & villæ, ac Nobiles Privilegia non habentes, observato Juris ordine, juxta eorum demerita, feriendi, atque puniendi habent authoritatem. b)

§. 3.

a) Agit hic Titulus de Jurisdictione sanguinaria, seu *Jure Gladii*, de cujus exercitio; ex professo, in Praxi Criminali. Atque utinam elaborarctur tandem Praxis Criminalis Juribus nostris conformis, & Patriæ huic peculiaris? prout fieri cœptum est, sub Diæta Anni 1729. sed interrupto labore.

b) Huic Privilegio derogatur per *art. 16. An. 1629.*

§. 3. Dimittendi tamen illos, non habent facultatem: Nam sic, in Homagiis singulorum, qui dimitterentur, adversus præfatos Comites, ac Vice-Comites, & Judices Nobilium condemnarentur.

§. 4. Pari modo Nobiles, & alii ad hoc specialiter privilegiati, omnes malefactores per eos, & in territorio ipsorum deprehensos, atque captos, punire quidem; & secundum illorum demerita necare possunt; dimittere tamen nusquam possunt: Aliter enim Homagia ipsorum persolvere tenentur. A)

Quomodo damna, per pecudes, & pecora illata recuperari debeant?

TITULUS 33.

ITEM, si quis Nobilium; aut Rusticorum equos, boves, oves, porcos, & alias pecudes, vel pecora, de segetibus, aut pratis, & fœnilibus, vel silvis glandinosis prohibitis, propter illata damna impulerit, vagiandos, & taxandos; & Dominus ejuscemodi animalium, contumacia ductus, illa redimere noluerit; tunc damnificatus

A) Congruit *Math. Reg. Decr. 6. art. 38.* Injuriam præterea, & damna per dimissum malefactorem sibi illata, potest Pars læsa, in tali Dimissore, coram Comitatu legaliter desumere; Fiscusque Regius, coram Palatino, contra eundem ad amissionem Juris Gladii procedere *art. 48. An.* 1715. Huc faciunt; *Math. Reg. Decr. 6. art.* 38. *Ulad. Decr. 2. art.* 19. Nec non *art.* 18. *An* 1655. Et *art.* 41. *An.* 1563. per *eit. art.* 48. *An.* 1715. confirmati.

tus ipse non amplius, nisi *per triduum* apud se eadem animalia conservare poterit.

§. 1. Transactis autem tribus ipsis diebus, manibus sui Comitis, vel vice-Comitis Parochialis: Absente vero illo, ad manus unius Judicis Nobilium (cujus scilicet processui territorium illud damnificatum deservire dignoscitur) dare, & assignare tenetur.

§. 2. Nam aliter, post triduum singulis diebus, quibus animalia prænotata apud se reservaverit; in singulis *tribus Marcis gravis ponderis*, in duabus, Judiciaris; in tertia vero Partibus, Adversarii manibus dandis, & devolvendis, impellens, & vagiator ipse gravabitur.

§. 3. Damna autem irrogata, secundum conscientiosam limitationem, ac æstimationem Judicis, & Juratorum Civium illius loci, in cujus territorio fuerint illata, compensari debent.

§. 4. Nam prohibitio cum speciali, & ex presso onere facta; ne in segetibus, aut pratis vel silvis damna inferantur; ad Colonos dunta xat ejus loci, in cujus territorio hujusmodi segetes, silvæ, vel prata adjacent, refertur. Extranei enim non onus inhibitionis, sed damn quantitatem solvere tenentur.

§. 5. Ubi autem Colonus furtim, vel manifeste, manu violenta silvam succiderit, vel arbores ejus decorticaverit, & ibidem comprehendi poterit; omnia Bona sua secum habita amit-

amittet, & insuper in Homagio suo, pro violentia, convincetur. A)

De equo furtim sublato, & in exercitu, vel extra exercitum reperto.

TITULUS 34.

ITEM, in facto, & causa alicujus equi, furtim, vel aliter a suo Domino, atque possessore ablati, & alienati, ac in exercitu generali quovis modo instaurando reperti; non debet, neque poterit, Actori Judicium elargiri: Sed equus ipse, medio hominum fide dignorum, per Capitaneum, aut Ducem exercitus, ad id eligendorum, atque deputandorum, in suo vero valore debet æstimari, & sub fidejussoria cautione præ manibus illius, apud quem reperitur, ad condescensionem usque exercitus, relinqui.

§. 1. Capitaneus, aut Dux exercitus certum terminum præfigere debebit, in quo, post condescensionem ejusdem exercitus, coram aliquo Judice Ordinario per eundem nominando, vel Agazonum Regalium Magistro, utraque Pars comparere teneatur, Judicium in hujusmodi causa recepturum. B)

A) Confer. *art.* 94. *An.* 1715. Et. *art.* 42. *An.* 1729. Prodiit ante non multos annos Libellus, sub Titulo: *Opusculum Quæstionum, de pecorum, & pecudum abactionibus, &c.* Subinde in alio formato, Zagrabiæ repressus, Anno 1736. Qui præsentem Titulum, & *citt. artt.* fuse discutit.

B) Hodie, super ejusmodi fure, vel raptore, Officiales Regiminum, aut Dux Exercitus, Judicium impendit.

§ 2. UBI autem in causa equi, vel bovis, aut alterius animalis furtim alienati, extra exercitum inventi, in causam attractus non poterit super ejusdem emptione evidens producere testimonium; semper Actor tertio se sibi similibus, ad ejus recuperationem, suum debet deponere Juramentum.

§. 3. VERUM fur ille si dixerit; in foro libero, & communi, vel alibi se emisse, & victorem (quem nos expeditorem appellamus) non potuerit statuere; neque hospitem, vel alium quempiam, qui *mercipotum*, hoc est: victimam emptionis, & venditionis, more solito benedixisset, producere; patibulo reus erit.

De Causarum Transmissionibus, & Literis Transmissionalibus.

TITULUS 35.

SCiendum postremo; quod universæ causæ in Sedibus Judiciariis, Vicariorum Ecclesiarum Cathedralium, ac Comitum Parochialium motæ (dempta causa, quæ in Sede Comitatuum Sacramento solius personæ Actoris submittitur) in Curiam Regiam, Judicum scilicet Ordinariorum Regni in præsentiam; evidentioris, & maturioris discussionis gratia, transmitti solent, atque debent.

§. 1. CAUSÆ vero, quæ coram Dominis terrestribus, super factis Colonorum, & Rusti-

co-

dit: sensu *art.* 11. *An.* 1723. & *Prax.* De *Abigeatur*, seu furto pecorum; Vide plura apud Civilistas, *ff. de Abigeis.*

eorum (modo antelato) suscitatæ fuerint; tunc ad instantiam, & Appellationem illius Partis, quæ super celebrato inibi Judicio contentari noluerit, primum in præsentiam Comitum, ac Vicè Comitum, & Judicum Nobilium, tandemque altera forsitan Partium ibi quoque non contenta; in ipsam Curiam Regiam sunt transmittendæ.

§. 2. Et Pars appellans, Literas, tam super hujusmodi, quam etiam aliis quibusvis causis, in Sedibus Judiciariis Comitatuum ventilatis, Adjudicatorias, & Transmissionales, in Sede Judiciaria, post ultimam, & finalem adjudicationem primitus celebranda, si commode fieri poterit; aliter autem in Sede secundario celebranda excipere, & ad terminum, per Judicem sibi præfigendum, causam illam in ipsam Curiam Regiam deducere tenetur.

§. 3. Nam si id facere neglexerit; eadem *causa in rem judicatam transibit*, & in tertia Sede Judiciaria, Literæ Adjudicatoriæ, juxta latam Sententiam, Parti victrici, atque triumphanti reddi, & Executioni demandari debent.

§. 5. Et hoc; si negligentia ipsa, non ex Parte Notarii, vel Judicum, sed Partis appellantis commissa dignoscetur. A)

A) De Appellationibus. & Causarum Transmissionibus materia sane copiosa, & necessaria; consule *Tyroc. Jur. Ung.* Et quidem, qualiter a Sede Dominali appellari debeat; *p. 3. t.* 26. Qualiter autem ex Comitatu, & Tabulis Districtualibus; *p. 3. t.* 6. Ubi etiam *artt.* 28. 29. 30. & 32. *An.* 1729. de Appellationibus novissime conscripti, dilucidantur.

Forma Juramenti Judæorum, contra Christianos præstandi.

TITULUS 36.

ITEM, quamquam ex parte Judæorum, non sit instituti mei quidquam annotare; cum Judæi varia, & diversa habere dignoscantur, super eorum Legibus Privilegia, pluribusque inlocis saluti contraria & alias pernicioſum videatur de usuris judicare: A) Ex quo tamen sæpenumero contingit Judæis contra Christianos Juramentum imponi, & adjudicari; formam Juramenti Judæorum in calce Opusculi hujus apponendam censui.

§. 1. UBI sciendum; quod Judæus Juramentum præstare volens, B) contra solem verti, & nudipes stare debet, chlamyde, vel pallio indutus, & pileum Judaicum in capite suo habens, Volumenque Legis (quod Tabulam Moysis vocant) manu sua tangat, atque teneat, & sic dicat: C) §. 2.

A) Duplicem Quæstionem, quam Kittonich hinc eruit, *de Usuris*; Vid. *Dub.* 99. & 100. Et confer. *artt.* 51. *An.* 1715. & 120. *An.* 1723.

B) Non nisi in supplementum, & in casibus fere valde obscuris Judæorum Juramenta admittenda esse; monet *Com. Syst.* De quibus Vid. *Tyroc. Jur. Ung. ad b. t.*

C) Zingari nostrates, & Transylvani (nam Croatæ illos Lege proscripserunt) ut pote Christiani omnes, imo & magna sui parte Romano-Catholici; sub Juramento Nobis communi, in Judiciis testimonium perhibent veritati. Quamquam & hi raro, & admodum caute, sint ad testificandum admittendi. De eorum ingenio, privilegiis, moribus, & functionibus; copiose dispu-

§. 2. „ Ego T. Judæus, juro per DEUM „ Vivum, per DEUM Sanctum, per DEUM „ Omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, „ mare, & omnia, quæ in eis sunt; quod in „ hac causa, qua me hic Christianus inculpat, „ innocens sum penitus, & immunis. Et si „ reus sum; terra me absorbeat, quæ Da- „ than, & Abyron absorbuit. Et si reus sum; „ paralysis, & lepra me invadat, quæ precibus „ Helisæi, Naaman Syrum dimisit, & Jezii pue- „ rum Helisæi invasit. Et si reus sum; caducus „ morbus, fluxus sanguinis, & gutta repentina „ me tangat, & mors subitanea me rapiat, di- „ spereamque in corpore, & anima, ac rebus „ meis, & in sinum Abrahæ nunquam perve- „ niam. Et si reus sum; Lex Moysi in Monte „ Synai sibi data, me deleat, & omnis scriptura, „ quæ in quinque Libris Moysi scripta est, me „ confundat. Et si istud Juramentum meum „ non est verum, justum; me deleat Ado- „ nay, & suæ Dietatis Potentia,

A M E N.

FINIS TERTIÆ PARTIS.



disputat *Laurent. Toppeltinus de Medgyes*. Saxo-Transylv. in Libello, quem *Origines, & Occasus Transylvanorum* inscripsit, ac Principi *Michaeli Apafi* dicavit; *cap. 6. a. pag.* 55.

OPERIS CONCLUSIO.

HÆc sunt, sapientissime, ac optime Princeps, quæ de Inclyti Regni tui Pannoniæ, cui tot annis felicissime præfuisti, Legibus, Institutis, ac Patriis Consuetudinibus, Jussis, & Auspiciis tuis scribenda visa sunt.

Qua in re, non pauca mihi fuerant advertenda, Decreta videlicet tuorum prædecessorum Principum, unde præsens hoc nostrum Opus totum fere sumptum reperies: Rursus occurrebant nostrates homines, qui hoc ipso Opere instituendi erant. Ob primum factum est, ut iisdem sæpe nominibus in scribendo usus sim, quibus Principes ipsos usos fuisse compereram; absurdum enim videbatur, non eis verbis uti me, quæ frequenter, qui hæc antea statuerunt, suis Decretis inseruisse constabat.

Nemo peritorum ambigit, Princeps prudentissime, Romanos illos Legum Latores, ob vetustatis reventiam, eadem pene vocabula suis Legibus immiscuisse, quibus vetustissimæ Decemvirales illæ Leges, more suorum temporum, usæ fuerant.

Do-

Doctissimos quoque Latinos frequenter suis scriptis inseruisse scimus peregrinas, & mere barbaras dictiones, qualis est Mastruca, *apud Ciceronem, cum tamen surdum sit vocabulum, & pure barbarum. Item* Gaza, *quæ Persica vox est: Plura hujus generis apud Fabium Quintilianum reperies, in eo loco, ubi de peregrinis verbis differit copiose.*

Maronem præterea, Poetarum Latinorum longe Principem, suis aureis carminibus frequenter dictiones illas priscas, vernaculas, & sua jam tempestate, ob vetustatem nimiam, potius abolitas, quibus passim Livius Andronicus, Q. Ennius, Furius Bibaculus, Gn. Nævius, Varius, M. Actius, Pacuvius, Q. Cornificius, Lucretius, item cæteris, tanquam vulgo notis, usi sunt; immiscuisse constat.

Curius (inquit Phavorinus Philosophus) & Fabricius, & Coruncanus, antiquissimi viri nostri, & his antiquiores Horatii illi trigemini, plane, ac dilucide cum suis fabulati sunt, neque Auruncorum, Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primum incoluisse Italiam dicuntur; sed ætatis suæ verbis locuti sunt: quod feciſſe Nos nec pœnitet in hoc Opere.

Oc-

Occurrebant rursus nostrates Pannones, ad quorum usus scripsimus hæc fere omnia. Constat enim, nostros Pannones diligentius arma, & ea, queis sine, nec potuere seri, nec surgere messes, *manibus quam Ciceronis, Livii, Salustii, aut Auli Gelii volumina tractavisse. Danda igitur venia a prudentioribus mihi erit, si cum Nostris Hungaris loquens, sim ipse sæpe nudis, ac pene vernaculis verbis usus.*

Palladii Rutillii sententia, in primo eorum librorum, quos de agricultura scripsit, nos plurimum movit; ut consuetis, ac planis verbis, nostris hominibus loqueremur: Pars est prima (*inquit*) prudentiæ, ipsam, cui præcepturus sis, æstimare personam. Neque enim formator agricolæ, debet artibus, & eloquentia Rhetores æmulari, quod a plerisque factum est; qui cum diserte loquuntur rusticis, assecuti sunt, ut eorum doctrina nec a disertissimis possit intelligi.

Lactantii præterea, tertio Divinarum Institutionum lib. verba sunt: DEUS (*inquit*) hanc voluit esse naturam, ut simplex, & nuda veritas esset luculentior, quia satis (*inquit*.) ornata per se est, ideo-

ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur: Mendacium vero specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit, ac defluit, nisi aliunde ornatu quæsito, circumlitum fuerit, ac politum.

Marcus Tullius, in quo eloquentia præcipua, & admirabilis fuit, primo de finibus bonorum, & malorum libro: A Philosopho (*inquit*) si afferat eloquentiam, non aspernar, si non habet, non admodum flagitem. Satis enim (*inquit*) in Philosopho est; si verbis complectitur, quod vult, & dicit plane, quid intelligam.

Sæpe ab Aurelio Augustino hæc est repetita sententia: Cum res ipsa constat, non est vis facienda in nominibus.

Quis præterea credat, barbaras nationes, ut Persas, ut Ægyptios, ut Arabes, ut Scythas, ut Parthos, atque Hircanos, aliis verbis tulisse suis Leges, quam eo loquendi genere, quod planum, & in communi usu esset apud eosdem?

Græci quoque, hi maxime, qui interpretandi officium susceperunt, sermonem passim obvium, communemque, plerumque adamasse narrantur. Lycophronis dogma-

ta

ta pauci legunt, quod nec eorum sensus a legentibus possit percipi: Heracliti Ephesii Scripta non ob aliam causam creduntur amissa; nisi quod verbis obscuris nimis, & Cimeriis, ut ajunt, tenebris atrioribus usus fuerit. Hinc factum, ut a posteris Scotinus; *id est:* tenebricosus *fuerit nuncupatus.*

Non laudo, vel Legum, vel aliarum rerum interpretes, quorum Scripta intelligi nequeunt, nisi alios fuerint expositores adepti. Epicurum, qui maximus apud suos habitus est, pedestri sermone, *atque inerudito, in suis Scriptis usum fuisse, cum alii plures, tum Marcus quoque Cicero, testis est.*

Plotinus inter posteros Platonicos longe Principes, ita artis elegantiam, neglexisse dicitur, ut cum aliquid scripsisset, quod scripserat, respicere his minime tolerabat, sed nec etiam semel legere, atque percurrere, neque ullam orthographiæ diligentiam adhibere, soli videlicet intelligentiæ studens. Hanc eandem in scribendo incuriam, nonnulli, Aristoteli quoque Philosopho, adscribere non sunt veriti.

Ac-

Accedit ad hæc; quod Divina illa Lex, quæ per Moysem DEI ore Judæis data est, tanta verborum simplicitate sit conscripta; ut in ea, nulla facundiæ ratio, ab Authore ipso intenta esse videatur. Quod enim omnibus præcipitur observandum, ita tradi debet; ut facile a Lectoribus possit percipi, quod præcipitur. Evangelicam præterea, & Christi Legem illam Sanctissimam extra quam salvari nemo potest, nullis verborum lenociniis constat esse conscriptam.

Succurrebat rursus, quod ea fere omnia, quæ hoc Tripartito Opere scripta sunt, non nisi nostratium usui futura erant. Non abs re igitur a me factum judico, si in eo ipso Opere, verbis quibusdam, Pannoniam ipsam nostram verius, quam Latium redolentibus, usus fuerim: In his enim rebus (ut Aristoteles etiam testis) ut plures, loquendum est.

Hæc propter eos duntaxat dicta volumus, quibus cætera sordent omnia; nisi eis fuerit, vel Cicero, vel alter quispiam Nobilium Scriptorum, interdum usus. At nobis in Opere hoc nostro, in quo cum omnia ad Justitiæ munus explendum, honesticorumque Jurium, ac Judiciorum rationem referantur verbis nudis, atque

aper-

apertis, & noſtratium cuique obviis, ac expoſitis, fuit utendum. Nec enim facundiam oſtentare, quæ alioquin exigua in nobis eſt, ſed publico uſui, pacique, & tranquillitati domeſticæ conſulere fuit propoſitum.

Illud obſervandum curavi; ne aliquid ab hujus Inclyti Regni tui probatis Moribus, & Conſuetudinibus, Regaliumque Conſtitutionum tenore, devium, aut alienum, in his Scriptis redigeretur, omnium, quæ fides, & authoritas conſtaret.

Si quid vero per memoriæ lapſum, aut ingenii tenuitatem prætermiſſum eſt; Majeſtatis Tuæ Clementiæ erit benignius ignoſcere, & id totum humanæ imbecillitati. quæ nihil omnibus numeris abſolutum parit, adſcribere.

Ego quippe, quoad vitali hac aura perfruar, omnem curam, omne ſtudium, ac omnes cogitatus eo convertam; ut Majeſtatis Tuæ non modo juſſibus, ac Mandatis, verum etiam nutibus, & ſupercilis obtemperem. Qui, tum demum votorum ſummam me attigiſſe credam; cum ipſius votis, aliqua ſaltem ex parte, ſatisfeciſſe videbor.

RE-

NOS igitur, qui Regnum Noſtrum Hungariæ prædictum, cætera etiam Dominia Noſtra, non minus Legibus, & Statutis, quam pace, & armis regere, ac gubernare cupimus, accepto hujusmodi Libello, Supplicationibusque præfatorum Dominorum Prælatorum, ac Baronum, & Regni Noſtri Nobilium, exauditis, & clementer admiſſis; quia omnia Capitula, *univerſosque* Titulos, & Articulos *in eodem Libello contenta, & conſcriptos, præſentibusque Literis Noſtris Privilegialibus, de verbo ad verbum, ſine diminutione, & augmento aliquali inſertos, juſtos, & honeſtos eſſe; ac Conſuetudines approbatas, & Jura prætacti Regni Noſtri Hungariæ, Partiumque,* & Regnorum eidem incorporatorum, *atque* ſubjectorum *rite tangere, & concernere, imomera verborum expreſſione illas, & illa complecti agnovimus; ideo easdem, & eadem laudavimus, acceptavimus, ratificavimus, & approbavimus, atque pro annotatis Dominis Prælatis, & Baronibus, univerſisque Nobilibus, & Proceribus antedi-*

cti Regni Noſtri Ungariæ, Partiumque ſibi (ut præfertur) ſubjectarum, eorumque cunctis Succeſſoribus, & Hæredibus, pro perpetuis Legibus, ac Juribus, & Conſuetudinibus, valituras, & valitura, de Noſtræ Regiæ Poteſtatis plenitudine confirmavimus: Imo laudamus, acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus: Promittentes, illum in omnibus Capitulis, Clauſulis, Titulisque, & Articulis obſervare, & obſervari facere, præſentis Scripti Noſtri Patrocinio mediante.

In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præſentes Literas Noſtras Privilegiales, appenſione ſecreti Sigilli Noſtri (quo ut Rex Hungariæ utimur) Communitas, duximus concedendas. Datum Budæ in Feſto Beatæ Eliſabeth Viduæ, triceſimo ſcilicet tertio die Diætæ, & Conventionis Generalis prænotatæ. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo decimo quarto, Regnorum Noſtrorum Hungariæ, &c. Anno vigeſimo quinto, Bohemiæ vero quadrageſimo quinto.

Reverendiſſimis, Reverendisque in Chriſto Patribus, Dominis, Thoma, *Tituli S. Martini in montibus, Sacro-Sanctæ*

Ro-

Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, ac Patriarcha Constantinopolitano, & Sanctæ Sedis Apostolicæ de latere Legato, Strigonienſis: Georgio de Frangepanibus, *Colocenſis, ac Bachienſis Ecclesiarum Canonice unitarum, Archi-Episcopis, Nec non Illustrissimo, ac Reverendissimo* Hyppolito Esten de Argonia, *Sanctæ similiter Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardiuali, Agrienſis*: Joanne de Erdeöd, *electo Zagrabienſis*: Franciſco de Wárda, *Transylvanienſis*: Franciſco de Perén, *electo Waradienſis*: Georgio *Quinque-Ecclesienſis*: *Secretario Cancellario Noſtro*: Petro Beryzló, *Weſprimienſis*, *Summo Theſaurario Noſtro, ac Regnorum Noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano*: Joanne Goſzthon, *Jaurienſis*: Ladislao Zálkáno, *Waczienſis*: Franciſco de Chahol, *Chanadienſis*: Stephano de Podmanyn, *Nittrienſis*: Joanne Orſzág de Guth, *Sirmienſis*: Michaele Keſerů de Gybarth, *Boznenſis electis*; & Briccio de Egervára, *Thinninienſis*: Eccleſiarum Epiſcopis, *Eccleſias DEI feliciter gubernantibus.*

Item, *Spectabilibus*. & *Magnificis*, Emerico de Perén, *Comite perpetuo Comitatus Abaujvarienſis*, *prædicti Regni Noſtri Hungariæ Palatino*. & *Judice Cumanorum Noſtrorum: Comite* Petro, Comite de Sancto Georgio, & de Bozin, *Judice Curiæ Noſtræ*: Joanne de Zapolya, *Comite perpetuo terræ Scepuſienſis*, *Wayvoda Noſtro Tranſylvanienſi*, & *Comite Siculorum Noſtrorum*; *ac Generali Capitaneo Noſtro: Eodem* Joanne de Zapolya, & Barnaba de Bela, *Zeővrinienſibus* Banis: & Stephano de Báthor, *Comite Themeſienſi*, & *Partium Regni Noſtri inferiorum*, *Capitaneo Generali*: Blaſio de Raska *Tavernicorum*: Moyſe Buzlay, de Gergely-laka, *Janitorum*: Joanne Drágffi, de Belthek, *Dapiferorum*: Joanne Bánffy, de Lyndva, *Pincernarum*: Georgio de Báthor *prædicta*, *Agazonum*: Michaele de Palőcz, *Cubiculariorum Noſtrorum Regalium*, Magiſtris: *Ac* Joanne de Bornemiſza, de Berzencze, *Comite Poſonienſi*, *aliisque complurimis*, *Comitatus Regni Noſtri tenentibus*, & *honores*.

MA-

MAGISTER

SVERHANUS DE WERBŐCZ

Perſonalis Præſentiæ Regiæ Majeſtatis Locumtenens.

LECTORIBUS SALUTEM.

CUM Sereniſſimus, idemque Clementiſſimus Dominus WLADISLAUS Hungariæ, & Bohemiæ, &c. Rex, ſuperioribus annis, tum ſua ſponte permotus, tum frequentibus uniuscujusque ordinis Subditorum ſuorum precibus exoratus, eas Leges, easque Conſuetudines, quibus a longa jam temporum ſerie, Res Judiciaria, hoc in Regno, tot inter bellorum, ac ſeditionum æſtus, utcunque firmiſſime ſtetit, ad Juris ſcripti normam, ac rationem revocare decreviſſet; cæteros inter, qui Majeſtati Suæ, & fide, & obſervantia erant addicti, me ultro deligendum duxit, qui id muneris explerem, ut tot disjecta, ac divulſa Municipalium hujus Regni Ungariæ Conſuetudinum, & Conſtitutionum membra, in unum velut corpus coacta, & ſcripturæ admi-

niculo illustrata, io omnem posteritatem propagarentur.

Hanc vero ipse Provinciam, licet meæ imbecillitas conscius, non tam virium fiducia, quam obsequendi necessitate, susceptit, & quoad suppetebat facultas, pro ingenioli tenuitate, longis, diuturnisque laborifius ad calcem usque perduxi.

Cum interim Regio jussu, relinqui quoque Protonotarii, mihi per id temporis Collegæ Judiciarii; insuper Jurati Assessores Sedis Judiciariæ Regiæ, & pleriqut alii tam in Divino, quam humano Jure, diu, multumque versati, ad hæc omnia discutienda recensenda, & ad amussim trutinanda fuerant adhibiti:

Quibus ex sententia peractis, in publica demum. ac generali Diæta, & Conventu Dominorum Prælatorum, ac Baronum, Nobiliumque, & Procrum Regni hujus universorum, Anno Salutis humanæ quarto, & decimo supra millesimum quingentesimum, rusticanæ seditione, quæ paulo ante irrepserat, excisa & sublata, ad diem Divo Lucæ Evangelistæ dicatam, celebrato, idem Princeps omni-

omnium cum flagitatione, ac plausu, hoc domestici Juris compendium, suo ductu, atque auspiciis lucubratum, conceptis verbis, ac viva voce comprobavit: Et Regio Imperio, Regiæque Authoritatis plenitudine roboratum, irrevocabili Sanctione firmavit.

Pollicitus insuper, id ipsum Opus, membranis conscriptum, sese regionatim, per universam Hungariam muneris loco transmissurum: Sed cum prolixioris esset negotii, tam ingentem Legum acervum, in quinquaginta, & plura exemplaria transfundi (tot enim, & plures sunt Districtus, ac Regiones, eas Nostri Comitatus appellant, quas hujus muneris seorsim, ac separatim, participes esse oportuit) Rex interim ipse, ad Conventus Posonii, Viennæque indictos, rebus Regnorum Suorum exigentibus concessit.

Ubi publicis, privatisque, cum Excellentissimis Principibus MAXIMILIANO Romanorum electo Cæsare, semprr Augusto, ac SIGISMUNDO Poloniæ Rege, Fratre suo germano, negotiis pertractandis toto vere, ac majore æstatis

parte transacta, ad Regnum tandem regressus, in ea licet stabili, fixaque hæreret Sententia, ut ipsa Municipalia Regni Sui Jura, primo quoque tempore in lucem ederentur; aliis tamen super alias ingruentibus rebus, inter ejuscemodi moras, Divino nutu, fatali vitæ perfunctus spatio, ad Cœlestem Patriam commigravit.

Sed ne hoc Opus, tanto studio, tantisque vigiliis elaboratum, ac firmissimo Regiæ Potestatis robore (dempta duntaxat Sigilli appensione) munitum, & confirmatum, in obscuro delitescceret, & paulatim obliterata rerum memoria, in nihilum redigeretur (quo nihil huic quidem Regno deterius, nihilque perniciosius in Causis præsertim discernendis, Justitiaque administranda, fieri, aut excogitari posset) has easdem Consuetudines, & Leges Municipales, nullo penitus sensu, ordineque immutato, sub ea, qua prius formula, atque contextu editæ fuerant, in publicum edendas; utque id latius, pluribusque pateret; Calcographorum industria excudendas curavi.

Opto

Opto autem, ut quisquis has meas lucubrationes in manus sumpserit, æquus sitin me Judex, bonique consulat. Nam licet quantum mediocritate valui, summum in his quærendis, atque explicandis studium adhibuerim; quia temen doctrina me quam exigua, sermoneque haud satis perpolito esse profiteor; tantum abest, ut, si quid in meis Scriptis vel erratum quispiam emendaverit, vel prætermissum adjecerit; ut aut succenseam, aut indigner, ut eo etiam nomine, simili (quisquis tandem is fuerit) cumulatissimas gratias sim habiturus. Quoniam errare sæpius, ac falli, proprium est hominis: & minus mirum est, memoriam aliquarum rerum excidere, quam omnium constare. Valete.

INDEX
IN DECRETUM TRIPARTITUM
JURIS CONSUETUDINARII INCLYTI REGNI HUNGARIÆ.

Pag.

PROLOGUS. 25

TIT.

1. De Justitia: Quid sit definitive? & de ejus divisione. 26
2. De Jure, & divisione Juris. 27
3. Quomodo differant Jus Naturale, Jus Gentium & Jus Civile? 31
4. De Jure Militari, & Jurisprudentia. 32
5. Differentia est inter Justitiam, Jus, & Juris Prudentiam. 33
6. De Diffinitionibus Legis, & ejus Conditionibus. *Ibid.*
7. Quare factæ sint Leges? & de quadruplici officio Legis. 37
8. De Statu, & Municipali Jure. 38
9. Utrum valeat Statutum contra Jus Canonicum, vel Naturale, vel Divinum? 39
10. Quid sit Consuetudo? & quæ sint necessaria ad Consuetudinem firmandam? 40
11. Quomodo differat Lex a Consuetudine? ? & de triplici virtute Consuetudinis. 43
12. De Lege, & Statuto, ac Consuetudine contraria, Quid sit sentiendum? 44
13. Quid sit Judex? quid Judicium? quid Causa? quid Actor, & Reus? 46
14. Quot requirantur ad Judicium, ut sit actus Justitiæ? & de Jurisdictione, Officioque, & Conditionibus boni Judicis. 47
15. Utrum Judex secundum allegata, & probata, vel secundum conscientiam judicare teneatur? 49
16 De duplici conscientia Judicis, videlicet Rei & Dicti. 51

INDEX TITULORUM PRIMÆ PARTIS.

TIT. Pag.

1. De tripartita divisione Jurium, & Consuetudinum Inclyti Regni Hungariæ in Generali.

TIT. Pag.

2. De prima parte Jurium, & Consuetudinum Regni in speciali. Et primo: Quod tam Personæ Spirituales, quam Seculares, una, & eadem libertate utantur. 56
3. De exordio nostræ Nobilitatis. Et quomodo Regimen in Principem nostrum translatum sit? 57
4. Quod vera Nobilitas per exercitia militaria, & cæteras virtutes acquiratur, ac possessionaria Donatione roboretur. 60
5. Quod quilibet de Bonis per eum propriis servitius conquisitis, libere disponere possit: 61
6. Quod Nobiles etiam absque possessionaria Donatione creantur: Quodque ad Nobilitatem comprobandam Insignia Nobilitaria non sint in Judicio necessaria. 62
7. Quod ex Nobili Patre, & ignobili Matre generati, veri Nobiles censeantur, sed non e converso. 63
8. Quod etiam per Adoptionem Nobiles fiant, & creentur. 64
8. De quatuor privilegiatis, & præcipuis Nobilium libertatibus. 65
10. Quod Princeps noster cunctorum Dominorum Baronum, ac Nobilium Regni verus, & legitimus Successor sit. 67
11. Quod Papa in collationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum in hoc Regno nullam Jurisdictionem retinuit, præter confirmationis auctoritatem. 69
12. Quod omnes Domini Prælati, & Personæ Ecclesiasticæ Regi nostro ad *Fidelitatis Homagium* præstandum obligentur: Et quod ratione Bonorum temporalium coram Judicibus Secularibus Juri stare teneantur. 73
13. De Donationibus Regiis, & earum speciebus in generali. 74
14. De casibus Notam Infidelitatis afferentibus. 76
15. Quod Bona latronum furum, & homicidarum Donationi Regiæ non subjaceant. 79
16. Quod differentia sit inter Notam Infidelitatis, & Sententiam Capitalem dupliciter. 80

TIT Pag.
17. Qui sint, & intelligantur *Hæredes*, & *Posteritates*? & qualia Bona solum masculinum, qualiave utrumque sexum concernant? 82
18. Quare Jura possessionaria servitiis acquisita, Jus fœmineum non sequantur? 85
19. E contra, cur Jura possessionaria *pecuniis empta*, Jus fœmineum æque, ac masculinum concernant? 86
10. Utrum Bona Nota Infidelitatis condemnati, utrumque sexum concernentia, post factam gratiam iterum utrique sexui deserviant? 87
21. An Bona tum pro servitiis, tum pecuniis simul collata, utrumque sexum sequantur? 88
22. De clausula Donationis: *Per defectum seminis*, Quid per *semen* intelligatur? 90
23. Quanto tempore Jus Regium duret, & præscribatur? 92
24. Quid sit *Jus Regium* definitive, & quid *Jus possessionarium*? 93
25. Quod impetratores Bonorum injuste, *nomine Juris Regii*, in æstimatione eorundem Bonorum perennali condemnentur? 95
26. Quod impetratores Bonorum *per defectum seminis* quorumpiam, in nullo onere convincantur. 97
27. Quod Bona in lite existentia, *per defectum seminis* impetrari non possint. 99
28. Quod Bona Donatione Regia acquisita, si etiam pecuniarum summa contradictoribus solvatur, Jus fœmineum non concernant. 101
29. Quomodo cum Donatione Regiali *per defectum seminis* procedendum sit? 102
30. Declaratio Articuli, Decreti super Bonis *per defectum seminis* impetratorum editi. 106
31. De eo, qui *cum Jure Regio* in causam cujuspiam se immittit. 108
32. Quod universæ Donationes Regiæ infra anni unius revolutionem *Statutione legitima* firmari debeant. *Ibid.*
33. De Literis *Statutoriis*, *Reambulatoriis*, *Admonitoriis*, & brevibus *Evocatoriis*. Quot diebus durent ad exequendum? 109

TIT. Pag.
34. Quid Literæ *Statutoriæ* Donationum, *cum declaratione*; & quid *sine declaratione* valeant? 111
35. De Literis *Consensualibus Regiis*, absque Fassionis verbali tenore, confectis. 112
36. De nova *Donatione Regia* in generali; & unde ortum habeat? *Ibid.*
37. Quid sit *nova Donatio* descriptive? Et quod dupliciter illa potest attendi. 113
38. Unde proveniat proditio fraterni sanguinis? 118
39. Quid sit proditio fraterni sanguinis definitive? & de pœna ejusdem. 119
40. De *Divisionibus* Bonorum paternorum, & avitorum *Inter Fratres* fiendis. 121
41. Quid si *domus paterna lapidea*, velmagnis sumptibus constructa fuerit. 122
42. Quod Literalia Instrumenta frater natu major conservare debeat. 123
43. De divisionibus Bonorum per fratres acquisitorum, & de clausula Donationis: *Per eum.* 125
44. Quid si fratrum quispiam Bona per se inventa, pro se reservare voluerit? 127
45. Quod divisio Bonorum inter fratres carnales non processu litis fieri debeat. *Ibid.*
46. Quando nova divisio Bonorum inter fratres condivisionales amittatur, & quando non? 129
47. Quod universa bona inter fratres divisa, altero fratrum deficiente, in alterum devolvantur, etiam Matrimonio interveniente. 131
48. Utrum Bona Marito, & Uxori simul collata, deficiente Marito, in Uxorem ipsam devolvantur, & e converso? 132
49. Utrum Bona, *Nota infidelitatis condemnati*, in fratrem adoptivum, Regio consensu accedente, condescendant? 134
50. Quid de successione filiarum, duorum fratrum, in hæredes seorsim præfectarum sit sentiendum? 135
51. De divisione Bonorum inter patres, & filios eorum: Et *de paterna, seu patria potestate.* 136

TIT. Pag.
52. Casus in quibus potest pater filium ad Bonorum divisionem compellere. 139
53. De casibus, in quibus e contrario filius cum patre divisionem facere potest. 140
54. Adhuc de uno casu divisionis, & de Bonis filium Jure materno concernentibus. 142
55. De filiis furiosis, & mente captis, quod semper in patria potestate consistant. 143
56. Quot modis cesset, & tollatur paterna potestas? *Ibid.*
57. Quod quilibet Dominorum, & Nobilium super Bonis suis propriis liberam disponendi habeat facultatem. 145
58. Quod pater Bona avita in præjudicium filiorum alienare non potest. 146
59. Quid sit onus assumere, & quot modis onera filiorum, & fratrum assumantur? 147
60. De legitima admonitione in possessionaria venditione necessario præmittenda. 150
61. Quomodo portio fratris per alterum fratrem vendita, vel oppignorata recuperari debeat? 155
62. De quibusdam Fassionibus non retractandis. 158
63. De Fassionibus, quæ Statutione legitima indigent, & quæ non. 159
64. Quid sit consensus Regis definitive? 161
65. Quales Fassiones consensu Regio indigeant, & quales non? 163
66. Quid sit Contractus definitive? & quando indigeat legitima Statutione? 164
67. Quod Dominium Bonorum duplici modo quispiam dicatur habere. Et de Contractibus in fine. 166
68. Quod violenti occupatores Bonorum iterum violenter de illis ejici possunt. 168
69. De clausula: *Nil Juris.* Et qualia Bona iterum in donantem, vel vendentem redeant? 169
70 Quid sit concambialis permutatio Bonorum, & quare sit adinventa? 170
71, Quid si concambium fraudulenter, & simulate factum, & celebratum fuerit? 172
72. Quando concambium nullo modo possit retractari? 173

TIT. Pag.
73. Si in concambio pecunia superaddatur, utrum talia Bona Jus fœmineum sequantur? 174
74. Quid valeat *Evictio*, seu Expeditoria cautio præassumpta? 175
75. Qui intelligantur per *legitimos impetitores*? 176
75. Quæstio notabilis super Evictione, seu Expeditoria cautione. 177
77. Quod Donatores, & Venditores Bonorum contra possessores eorundem per semetipsos agere non possunt. 178
78. Quid sit *Præscriptio* definitive? Et quot annorum curricula diversimode completatur? 179
79. Quibus temporibus Præscriptio non currat, locumque non habeat? 181
80. De Juribus possessionariis *Impignoratitiis*, in generali. 182
81 Quid sit Bonorum Pignoratio? & quot modis intelligatur? 183
82. Qualiter intelligatur Præscriptio in Bonis Impignoratitiis non admittenda? 184
83. Quod Jura possessionaria ultra communem eorum æstimationem pignorari non possunt. 188
84. De metarum distinctionibus, & rectificationibus in generali. 189
85. Qualiter intelligatur in metis rectificandis *Præscriptio* non admittenda? 191
86. Quales literæ metales valeant, & quales non? 193
87. De terris per fluviorum vehementiam distractis quid sciendum sit? 196
88. Quid sit *Jus Quartalitium* definitive? & quibus solvi debeat? 198
89. De modo Solutionis Jurium Quartalitiorum, seu quartæ puellaris. 199
90. Quod si uni filiarum quarta puellaris data fuerit, altera adhuc super hæreditate contendere poterit. 200
91. Quod *puellæ in capillis constitutæ* Fassiones facere non possint. 201
92. Qualiter puellæ infra tempus emaritationis earum in domo paterna maneant? *Ibid.*

93.

TIT. Pag.
93. Quid sit *Dotalitium* definitive? & quid *Paraphernum*? 202
94. Qui sint, & intelligantur veri ex officio Barones Regni? 204
95. Quod Dotalitiorum solutio partim pecuniis, partim rebus venalibus fieri debeat, & quales sint res venales? 205
96. Quod mulier a primo marito integram, & a secundo mediam Dotem habeat. Et unde Dotalitia solvantur? 206
97. Qualiter Dotalitium, & quartalitium simul quæri poterit? 207
98. Quomodo fœminæ de Bonis maritorum ejici possint, & quomodo non? & de rebus eorum mobilibus. 208
69. De divisione rerum mobilium mariti, inter Relictam, & liberos, ac fratres ejusdem. 210
100. De Paraphernis, & rebus cum sponsa, ac tempore nuptiarum sponsæ datis. 211
101. De equis equatialibus defuncti ad quinquagenarium usque numerum. 213
102. De Juribus possessionariis mariti, durante conjugio uxoris comparatis. 214
103. Quod mulier de bonis mariti, etiam pignori per eum obligatis, Dotem suam rehabere potest. 216
104. Quod Dotalitium uxoris pro maleficio mariti non amittitur. *Ibid.*
105. Quod mulier in adulterio deprehensa perdit Dotalitium, sed non Paraphernas. 217
106. De Matrimonio inter consanguineos scienter, vel ignoranter contracto. 218
107. Quomodo noscitur Matrimonium inter consanguineos scienter contractum? 219
108. Quod ignorantia legitimas; scientia vero illegitimas proles inter consanguineos generet. 220
109. Qualiter uxor Dotalitium suum marito suo relaxare possit? 221
110. Quomodo maritus uxori, & e contra consors viro suo super Bonis suis Fassionem facere potest? 222

TIT. Pag.
111. De legitima, & illegitima puerorum ætate; & Procuratoria eorum constitutione. 223
112. Qui, vel quæ intelligantur sui Juris esse? & de puerorum triplici Tutela. 226
113. De prima Tutela, quæ *Legitima* nominatur. 227
114. De secunda Tutela, quæ *Testamentaria* appellatur. 228
115. De tertia Tutela, quæ *Dativa* nuncupatur. 229
116. Qualiter *virilis*, & qualiter *fœminei sexus fratres* in Tutela succedant? 231
117. Quid, si Jura possessionaria utrumque sexum concernant, de Tutela faciendum sit? 233
118. Quid sit agnatio, & cognatio, vel agnatus, & cognatus? 234
119. Utrum Testamentaria Tuitio destruat Legitimam, & e converso? *Ibid.*
120. Duo *Corollaria notanda* de successione Tutoria. 236
121. De casibus, in quibus fratres ad Tutelam non admittuntur. 237
122. Quot modis possint excusari Tutores ab onere Tuitionis? 238
123. Quod Tutores fideliter teneantur gerere officium Tutelæ. Et quot modis fiant suspecti? 253
124. Qualiter Tutores accusari possint? Et de pupillis furiosis. 241
125. Quod Princeps, etiam extra terminos Judiciorum, de Tutore providere potest. 243
126. Quod Tutores in cunctis causis pupillorum procedere possunt. 244
117. De ætatibus pupillorum revidendis, & Literis inde Revisionalibus. 245
128. Quid Literæ Revisionales valeant? Et quomodo Fassiones, infra perfectam ætatem factæ retractari debeant? 246
129. Quod orphani, in causis contra eos tempore pupillaris ætatis ipsorum motis respondere non tenentur. 247
130. Quod pupilli, in causis tempore patris eorum inchoatis, respondere coguntur. 249

TIT. Pag.
131. Casus quidam, in quo pupilli etiam illegitimæ ætatis respondere tenentur. 249
132. Quod Evocatores pupillorum in Homagiis eorum convincantur. 251
133. Quid sit, & qualiter fiat Bonorum mobilium, & immobilium æstimatio? Ibid.
Mensura, quæ 48ties sumpta, facit unam mensuram, sive Ulnam Regalem. 260
De Juramentorum æstimatione. Ibid.
134. Quot modis, & quibus respectibus æstimationes Bonorum, & Rerum fiant? 261

INDEX TITULORUM. SECUNDÆ PARTIS.

TIT. Pag.
1. DE secunda parte Jurium, & Consuetudinum Regni Hungariæ in generali. 265
2. Quot modis Generale Decretum intelligatur? 266
3. Qui possint condere Leges, & Statuta? 267
4. Qui nomine Populi, & qui nomine Plebis intelligantur? 270
5. Quos ligant Constitutiones, & Statuta? 271
6. Unde traxerit originem Consuetudo nostra, in Judiciis exercenda? 273
7. Quid sit Privilegium diffinitive? & quotuplex sit Privilegium? 277
8. Utrum Decretum tollatur per Privilegium, & e contra? 278
9. Quod privilegium dupliciter potest attendi, & emanari. Et primo; *legitime.* 279
10. Quod Privilegium duobus modis intelligitur Juribus aliorum præjudicare. 281
11. Privilegium secundo modo formatur *illegitime.* 282
12. Quot modis carebit Privilegium sua firmitate? 284
13. Quid sit Sigillum descriptive? Et quod duplex sit Sigillum. 289
14. Quorum Regum Privilegia serventur, & quorum non? 291

TIT. Pag.
15. De transumptis Literarum, & Privilegiorum, quid sit sciendum? 322
16. Super Privilegiis cum clausula: *De cujus, vel quorum notitia*, confectis: Et de Larvis, seu fictitiis personis. 324
17. Quid debeat attendi in cognitione falsarum literarum? 326
18. Prosecutio secundæ Partis in speciali. Et primo: De Evocationibus, 328
19. Qualiter, & per quos Evocationes fieri debeant? 330
20. De Personali Citatione, Admonitione, & Prohibitione. 332
21. De Testimoniis Capitularibus, ac Conventualibus, ad Executiones mittendis. 336
22. De pœna illius, qui Homo Regius, simul & Procurator; in una, eademque causa compertus fuerit. 338
23. De pœna ejus, qui *mortuum*, vel *puerum* evocaverit: Aut *Nobilem statuendum* commiserit. 339
24. De Admonitionibus, ratione Jurium Impignoratitiorum, & Dotalitiorum fiendis: Et pœnis exinde sequendis. 340
25. De clausula Evocationis: *Litis* pendentia. Quid importet? 343
26. Tria requiruntur in Evocatione expresse denotanda. 344
27. Quid sit communis Inquisitio? Et quot conditiones requirantur ad ejus celebrationem? 345
28. Qualiter sint examinandi Testes in Communi Inquisitione? Et de pœna eorum, qui vocati ad testificandum, venire recusant. 349
29. Quod duplici ratione solent Nomina Testium in Literrs Relatoriis conscribi. 351
30. De pœna Perjurorum, & Aucariorum, *Ludas* appellatorum. 352
31. Quod celebratio Communis Inquisitionis binario numero fieri non admittatur. 354
32. Qualiter post Communem Inquisitionem, & etiam prius, litigantibus Juramenta decernantur? 355

TIT. Pag.
33. Utrum Juramentum Nobilis penes Rusticum, & e contra, in recuperatione damnorum valeat? 359
34. De Juramentis, in facto literalium Instrumentorum decernendis, & imponendis. 360
35. In quibus casibus sint præscribenda nomina Conjuratorum? 363
36. De pœna ejus, qui alterum *Ignobilem*, vel *Infamem* dixerit. Et de diversis exitibus Juramentorum. 364
37. Quomodo Juramentum Patris, tempore medio decedentis; in Filium, vel Fratrem condescendat? 366
38. Utrum unus Conjuratorum possit plures personas, in eadem Causa, Juramento suo expurgare? 367
39. Quod Princeps noster nec Capitalem Sententiam incurrere potest; nec Juramentum contra quempiam per se præstare; sed neque Jura producere tenetur. 369
40. De modo Juramentorum Dominorum Prælatorum, & Baronum, ac Abbatum, & Præpositorum Infulatorum. 370
41. Quid sit *oculata Revisio*? & qualiter celebrari debeat? 371
42. De Sententiarum Speciebus, ac Diversitatibus, & Executionibus. 374
43. Capitalis Sententia quomodo differat ab Emendæ Capitis Sententia? 376
44. De Casibus, in quibus etiam contra Ecclesiasticas Personas Capitalis Sententia fertur. 378
45. Qualiter debita, ac damna Spirituales Personæ reddere debeant? 381
46. Quomodo Capitulum, vel Conventus simul; & quomodo Personæ Privatæ seorsim, sententiari debeant? 382
47. Quid, si una Persona Capitularis sententiata fuerit, agendum sit? 383
48. De compensatione damnorum per Officiales Ecclesiasticarum Personarum irrogatorum. 384

TIT. Pag.

49. Quomodo Prælatus cum Capitulo simul; & quomodo seorsim, Judicium portabit? 385
50. De annuali prorogatione Dominorum Prælatorum noviter electorum. 387
51. Quod Prælati Ecclesiarum, ob delicta Prædecessorum suorum, condemnari non possint. 389
52. Quod causa factum Juris possessionarii tangens, in Foro Ecclesiastico tractari nequit, si etiam *Promissio*, vel *Testamentum* interveniat. 291
53. Quid Officialis, vel Decanus Capitularis, inter Jobagiones Capitulares agens, valeat? 393
54. De Priore Auranæ, & ejus Conditione, ac Sententiis in eum ferendis. 395
55. De Capituli Sententia, & Executionis ejus serie. 298
56. Qualiter Bona, per Sententiam occupata, de manibus Judicis, & adversæ Partis, sint redimenda? 400
57. Quid gratia Principis, homini sententiato facta, valeat? Et de Partibus Judiciariis. 401
58. Quando, & quomodo poterit detineri in Sententia Capituli convictus? 404
59. Quid sit, & quando admittatur *rationabilis Excusatio*, Literis Judicialibus inseri consueta? 406
60. Quomodo Portiones Filiorum, ac Filiarum, & Fratrum, tempore Executionis Sententiæ exscindi debeant? 408
61. De æstimatione Jurium paternorum, vel fraternorum, litis intermedio decedentium. 409
62. Qualiter filii, ante & post Sententiationem Patris nati, in Bonis paternis succedant? 411
63. Utrum Filius, post Patris Sententiationem natus, possit redimere paterna Bona? 412
64. Quid, si Pater cum Filio, vel omnes Fratres simul, sententiabuntur? 413
65. Utrum per Sententiam in Curia Regia latam, etiam Bona in Sclavonia, vel Transylvania habita amittantur, & e converso? 414
66. De Sententia per Notam Infidelitatis pronuncitianda. 717

TIT. Pag.
67. De Actibus potentiariis minoribus: Et Sententiis super ea ferendis. 417
68. De casu, in quo etiam *vigore minoris Sententiæ* quis detineri potest. 421
69. De pœna *Violationis Sedis Judiciariæ*: Et de solutione oneris minoris Sententiæ. 424
70. *Calumnia* quid sit? & quot modis committatur? & de ejusdem pœna. 426
71. Quæstio notabilis, & advertenda, *super facto Calumniæ*. 429
72. De *Emenda Linguæ*: & de pœna ejusdem. 434
73. Quid sit *Repulsio*? & de modo, ac pœna ejusdem. 435
74. Declaratio Articuli, Decreti Generalis, super Repulsione conscripti. 437
75. Quod *Nota Infidelitatis* tribus modis fertur, & pronunciatur. 442
76. Utrum ille possit Repulsionem facere, qui in Processu Causæ non egit? 447
77. De *novo Judicio*, ac ejus modo, serieque, & processu. 451
78. Utrum possit *novum Judicium impetrare*, qui in Causæ Processu non succubuit? 455
79. *Procuratoris revocatio*, quid sit? & ubi fieri debeat? 456
80. Procuratoris Responsio quomodo; & quo onere retractari debeat? 457
81. Procuratoris Responsio duobus modis solet revocari. 459
82. Quod *Causarum Condescensio* duobus modis fieri solet. 461
83. Quomodo ante, & quomodo post latam Sententiam, causa condescendi debeat? 468
84. De illis, qui *in alterius Causam sese ingerunt*, quid sit agendum? 473
85. Utrum Actore liti cedente; possit *in Causam se ingerens*, in ea procedere? 476
86. Qualiter *Birsagia*, in Processu Causarum accumulari solita, exigi debeant? 479

INDEX TITULORUM TERTIÆ PARTIS.

TIT. Pag.

1. DE tertia Parte Jurium, & Consuetudinum Regni in generali. 485
2. Utrum quilibet Populus, vel Comitatus possit per se condere Statuta? 486
3. De Consuetudinario Jure Regnorum, *Sclavoniæ* & *Transylvaniæ*, peculiari. 490
4. De *Scythulis Transylvanis*, quos *Siculos* vocitamus. 494
5. Quid sit *Homagium*? & quot modis intelligitur? 496
6. Qualiter *Causæ* de Sedibus Judiciariis Comitum Parochialium, in Curiam Regiam *transmittantur*? & de Procuratorum in eisdem Sedibus Revocatione. 498
7. Quales Causæ de Curia Regia rursus in præsentiam Comitum Parochialium remitti debeant? 501
8. De Liberis Civitatibus, & earum conditionibus in generali. 603
9. Quod Cives Liberarum Civitatum, in eorum Homagiis, Nobilibus æquiparantur. 504
10. Qualiter Causæ Civium Liberarum Civitatum, in præsentiam Magistri Tavernicorum Regalium transmittantur? 505
11. Quomodo *novum Judicium*, in Causis Civium Liberarum Civitatum, impetrandum sit? 506
12. De Testimonio extraneo, inter Cives non accipiendo. 509
13. De Fassionibus, coram Judice & Juratis Civibus fiendis. 510
14. Quomodo Dominium hæreditatum inter Cives ingrediendum sit? 511
15. De legitima Præscriptione, inter Cives observari solita. 513
16. Quomodo hæreditas cum pertinentiis inter Cives apprehendi debeat? 614
17. De debitis Civium, ubi omnis probatio defecerit. 515
18. De Civibus in terris aliorum hæreditates habentibus. *Ibid.*

TIT. Pag.
19. Quomodo Civitates, ratione Jurium possessionariorum, Juri stare teneantur? 516
20. Qualiter Cives publicos malefactores punire possint? 519
21. De *Homicidio*, per quempiam in defensione sui patrato. 520
22. Defensa quot modis; & qualiter intelligatur? 522
23. Utrum, propter comminationem factam, liceat aliquem offendere? 524
24. An alius alium adjuvare possit? 525
25. De Villanorum, quos Jobagiones nuncupamus, conditionibus, & Legibus. 526
26. De modo, & ordine impensionis Judicii, ex Parte Jobagionum fiendæ. 529
27. Qualiter Jobagionibus, & Famulis Ignobilibus, Juramenta decernantur? 536
28. Qualiter damna, & debita per Rusticos, res, ac hæreditates non habentes, recuperari debeant? 539
29. Quomodo res mobiles, & immobiles Rusticorum, inter Filios, & Filias dividantur? 540
30. Qualiter Bona Rustici intestati in Dominium terrestrem devolvantur? 442
31. Quod Rustici per semetipsos, cum Nobilibus lites ingredi non possunt. 544
32. Qualiter Publici malefactores, per Comites Parochiales, ac Nobiles privilegiales puniri debeant? 545
33. Quomodo damna, per pecudes, & pecora illata recuperari debeant? 547
34. De equo furtim sublato, & in exercitu; vel extra exercitum reperto. 549
35. De Causarum Transmissionibus, & Literis Transmissionalibus. 550
36. Forma Juramenti Judæorum, contra Christianos præstandi. 552

FINIS INDICIS OPERIS TRIPARTITI.